DE SIGNIS IDEARUM OPUS SECUNDIS CURIS LATIUS AUCTUM AUCTORE ANDREA SPAGNIO...

Andrea Spagni

Digitized by Google

37

MAG 3059

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

DE SIGNIS IDEARUM

AUCTORE ANDREA SPAGNIO

P A R S I.

De diverſis circa Signa idearum generibus

S E C T I O I.

De Signis idearum naturalibus.

SIgnum appellatur res ſenſibilis , quæ præter cognitionem ſui excitat etiam cognitionem alterius rei , quæ ſenſus non afficit . Quare ſignum eſt concretum quoddam ex ipſa re tamquam ſubiecto , & vi ſignificandi aliquid a ſe diſtinctum , tamquam forma . Proinde in iis , qui illud advertant duas quodammodo producit ideas , unam ſui , alteram rei cujus eſt ſignum . Divi- r ſignum in naturale & arbitrarium . Signi naturalis duæ ſunt ſpecies : a de proximis ſeu obviis : altera de remotis , ſeu minus obviis , ſeu atis . De utriſque aliqua perſequar exempla .

A R T I C U L U S I.

De obviis ſignis naturalibus per picturas.

SIgni generalem notionem contraho ad ſignificandum ſignum naturale , ſui quod dico eſſe rem ſenſibilem quæ præter cognitionem etiam alterius rei cognitionem propter connexionem quamdam ,

quam cum illa habet, quæ non dependet ab arbitrio cognoſcentis. Quando hujusmodi ſignum cuique obvium eſt habet pro ſui differentia ſpecifica cognitionem ſignati acquiri ſine ullo ſufficienter diſtincto ratiocinio. Huic ſigno convenit celebris S. Auguſtini definitio (1) *ſignum eſt res præter ſpeciem, quam ingerit ſenſibus aliud aliquid ex ſe faciens in cognitionem venire.*

3. Ad obvia signa naturalia pertinent picturæ. Per ipſas enim ſtatim excitatur cognitio eorum, quæ repræſentant. Hoc modo aliquæ gentes ante inventam apud ipſos artem ſcribendi ſuas inter ſe cognitiones communicabant, poſterisque ſuis hiſtoriam ſuorum temporum transmittebant. Itaque Mexicani inventi ſunt ab Europæis, dum illuc advenerunt, habuiſſe per picturas conjunctas cum traditione quæ illas explicabat, cognitionem de diluvio univerſali, quod ſolum aliqui ſupra navim evaſerunt, de confuſione linguarum, quæ poſt diluvium aucto hominum numero contigit, & inde nata eorum per diverſas regiones diſperſione. Hanc picturam inſeruit Gemellus in ſeptimum ſuorum itinerum volumen, eamdemque nuper commemorat & diſtinctius declarat Laurentius Hervas (2), qui in Horcajo nobili oppido Marchiæ Laminitanæ natus anno 1735. cum nomen dederit Soc. I., in Italiam cum ceteris hujus religioſi ordinis anno 1767. deportatus, ab anno 1778. incœpit typis Cæſenatibus in lucem italice emittere plura volumina ſub titulo *Idea univerſi*, in quibus decimum ſextum cum duobus ſequentibus, quæ de linguis agunt, admirationem mihi conciliavit propter acumen ingenii, amplitudinem memoriæ, & omnis generis eruditionem, quæ in iis elucent.

4. De Mexicanis pariter prope litus ſui maris in America ſeptemtrionali habitantibus teſtatur Joſephus Acoſta apud Warburtonum (3) certiorem feciſſe de adventu ignotæ gentis, Hiſpanorum ſcilicet, regem ſuum Motezumam, ſive Montezumam, miſere mortuum anno 1520. ut narrat Ladvocatus (4), miſſa tela, in qua depictus conſpiciebatur illorum exercitus militum quidem numero contemnendus, ſed novo armorum genere, quæ cum tonitru fulmina jaculabantur quam maxime formidabilis, qui duce Ferdinando Cortes, cujus triſtem imaginem dedit Littleton in ſexto ex ſuis anglicis *dialogis mortuorum*, quavis regione, in quam perveniebat, ſtatim potiebatur nomine Caroli V. Hiſpaniarum tunc Regis dumtaxat, & deinde etiam Imperatoris Romani. Franciſcus autem Xaverius Clavigerius in ſua italica *Hiſtoria antiqua Mexici*, quæ proſtat etiam translata in linguas gallicam, anglicam, & germanicam, nominat (5) auctores hispanos, qui teſtes de viſu ſe dicunt de mira velocitate, qua hæ picturæ conficiebantur, quia quod ſunt apud nos ſcriptores, erant apud antiquos Mexicanos pictores, per quos leges etiam a nativis illorum regibus promulgabantur, quarum proinde exempla neceſſe fuit abun-

(1) Aug. de doct. chri. l. 2.
(2) He. Idea to. 15, pag. 152.
(3) Wa. Hier. p. 1. n. 1.
(4) La. Dict. ar. Montezuma.
(5) Cla. to. 4. di. 6. ar. 4.

Digitized by Google

abundarent, qnoniam ſingulos interest eas noſſe, quæ impune non violantur.

5. Hac via quæcumque ſive privata, ſive publica, ſive ad hiſtoriam ſive ad ſcientiam aliquam, ſive ad religionem pertinentia poſteris committebantur. Rudes illæ quidem fuerunt, aliæ magis aliæ minus, utpote velociſſime & ad notitiam, non ad delectationem delineatæ, ſed tam multæ, ut regnantibus ibi jam Hiſpanis conſtitutus fuerit in Mexicana Academia, qui publicas ſcholas haberet de modo eas intelligendi, quoniam illæ producebantur in litibus, & juxta illas judices ſententiam ferebant. Quare etiamſi deinde Evangelii præcones ex falſa plerunque opinione ſuperſtitionis ipſis adnexæ (1) *furioſe conati fuerint illas extermi- nare multas nihilominus ipſemet vidi*, inquit laudatus Clavigerius natus in celebri Mexici portu Vera Cruce, & in Italiam translatus eodem cum Herva tempore eademque de cauſa, quem publici nuncii Florentini (2) referunt diuturno morbo extinctum ſub initium Aprilis anni 1787. cum eſſet annorum 55.

6. Alii etiam Americæ populi picturis ad eosdem fines uſos fuiſſe conſtat, idque de illis Novæ Galliæ legitur apud de Rasles in gallicis *Literis ædificantibus* (3). Quare non omnino temere Wachtonus in ſua *Natura & Scripturæ concordia*, quam annos natus octaginta, ut habent Trevoltiani (4) edidit, dicit primam ſcribendi rationem fuiſſe artem pingendi; quæ propterea merito apud omnes politiores gentes quovis tempore exculta fuit, & ars liberalis una cum Sculptura & Architectura communiter appellata, primoque in his loco a Græcis poſita, qui ingenuæ etiam educationis partem voluerunt eam eſſe, prout etiam nunc multi volunt, & ſtudioſe promota a Magiſtratibus & Principibus, qui magnis ſumptibus academias de his artibus fundarunt, qualis anno 1752. ab Hiſpaniarum Rege Ferdinando VI. Matriti creata fuit curante Joſepho de Carvajal primo ipſius adminiſtro, viro nominis immortalis, ut ipſius elogium declarat, quod eo mortuo die octava Auguſti anno 1754. legitur in impreſſa typis Matritenſibus hiſpana narratione de anniverſaria *Diſtributione præmiorum*, quam Academia fecit die 22. Decembris ejusdem anni, & qualis deinde anno 1757. conſtituta fuit Valentiæ regni cognominis metropoli, adnitentibus cum ejus Pontifice ipſis civibus, qui ſuis ſumptibus ejusdem firmitati conſuluerunt. Noviſſime a publicis nunciis habemus Academiam de his artibus, quæ Vindobonæ eſt, accepiſſe ab Imperatore Joſepho II. novnm ſplendorem, & ad proficiendum incitamentum, dato illi ædificio ad ſua munia magis opportuno, noviſque inſtitutis, in quorum memoriam excuſum etiam eſt numiſma, in quo legitur *Academia Vien. novis inſtitutis aucta* MDCCLXXXVI.

A 2 Acce-

(1) Cla. Stor. to.4. di 6. ar.7. & di.7. ar. 2 ſub fin.

(2) Gaz. univ, an. 1787. n. 28. ar. Bologna.

(3) Ras. Recueil 28. pag. 303.

(4) Tr. ann. 1753. ar. 39.

7. Accedente in picturas affabre elaboratas omnium plauſu identidem extiterunt artifices excellentes. Celebris inter antiquos eſt Zeuſis, ad cujus pictas uvas volucres advolabant, & Parrhaſius, cujus pictum velamen, ſub quo finxerat imaginem latere, ipſe Zenſis juſſit diduci, ut Carolus Dati in antiquorum pictorum vitis narrat ex veteribus quos citat, & ex illo Peregrinus Orlandi (1). Ex recentioribus duos Italos commemorabo, de quibus ſimilia narrantur, Jacobum a Ponte vulgo Baſſanum appellatum a patria, in qua obiit anno 1592. ætatis ſuæ 82., cujus pictum librum Annibal Caracci apud Lacombem (2) dicitur voluiſſe apprehendere, & Dominicum Carnovalem Mutinenſem, qui vivebat adhuc anno 1564., de quo Orlandus (3) dicit adeo in ſuis operibus naturam imitatum fuiſſe, ut *aves & pictores deciperet*.

8. Gratulari poſſumus noſtræ ætati de renovata antiqua ratione pingendi per colores cera ſubactos, picturasque hoc modo factas inurendi, unde hæc ars encauſtice dicitur, quæ tempore Plinii, qui de ea loquitur (4) vigebat apud Græcos & Latinos, ſed deinde ita deperdita fuit, ut usque ad hæc tempora ignota fuerit. Ceram punicam Plinius vocat illam, quæ ad hoc opus adhibebatur, quam docet (5) eſſe quaſi mixturam ex nitro quodam & cera, in qua nitrum ex tentamine ab equite Lorgne inito eſt pars ceræ vigeſima, quæ artificio, quod legitur etiam in Anthologia Romana (6), concreſcit in ſpeciem ſaponis, & facile per ignis calorem diſſolvitur, coloribus commiſcetur, omnibusque quæ de encauſtice narrantur ſatisfacit teſte Antonio Pacchera experto pictore, qui ea feliciter utitur.

9. Hanc renovationem debemus Vincentio Requeno Hiſpano, qui dum exul in Italia utpote e Soc. I. diu de illa meditatus fuerit eam tandem, quam expertus fuit opportunam, propoſuit in opere italice Venetiis impreſſo anno 1784. *Specimina reſtauratæ artis veterum pictorum Græcorum & Romanorum*, cujus duo volumina cum acceſſionibus auctoris iterum anno 1787. juxta publicos nuncios Florentinos (7) prodierunt ex celebri Parmæ typographia. Eorum quædam epitoma habetur in italicis *monumentis pro artibus liberalibus*, Romæ ex Typographia Pagliarini promulgatis (8). De hoc opere ejusque auctore magnificum elogium multi jam fecerunt, & nuper Diarium ordinarium Romanum vulgo Cracas dictum, in quo (9) invitantur, qui hæc amant ad obſervandas picturas encauſticas factas a duobus Romanis Vincentio Angeloni, & Joſepho Todran, non Jottan ut per mendum typorum legitur, ſed Totran, vel Todran.

(1) Or Abeced. p. 1.
(2) Lac. Diz. dell' arti ar. Baſſano;
(3) Or. Abec. p. 2. ar. Domen. Carn.
(4) Pli. Hiſt. l. 35. c. 11 & alibi.
(5) Pl. l. 21. c. 14. & l. 33. c. 7.
(6) Ant. ann. 1786. n. 38.
(7) Gaz. Univer. ann. 1787. n. 62.
(8) Memor. to. 1. ann. 1785. Giugno Luglio Agoſto art. Pittura
(9) Diar. ann. 1787. 6. Gennaro n. 1254.

Digitized by Google

dran. Equidem eas vidi, & admiratus ſum earum pulchritudinem & vivacitatem. Quæ ad Tordanum ſpectant, exprimunt celebres S. Scripturæ hiſtorias depictas a Raphaele Sanctio in ambulacris Vaticani redactas ad menſuram, quæ ornet domorum parietes: Paraſtatæ autem in eisdem ambulacris mirabili varietate & elegantia ab eodem Raphaele ornatæ, opus ſunt Angelonii diminutæ ad palmos novem, cum in Vaticano ſint ſupra viginti. Ipſe Angelonius mihi dixit adhibere ſe ceram albam, quam modo quodam, quem apud ſe retinet, ne rebus ſuis eum vulgando noceat, redigit in albam maſſam ſaponi ſimilem, atque hanc cum coloribus miſcet. Perfectam jam cum his picturam totam tegit cera, quæ deinde expoſita prunis ardentibus ita defluit ut in tota colorum maſſa neſcio quid relinquat, quod eam reddit magis ſtabilem, aptamque ad majorem ſui ſplendorem, ſi panno defricetur.

10. Novi ex laudatis monumentis Requenum longe alio modo præparare ad has picturas colores, & ex iisdem pro proximo anno 1786., in quibus (1) Angelonii ejusque comitis opera laudantur, legi poſſunt nomina multorum, qui difficilem invenientes modum Requeni, alios excogitarunt pro his picturis, quin tamen ullum declarent, fortaſſe quia nullius ideam diſtinctam nondum habuerunt. Nam cum communiter mixtio colorum ſit apud pictores pars artis, quam nolunt communicare, fruſtra ab illis requiritur, & ſiquid de ea quam adhibent interrogati dicant, quis credat omnia ab ipſis ſincere manifeſtari. Nihilominus non diſſimulabo eſſe qui mihi dixit ſumere ſe partes æquales ceræ, maſtices, & aquæ liberatæ a cineribus per dimidium diei in ipſa quieſcentibus, & tria hæc elementa ſimul mixta igni imponere donec evadant quaſi unguentum, quod deinde quibusvis coloribus imbuit. Alius mihi oſtendit maſſam quamdam aridam & duram, atque hæc inquit obtinetur per decoctionem ceræ cum maſtice, quæ deinde contrita cum coloribus miſcetur, & ope aquæ gummi arabico ſaturatæ cum iis conjungitur.

11. Una hujus inventi utilitas eſt non opus eſſe paratos colores in aqua immergere ne indureſcant, quando non adhibentur. Altera, ex illis non exhalari moleſtum odorem. Tertia nihil ſui ut ita dicam roboris colores amittere decurſu cujusvis temporis, ut teſtantur picturæ quæ erutæ ſunt ex antiquis Imperatorum & Romanorum magnificis ædificiis a barbarorum incurſionibus everſis, & quæ recens effoſſæ ſunt e ruinis Pompejani, & Herculani. Hoc enim vero commodum quando comprobatum fuerit, maximum eſt, quandoquidem videmus colores oleo ut nunc fit ſubactos proceſſu temporis alterari & nigreſcere. In ſchola quidem Belgica hoc detrimentum non ita frequens eſt ut teſtantur pleræque ipſius tabulæ, at in ſchola italica illud frequentiſſimum eſt...

An.

(1) Mem. to. 2. an. 1786. Novemb. ar. Pittura all' Eucauſto.

Digitized by Google

Articulus II.

De obviis ſignis naturalibus, quæ habentur a mutis, a vultu, & a quibuſdam vocibus.

12. Geſtus & actus mutorum eſſe obvia ſigna naturalia perſuadent nationes diverſarum linguarum, dum commercium inter ſe tacite exercent. Modus quo hoc fiat Danos inter & Groenlandos referente Pluche (1) ſic habet. Utrique congerunt in aliquos cumulos ſuas merces. Dani illas quas ſecum detulerunt. Groenlandi vero pelles phocarum & piſcis canis, vaſa laridi & olei balænarum, & candidos animalium dentes. Quando alter quod ſuum eſt commutare velit cum illo alterius, ſi hoc minoris pretii æſtimat, detrahit aliquid de ſuo cumulo, & contra addit, ſi pluris, donec per additiones aut ſubtractiones declarent ſe mutuo contentos, atque tunc unusquisque tacitus quod ſibi adjudicavit, adsportat.

13. Multo autem magis perſuadent pantomimi. Quando horum auctorem Quadrius apud Tiraboſchium (2) dixit Sophorem Syracuſanum Agatoclis filium, credo loquutum eſſe de diſciplina quadam, quam Sophor in hoc genere inſtituit. Hæc autem ſub Auguſto, aliiſque deinceps imperatoribus maxime floruit, ut diſtinctim ni fallor docebit Octavius Ferrari in diſſertatione *de Pantomimis & Mimis* edita Wolfenbuteli anno 1714. aut Calliacchus, quem *Notitiæ transalpinæ* (3) dicunt de illis ſcripſiſſe *tractatum eruditiſſimum*, & quando a Calliaccho diverſus ſit, auctor gallici libri *Diſquiſitiones hiſtoricæ & criticæ de Mimis & Pantomimis*, & ex illo Freronius in quinto volumine gallici pariter operis, *Literæ de aliquibus ſcriptis hujus temporis*, quæ impreſſæ dicuntur Londini an.1751. ſed venales Pariſiis. Utrique ore clauſo dicam cum Caſſiodoro apud Hieronymum Vitalem (4) manibus loquuntur, vultu etiam, oculis, ſingulis artubus, & toto corpore, ut per ſola ſigna naturalia ducant nos in promptam eorum quæcunque volunt apprehenſionem. Itaque claudum ſignificant claudicando, cæcum clauſis oculis res tentando, deſiderium alicujus rei illam indicando, & quaſi ad ſe evocando, timorem tremendo, lætitiam plaudendo, modeſtiam demiſſo capite, arrogantiam eo ſupra modum erecto, miſericordiam eo in latus inclinato, & ſimilia.

14. Quin immo qui dexter eſt, ſola manu abunde loquax eſt. Hæc enim vocat reſpondet interrogat petit negat conſentit offert accipit recuſat imperat minatur, aliaque multa ſatis clare ſignificat propter quamdam naturalem connexionem inter ejus motus & ideam quam quis per illam intendit manifeſtare. Quando hæc connexio deficiat, vel ſit minus ob-

(1) Pl. Spett. to 5. Entr. Le Mer.
(2) Ti. Stor. lett. to. 1. p. 2.
(3) No. to. 2. p. 2. ar.36.
(4) Vi. Lexic. ar. muta muſica.

Digitized by Google

obvia, jam non intelligitur, & malus eſt pantomimus. At egregius enim vero erat ille, qui auctore Luciano in ſuo de chorea tractatu, Romæ in aula Neronis tam clare quicquid vellet geſtibus narrabat, ut Rex quidam Armeniæ imperatorem rogaverit, ut ſibi donaretur, volens eo uti ad indicendas leges apud populos ſibi ſubjectos, cum quibus nullum habebat linguæ commercium. Quare jure Pluche dixit (1) *hominem a planta pedis uſque ad verticem capitis eſſe oratorem*, qui per hanc naturæ dialectum, ſigna naturalia utpote eadem apud omnes gentes quovis locorum intervallo a ſe invicem ſeparatas ubique intelligatur.

15. Mirum proinde non eſt quod tantopere placeant oratores in roſtris, & actores in theatris, qui non ſolum voce, ſed etiam manibus & tota corporis moderatione ſint arguti, nec quod veteres rhetores præcepta etiam de hac re in ſuis ſcholis ſoliti fuerint tradere præſertim de geſtu, de quo Quintilianus refert (2) librum etiam fuiſſe perſcriptum a Lucio Plotio, cujus magna cum laude meminit Cicero in Oratione pro Archia. Atque in ſcenicis actoribus ita celebris Romæ fuit Q. Roſcius, pro quo extat ejusdem Ciceronis oratio, ut quas ipſe fabulas repræſentaſſet, nemo poſſet juxta Horatium (3) impune minus bonas judicare, & juxta Ciceronem (4) *in quo quisque artificio excelleret, is in ſuo genere Roſcius diceretur*: Roſcius Gallicus reapſe appellatur apud Lacombem (5) Michael Baron comoedus præſtantiſſimus Pariſiis mortuus anno 1729.

16. Aliud illuſtre exemplum ſigni naturalis obvii habemus in externa vultus diſpoſitione, quæ illam animi ſæpius nobis invitis manifeſtat, ut proverbii loco ſit.

Eſt facies teſtis, quales intrinſecus eſtis.

Mirabile profecto eſt in auguſto faciei ſpatio naturaliter pingi quodammodo, ut ab omnibus ſtatim cognoſcantur affectus odii & amoris, triſtitiæ & gaudii, audaciæ & ignaviæ, furoris & manſuetudinis, crudelitatis & commiſerationis, levitatis & gravitatis, ſuperbiæ & modeſtiæ. Multo magis mirabile eſt illos ibidem apparere non tantum ſolos & inter ſe diviſos, ſed etiam conjunctos, & mutuo commixtos & ſub diverſis intentionis gradibus, quos in ſe habent. Maxime autem mirabile eſt repente deleri unius imaginem, & aliam perfici, prout anima ex improviſo tranſeat ab una ad aliam affectionem. Quid tandem dici debet de theatro ſimilium ſignorum, quod ſoli oculi aperiunt, qui a S. Auguſtino appellati fuerunt feneſtræ, ex quibus anima ſe exerit modo ridens aut lugens, modo invitans aut repellens, modo blandiens aut minans, modo concedens aut negans, modo uno aut alio aut multis ſimul affectibus agitata.

17. Quisque tam certus eſt de hac vultus & oculorum naturali ut ita dicam loquacitate, ut opus habeat conatu non mediocri ad illam cohibendam;

(1) Pl. Spett. t. 5. Entr. 3. Gouver. de l'homm.
(2) Qui l. XI. c. 3.
(3) Ho l. 2. ep. 1.
(4) Cic. de Orat.
(5) Lac. Diz. ar. Baron.

dam ; ſi forte velit ut taceant . Hinc celebrantur tamquam ſui mire compotes qui affectiones quas patiantur diſſimulent , & rurſus qui iis contrarias in aliorum damnum ſimulent , caventur & vituperantur tamquam mendaces , qui tamen propter rei difficultatem rariores ſunt , quam qui verbis mentiuntur juxta illud Ciceronis (1), *Frons oculi vultus perſæpe mentiuntur , oratio vero ſæpiſſime* . Democritus interea apud Plutarchum noluit hæc admirari , docens horum rationem eſſe quod e rebus omnibus perpetuo efflueret neſcio quid , quod imperium appellat (2) *& non modo haberet expreſſas & formam referentes corporum ſimilitudines , ſed & metuum animi , conſiliorum & affectionum tam lenium quam vehementium imagines , atque ita ea viſa accidere ad animum velut animata , & ſignificare opiniones eorum a quibus ſunt emiſſa , cogitationes, conatus* . Doctrina enim vero digna homine , qui temerario atomorum motu mundum hunc credidit extitiſſe .

18. Diverſæ tandem voces inartificiales , quas homines promunt pro diverſis animæ affectionibus , quibus ſubiiciantur , harum ſunt ſigna naturalia . Hoc modo cachinnus eſt ſignum lætitiæ , gemitus ægritudinis , contorſio doloris . A natura enim ita facti ſumus , ut quæ animam cruciant , clamore & gemitu ab ipſo ortu declaremus , & poſt dies ab ortu quadraginta etiam lacrymis , quo tempore etiam riſus primum apparet juxta Buffonium apud Valmontium de Bomare (3) ſignum affectionum , quæ jucunde animam afficiant . Alia deinde infantes dant horum ſignorum exempla , quia cum communiter ante tertium a nativitate annum non ſoleant loqui propter infirmitatem organorum , quæ ad hoc munus requiruntur , non ceſſant interea apprehenſiones ſuas ſignis naturalibus ſufficienter expromere . Quando Carteſius quæſivit (4) *rationem dictionum quæ naturaliter ſignificant , & ſunt in omnibus linguis*, abuſus eſt dictione pro voce . Dictio enim non ſignificat vocem utcunque , ſed articulatam , & ex his nullam novi , cujus recepta ſignificatio ſit naturalis , & ſimul communis omnibus linguis , ne exceptis quidem interiectionibus , quæ conſtent ex ſolis vocalibus , quoniam ſolum aliquæ ipſarum communes ſunt permultis linguis , ut oh & ah : non vero omnibus .

ARTICULUS III.

De ſignis idearum naturalibus minus obviis .

19. Signum naturale minus obvium , quod etiam occaſionale dicitur a Floriano Dalham (5) , habet pro ſua differentia ſpecifica , quod cognitio ſignati requirat aliquod ratiocinium . Atque ex his ſignis

(1) Cic. 1. ad Q. fratrem .
(2) Pl. Symp. l. 8. q. 10.
(3) Va. Diz. d'hiſt. ar. Homme.
(4) Ca. Epis. ad Merſen. in p. 2.
(5) Da. Pſychol. n. 16.

Digitized by Google

gnis alia ſunt quæ requirunt ratiocinium ſolis hominibus ratione utentibus proprium. Tale eſt ſignum proximæ æſtatis in foliis fici juxta illud (1) *cum ramus ejus tener fuerit & folia nata ſcitis quia prope eſt æſtas*. Item fumus ſignum ignis eſt in hoc ſigni genere. In tantum enim viſo fumo naſcitur naturaliter idea ignis, in quantum intervenit hic diſcurſus, quotieſcunque vidi fumum, inveni etiam ignem eſſe illius cauſſam: ergo hic etiam fumus qui mihi nunc objicitur eſt ab igne. Reduc enim te ſi potes ad primam fumi apprehenſionem, & intelliges illam caruiſſe apud te ratione ſigni ignis. Nam nonne accidit aliquando ut incendium extiterit, quod puer tunc tandem clamoribus enunciavit, quando fumum quem contemplabatur, vidit converſum in flammam ſibi minitantem?

20. Ad hæc ſigna ſpectat vox, quæ excitat ideam animalis quod vivit, quod manifeſtat aliquam ſuam apprehenſionem aut affectionem, quod præditum eſt pulmonibus & aliis ad hoc opus organis neceſſariis. Nam vocem uſurpamus, prout definitur poſt Ariſtotelem (2) ſonus vocalibus inſtrumentis formatus ab animali ad ſignificandam aliquam ſuam cognitionem: Quæ definitio pertinent ad vocem proprie ſumptam. Cum enim vox dicitur de muſicis inſtrumentis ut organo & tibia, improprie ſumitur propter quamdam ſimilitudinem in ſtrepitu. Eadem de cauſſa vox improprie eſt cicadæ cantus quando ab ore ipſarum non procedat, ſed a quadam cartilagine circa ſtomachum tenſa & commota. In hujusmodi tandem ſignorum numero eſt totus hic mundus, ſignum ſcilicet perfectionum Dei per quem omnia exiſtunt gubernantur & conſervantur. (3) *Mundus* inquit S. Auguſtinus *ordinatiſſima ſua mutabilitate & mobilitate & viſibilium omnium pulcherrima ſpecie quodammodo tacitus & factum ſe eſſe & non niſi a Deo ineffabiliter & inviſibiliter magno & ineffabiliter & inviſibiliter pulchro fieri ſe potuiſſe proclamat*.

21. Ex pari ratione in his ſignis ſunt miracula, ſignaque reapſe in ſacris literis frequenter appellantur, Divinæ ſcilicet vel præſentiæ vel potentiæ vel providentiæ vel veracitatis vel alterius cujuscunque perfectionis, cujusmodi fuerunt, quæ contra Pharaonem & Ægyptios patrata fuerunt pro Hebræis, & quæ pro religione chriſtiana facta olim fuerunt, & pro catholica identidem renovantur. Hæc ſigna quantum ad eorum cauſſam ſupernaturalia ſunt, ſed quantum ad ſignificationem naturalia eſſe ſuadetur, quia nunquam non obtinent cognitionem & perſuaſionem ſaltem tacitam ejus propter quod patrantur ex alibi (4) dictis. Alia ex ſignis naturalibus ſunt, quæ in ratione ſigni dependent a ratiocinio, non jam omnibus obvio, ſed iis ſolum qui in aliqua facultate ſint exercitati. Hujusmodi ſigna ſunt apud medicos certæ arteriarum pulſationes, & quædam

 cor-

(1) Matt. c. 24. p. 32.
(2) Ar. de Anim. l. 2. tex. 87.
(3) Au. de Civ. l. XI. c. 4.
(4) De Mirac. n. 1394. epit. edit. 3.

corporis affectiones, ex quibus (1) *ſolis*, inquit Fernelius, *morbi in intimo corporis receſſu conditi, qui neque cerni neque ſenſu ullo percipi poſſunt, intelliguntur*. Atque hinc ut advertit Vanſwieten (2) in medica facultate *doctrina ſignorum omnino neceſſaria, hinc adeo operoſus in narrandis ſignis Hippocrates*.

22. Alia præterea dantur ſigna, quæ dependent a ratiocinio cuivis animæ cognoſcenti obvio quin tamen iis aliquando reſpondeat ſignatum. Hujuſmodi ſignum eſt reſpiratio animalis, ſcilicet ſignum ipſius vitæ, & rurſus carentia reſpirationis, ſicuti etiam immobilitas & inſenſibilitas vulgo habentur pro ſignis mortis. At hæc non raro fallunt non ſolum bruta, quæ aliquando ab hominibus in ſuam utilitatem ſic decepta fuerunt, ſed etiam homines attentos & ſapientes præſertim quando agitur de laborantibus peſte aut morbis acutis, aut affectionibus hyſtericis. Quamobrem cautum eſt legibus, ut nemo ſepeliatur ſtatim a morte, & multa propoſita fuerunt consilia præſertim a Jacobo Joanne Bruchierio in ſua non ſemel gallice edita diſſertatione *de incertitudine ſignorum mortis*, cujus ſuccum dant Trevoltiani (3), in qua ea quæ habenda ſint pro certis mortis ſignis declarantur.

23. Alia tandem ſunt ſigna naturalia, quæ in ratione ſigni dependent quidem a quodam ratiocinio, ſed quod commune eſt etiam infantibus & brutis. Exemplis rem declaro, quæ afferri etiam poſſunt in tractatu de idearum conſociatione, de qua alibi (4) dixi. Itaque videmus infantes ſæpius deportatos in cubiculum matrum, quæ iiſdem blandiri ſoleant, ita aſſueſcere perceptioni cubiculi ſimul & matris, ut quoties illuc deferantur, ſtatim matrem etiam ſe imaginari oſtendant dolentes ſi hanc ibidem forte non reperiant. Evaſit igitur relate ad illos perceptio cubiculi ſignum occaſionale perceptionis matris. In brutis exempla ſunt continua præſertim in jumentis, quibus voces & geſtus hominis ſtatim excitant ideam hujus vel illius motus, qui ab ipſis exigitur. Vidi ego felem, qui vehementer verberatus a promo intra cellam promptuariam, propterea quod eam ingreſſus bene paſtus fuerat iis, quæ ibi repererat, nunquam amplius pedem illuc intuliſſe, etiamſi a promo vocaretur, cui ejulatibus reſpondebat, quaſi diceret, quid me vis iterum cædere, utpote percipiens verbera ſimul cum cella, nec diſtinguens cauſſam verberum non fuiſſe cellam ſed ſuum latrocinium.

S E-

(1) Fe. Medic. de ſympt. ac ſign. l. 1. c. 1. p. 1.

(2) Va. Boher. aphor proleg. §. 6. to. 1.

(3) Tr. ann. 1749. ar. 49.

(4) De Ideis. n. 405. edit. 2.

SECTIO II.

De Signis idearum arbitrariis.

24. SIgnum arbitrarium eſt res ſenſibilis quæ præter cognitionem ſui alterius etiam cognitionem excitat propter nexum inter utrunque, qui dependet ab arbitrio hominum. Si hoc arbitrium fundetur in ſola conſuetudine, habetur ſignum arbitrarium ex conſuetudine, ſin fundetur in ea conſuetudine, quæ ſecum habeat particulare pactum hominum circa uſum hujusmodi ſigni, illud erit ſignum arbitrarium ex pacto. Signum autem ex conſuetudine ſecus ac illud ex pacto non includit obligationem eo non utendi niſi pro certis rebus ſignificandis. Quare poſitio ſigni, quod tale ſit ſolum ex conſuetudine, non eſt argumentum ſatis firmum, ut quis aliud etiam concludat exiſtere, quemadmodum jure facit, cum quid noverit poſitum quod ex pacto eſt ſignum alterius.

ARTICULUS I.

De ſignis idearum ex conſuetudine & ex pacto.

25. EXemplum ſigni ex conſuetudine, cui aliquando non reſpondet objectum ſignificatum habemus in veſtibus femineis aut plebeis aut religioſis, quas viri aut nobiles aut milites induant. Habemus etiam in omnibus actibus, quibus licite conamur actiones vel intentiones noſtras occultare, vel bonum aliquod procurare præponderans malo erroris, qui prævideatur in aliis per errorem imprudentiam vel imperitiam ſequuturus. Hinc ſine ullius legitima reprehenſione ſtratagemata in bellis adhibentur.

26. Ex ſignis arbitrariis ex pacto exemplum primarium ſunt verba quibus conſtat loquutio, ſed cum de hoc ſigno inferius diſtinctim agam, hic ſolum commemorabo certa verba, quæ militibus poſitis in excubiis dantur a ſuis ducibus, quæ ſi repetunt qui eisdem accedant, cenſentur amici, ſecus tractantur ut hoſtes. Aliud exemplum habemus in vexillis, quorum uſus antiquiſſimus eſt; Legimus enim in ſacris literis, quod (1) *ſinguli per turmas ſigna atque vexilla & domos cognationum ſuarum caſtrametabantur filii Iſrael*, quæ proinde neceſſe eſt per ſingulas tribus fuiſſe diverſa vel colore vel forma vel figura aliqua in ipſis depicta. Hebræi apud Emmanu. Sa dicunt *in vexillo Judæ fuiſſe leonem, Ruben hominem, Ephraim bovem, Dan aquilam*. De vexillis aliarum tribuum meminit Kircher (2) qui auctorum hebræorum concepta verba etiam refert. Inter-

 cedit

(1) Num. c. 2. v. 2.

(2) Ki. Oedip. to. 2. cla. 1. c. 3.

cedit autem Samuel Bochartus apud Io Nicolaum (1), qui hæc habet pro figmento, quandoquidem ex lege Dei Hebræi nullam habebant imaginem, appellans credo ad illud (2). *Non facies tibi ſculptile*, & reliqua. At hæc ratio nulla eſt, quia ibi prohibetur quævis imago facta ad eam colendam pro Deo, ut contextus exigit, & notat Sa, adeoque communiter interpretes.

27. Imagines pro vexillis ſine ulla controverſia fuerunt in uſu apud alias gentes, ut apud Romanos præter aquilam teſte Plinio (3) lupus, minotaurus, equus, & aper. Hujusmodi vel per colores vel per imagines diſtinctiones apparent in hodiernis vexillis, quæ expoſita ſupra turres, arces, & naves, militibus civibus amicis, & inimicis diverſa enunciant. Nunc ſinguli etiam milites per colorem teniæ, quam apte in nodum complicatam ſupra ſiniſtram pilei partem geſtant, ſub quo principe mereant, ſtatim ſignificant. Itaque ex viridi Auſtriaci, ex alba Galli, ex rubra Hiſpani diſtinguuntur. Ejusdem generis ſignum erat ſub Imperatoribus velum appenſum ædificiis vel prædiis, habens fortaſſe imaginem, vel nomen Imperatoris, quod declarabat ea ad dominium regium jam tranſiſſe. Tituli vocabantur etiam hæc vela, ut oſtendit Baronius (4).

28. Nunc Romæ ramus viridis rem e qua pendet, vendibilem denotat. Ibidem antiquitus haſta in foro fixa ſignificabat publicum judicium vel publicam bonorum venditionem. Quare haſta centumviralis dictum etiam fuit judicium a Centumviris coram populo per haſtam expoſitam prævie indictum, & venditio ipſa nomine Reipublicæ facta vocabatur haſta fiſcalis, ut paſſim Intetpretes habent ad titulum Codicis *de Fide & jure haſtæ fiſcalis*. Alia ſigni atbitrarii exempla habemus in certis tubarum & tympanorum modulationibus, quæ ſignificant determinatas ducum voluntates: in nolarum ſonitu alio pro feſtis, alio pro moeſtis eventibus, & alio pro imminentibus vel ab igne vel ab hoſtibus vel a latronibus periculis: in imaginibus quæ ſubſtituuntur ad ſignificandas res inſenſibiles ut cum caritatem ſignificamus ſub imagine feminæ lactantis, & Angelum ſub forma juvenis alati. Tam multæ hæ ſunt ut ex illis extiterit quædam diſciplina, quæ Iconologia appellatur, de qua eam partem, quæ magis utilis videtur poeſeos ſtudioſis brevi ob oculos ſubjecit Io. Baptiſta Biſſo Panormitanus in fine ſuæ italicæ *Introductionis ad vernaculam poeſim* juxta ſeptimam editionem, quam anno 1777. Romæ protulit, ubi obiit IV. nonas Septembris anni 1787. exul, quia e Soc. I. erat. Hujusmodi ſigna quæ rem aliquam denotant ex quadam analogia quam habent cum attributis rei magis perſpicuis, proprie dicuntur ſymbola.

29. Signa ex pacto arbitraria ſunt etiam characteres; Nam quis non videt nullam in iis eſſe naturalem connexionem cum ullo vocali ſono, aut cum hoc potius quo ſolent efferri quam cum alio, qui cuivis poterat at-

tri-

(1) Ni. Sigl. veter. c. 26. n. 4.
(2) Exod. c. 20.
(3) Pl. Hiſt. l. 10. c. 4.
(4) Ba. ann. Chris. 112. n. 5.

Digitized by Google

tribui. Sed quid plura? cum hi ſint ſigna vocum, harum etiam conditionem ſequantur neceſſe eſt. Quare ſicuti qui ſurdi & muti naſcuntur naturaliter inhabiles ſunt ad voces articulatas, ita etiam impediuntur ab exercitio ſcribendi appoſite ad ſenſus animi ſui exprimendos, etſi poſſunt, quæ ſcripta jam ſunt tranſcribere ad inſtar pictoris qui aliquam imaginem imitatur. Quando vero hi ſurdi, qui vitio dumtaxat aurium laborent, ſibi comparent, ea induſtria & mentis contentione, de qua in fine hujus tractatus dicam, loquelam eorum quibuſcum vivant, tunc poterunt etiam illorum ſcribendi artem loquutioni reſpondentem addiſcere.

30. Signum tam naturale quam arbitrarium dividitur in demonſtrativum, cujuſmodi eſt cum ſignificat rem præſentem: in prognoſticon cum ſignificat futuram: in rememorativum cum præteritam. Hanc diviſionem habet Iacobus Carpovius (1) poſt Scotum (2) & Card. Ptolemæum (3) qui alias adhuc ſigni diviſiones proponit. Mihi nunc ſatis eſt facta diviſio.

Articulus II.

De dignitate loquutionis in ratione ſigni arbitrarii.

31. In ſignis arbitrariis primas obtinet loquutio, quo nomine intelligo, ſicut vulgo ſolet, manifeſtationem idearum animi quæ alios latent factam per verba cognitæ ab illis ſignificationis. Loquutio enim non ſolum eſt hujuſmodi ſignorum fons inhexauſtus, ut nemo non aſſentiatur S. Auguſtino obſervanti (4) *omnia ſigna verbis comparata pauciſſima eſſe*, ſed etiam eſt quid intrinſeca ſua natura præſtantiſſimum, ut Auctores paſſim in ea agnoſcant argumentum aliquod noſtræ cum Deo ſimilitudinis, ad quam ſcriptum eſt hominem fuiſſe conditum. Per loquelam certe illius facultates in immenſum amplificantur; Agere enim hac via de omnibus poteſt tam de iis quæ ſecum conjuncta ſint ſibique præſentia, quam de iis quae ſint a ſe ſejuncta & per quamcunque praeteriti aut futuri temporis differentiam a ſe ſeparata: Poteſt ab aliis intimos illorum ſenſus cognoſcere ſuoſque illis communicare & perpetuum cum iis commercium utriſque utile promovere & conſervare. Poteſt ipſimet Deo ſuo creatori ſtudioſius inſervire, in ejus gloriam impenſius incumbere, ipſius laudes latius propagare, nova ab eo beneficia expoſcere, quaſvis tandem animi ſui affectiones eidem ardentius ſignificare. Cum haec vera ſint, illud falſum omnino eſt, quod aliqui, quos ſub finem libri impugnabo, tenent mutos propter nativam ſurditatem omni vel fere omni uſu rationis carere.

32. Loquutionis dignitatem Plutarchus expreſſit dicens (5) *Nihil divinius*

(1) Ca. de perfec. ling. n. 3.
(2) Sc. in 4. diſt. 1. q. 6.
(3) Pt. Phil. diſ. 21. Logico. phy. ſec. 4.
(4) Aug. de Doc. chri. l. 2. c. 3.
(5) Pl. de Iſid. poſt med.

Digitized by Google

cinius homini obtingere potuit, *neque majus res ulla ad felicitatem momentum affert*. Quod ſignificantius denotant Sacrae Literae uſurpantes os pro mente, qua evidens eſt nihil eſſe praeſtantius. In quo ſenſu ſcriptum eſt (1) *Os juſti meditabitur ſapientiam*: Illudque (2) *Ego ex ore Altiſſimi prodivi* ſumitur communiter ut exprimens generationem ſecundae in Trinitate Perſonae per Intellectum Divinum dum perfectiſſime naturam ſuam comprehendit.

33. Ipſa neceſſaria dependentia, quam loquutio ex ſua origine ac inſtitutione habet a mente ſuam cum ipſa connexionem oſtendit. Cum enim ea ſit manifeſtatio idearum per verba, hæc plane poſtulat reflexionem, quae actus mentis eſt, ſupra ipſas, quae intus latebant, & electionem talium vocum, per quas illae in medium quodammodo producantur. Facimus quidem hujusmodi reflexiones per quamdam conſuetudinem tanta animi celeritate, ut qui Philoſophi non ſunt, tunc ſolum ſibi perſuadent loquutionem imbibere reflexionem ſupra ideas animi, quando taciti inter ſe exquirant verba, quae clarius exprimant quod ſentiunt de re, quae maxime ſua interſit. Atque hinc intelligimus, quare nullum ex brutis loquutionem proprie dictam hoc eſt ex articulatis vocibus compoſitam habeat, etiamſi aliqua ex illis ut pſittaci & picae quibus latior eſt lingua, inveniantur apta ad diſcendas & proferendas plures hujusmodi voces, quia ſcilicet nullum illorum habet mentem.

34. Quoniam elementum loquutionis eſt vox humana, hanc equidem dico bene definiri poſſe ſonum per glottidem hominis excitatum. Porro glottis eſt apertura ovalis, in quam deſinit larynx, aſperae arteriae caput faucibus confine, eamque membrana cartilaginoſa epiglottis dicta operit & detegit pro reciprocatione reſpirationis. Haec definitio tenenda eſt, quia poſt Andream Veſalium (3) Dodartus & Ferreinius Academici Pariſienſes apud Biwaldum (4) glottidem comprobarunt eſſe praecipuum vocis inſtrumentum, quatenus aer percutitur a fibris quibus glottis conſtat, quae tremulae fiunt ab ipſo aere erumpente cum quadam acceleratione, propterea quod ex amplo aſperae arteriae ſpatio ad anguſtias glottidis redigitur. Qui organum vocis humanae dicunt eſſe in genere tibiarum, ſeu pneumaticum, habent prae oculis aſperam arteriam tibiae ſimilem: qui vero dicunt eſſe in genere fidium, ſeu ceu lyram, ſi reſpiciant ad fibras glottidis, magis philoſophice hi loquuntur, qui proximum organum, quam alii qui remotum dumtaxat proponunt, qui tandem reſpiciant ad totam buccam, in quam tamquam in lyram lingua tamquam plectrum agat, hi minus ceteris accedunt ad loquutionis notionem philoſophicam, imitati veteres latinos, qui ut ait Cicero (5) *Plectri ſimilem linguam noſtri ſolent dicere*, *chordarum dentes*.

35. Quor-

(1) Pſal. 39 v. 40.
(2) Eccli. 24. v. 5.
(3) Ve. l. 6. a c. 4.
(4) Bi. Phyſ. parti. n. 88. ſch. 6.
(5) Ci. de natu.

Digitized by Google

35. Quoniam compertum eſt non reſpirare foetus viviparorum, niſi poſtqnam in lucem venerunt, ideo lamenta, quæ aliquæ feminæ dixerunt ſe audiſſe a ſuis foetibus adhuc in utero incluſis, pro fabulis & ludibriis illarum phantaſiæ habenda ſunt. Gaſpar Schottus vocem definivit eſſe (1) *ſonum ab homine editum ope aſperæ arteriæ laryngis & epiglottidis*: Carpovius vero dixit (2) eſſe ſonum per laryngem hominis excitatum. Utraque definitio rejicitur, quia remotas cauſas vocis nominat, & de proxima ſilent. Zeno apud Laertium (3) & Anaxagoras apud Plutarchum (4) & Senecam (5) definierunt vocem eſſe *aerem reſpiratione verberatum*, quæ definitio incidit in jam datam, ſi addas a tremula glottide.

36. Lactantio tamen non placuit, propterea quod (6) *vox* inquit *non extra os gignitur ſed intra*, quaſi vero intra os non ſit aer, qui reſpiratione verberatur, aut aer extra os poſitus non recipiat ab aere intra os motum tremulum, qui eſt cauſſa formalis ſoni objectivi adeoque & vocis. ſed non poterat ille ullam definitionem vocis probare, qui profeſſus erat (7) *non eſſe comprehenſum, quomodo vox fiat aut quid ſit omnino*. In quo mihi videor videre ipſum habuiſſe præ oculis quæſtionem veterum de voce, an ſit corpus ut volebant Stoici ex Gellio (8) Laertio (9) & Plutarcho (10) qui eorum argumenta affert, an quid incorporeum quod tenebant Pithagoras Plato & Ariſtoteles. Quæ quæſtio facilis nunc ſolutionis eſt, poſtquam novimus diſtingui oportere voces objectivas, ſive prout ſunt cauſſa ſenſationis, & voces ſubjectivas, ſive prout ſunt talis determinata ſenſatio; Nam hac diſtinctione poſita vox objectiva invenitur eſſe non quidem corpus, ſed quid corporeum utpote motus aeris tremulus, ſive ſonus jam explicatus: vox vero ſubjectiva invenitur eſſe quid ſpirituale conveniens animæ. Illa enim vero aliorum definitio, vox eſt ſonus ore hominis prolatus mala eſt. Nam ut bene Carpovius arguit, qui dentes dentibus illidat, qui buccam inflet & repente diſrumpat, excitant ſonum ore ſed non vocem. Sed his omiſſis dicendum ſingillatim de duabus vocis humanæ ſpeciebus, quarum altera eſt vox non articulata, & altera articulata.

Articulus III.

De elementis loquutionis.

37. Literæ ſine quibus nulla eſt loquutio, immo ne ulla quidem vox hominis, & ex quibus conſtat cujuſcumque linguæ alphabetum, aliæ

(1) Sc. Magi. p. 2. ſyn. 4. c. 2. cor. 1.
(2) Ca. de perf. lin. n. 7.
(3) La. l. 7. ſegm. 55.
(4) Pl. de plac. l. 4. c. 19.
(5) Se. quæſ. nat. l. 2.
(6) La de opif. c. 15. n. 2.
(7) Ibid. n. 4.
(8) Ge. Noct. atti. l. 5. c. 15.
(9) La. l. 7. ſeg 55.
(10) Pl. de Placi. l. 4. c. 20.

Digitized by Google

aliæ vocales, aliæ conſonantes appellantur. Vocales ſunt a, e, i, o, u, ſic dictæ, quia ſingulæ per ſe ſolæ vocem ſeu ſonum reddunt abſolutum, dum per os apertum aer emittitur cum certa pro ſingulis directione ac modificatione. Itaque hoc exeunte cum quadam intra os compreſſione habetur A ſoni clari & ut ita dicam virilis: ſi directio aeris fiat nares verſus, ille dat I ſoni delicati & acuti: ſi in palato collidatur, dat E, quæ de claritate A, & ſtridore I participat: ſi in labiis, reboat O ſonora & clamoſa: ſi in labiis ſimul & dentibus, reſonat U obſcura & terrifica. Diſtinctius hæ vocales pronunciantur, ſi oris ipſius diverſa accedat conformatio magis patula pro A, minus pro E, & adhuc minus pro I, rotunda pro O, & rotunda pariter ſed anguſta pro U. Fromondus obſervationes in vocalium pronunciatione bene ſic promovet, (1) *Vocalis A in imo gutture biante larynge profertur, E paulo ſuperius, I medium oris occupat, O finem, & labiis ad ſimilitudinem figuræ qua latini eam ſignram pingunt, corrotundatis, quaſi vomunt, V compreſſis labiis exſibilatur.*

38. Qui obſervet vocales E & O unum ſonum edere patulo gutture prolatas ut faciunt latini in his verbis *ſedere* & *voto*: alium vero ſi compreſſo & anguſtato gutture pronunciantur, prout exigit italica eorumdem verborum verſio, intelliget quinque communiter dici vocales habita ratione ad diverſam dumtaxat oris aperturam, a qua ipſarum pronunciatio apparenter dependet: quod ſi illa etiam gutturis obſervetur, jam earum numerus augetur. Ad retinendum numerum quinarium concurrit conſuetudo utendi eodem charactere E & O, tam in aperta. quam in reſtricta earum prolatione: quod non caret aliquo incommodo; Nam occurrunt verba, quorum ſenſus ita dependet a modo quo eæ efferuntur, ut toto cælo diverſus ſit pro ipſius diverſitate. Ita ſi E promatur anguſto ore in italicis vocibus *mezzo* e *correſſi* ſignificant idem, ac latinæ vietum, & currerem, ſin patulo, ſignificant medium & correxi: & *mozzo* ac *voto* pronunciata in italia cum O anguſtato ſunt mediaſtinus ac votum latinorum, cum O autem aperto ſunt modiolus & vacuum. Quare ad determinandum harum vocalium ſonum Jo.Georgius Triſſinus Vicentinus mortuus an.1550. ætatis ſuæ 72. omni ſtudio conatus fuit introducere in italicum alphabetum characteres literarum græcarum eta & omega. Sed ejus conatus non ſolum irritus fuit, ſed vehementer etiam impugnatus ab Angelo Firenzuola in opuſculo italico, *expulſio novarum literarum*, quod qui legerit dicet, an inter ejus argumenta ſit illud deſumptum a veterum latinorum exemplo, qui literam A, quam teſte Priſciano decem diverſis modis pronunciabant, uno tantum modo ſemper ſcripſerunt. Sonus vocalium proprius eſt homini, animalia enim bruta, & quaevis muſica inſtrumenta ſuos ſingula promunt ſonos, ſed in nullo horum ullam obſervamus vocalem.

39. Conſonantes ſunt diverſae vocalium modificationes, quas ipſae acquirunt, dum ſpiritus e gutture erumpens variis modis temperatur a lingua

(1) Fr. de Ani. l.3. c.4. ar.3.

Digitized by Google

gua vel palato, vel labiis, vel dentibus vel naribus. Quare aliae ſolent ad illarum poteſtatem melius dignoſcendam appellari palatinae, ut C, G: aliae labiales, ut B, P cum mutua labiorum preſſione, ſed levi pro B, vehementi pro P. Aliae dentales, ut D, T, Z: aliae linguales ut L, & R: aliae gutturales ut H, K, & Q: & aliae propriae naribus ut M, N: aliae ad plura hujuſmodi organa ſimul ſpectant, quatenus a multis depeudet earum pronunciatio. Ita F opus habet labiis & dentibus: L lingua & palato: M labiis & naribus; ſine labiis enim nulla eſt ipſius pronunciatio & obſtructis naribus difficilis eſt & obtuſa: N etiam naribus indiget & dentibus, & X dentibus ſimul & gutture.

40. Bene conſonantes appellantur, quia cum vocalibus ſonant, non vero ſine ipſis. Atque quae per vocales ſonum inchoant, ſemivocales dicuntur, cujuſmodi in lingua latina ſunt hae ſeptem F L M N R S X: quae autem a ſe incipientes in vocales deſinunt B C D G P Q T, mutas placuit appellare. Obſervatum eſt ab Herva (1) omnes fere linguas appellare ſingula loquelae organa eo nomine, quod praeſefert literam vel ſyllabam, quae ſi tale organum deficiat vel ſit impeditum non poteſt pronunciari. Itaque apud latinos in nomine dentium dominantur dentales literae D & T: in illo labiorum labialis B: in illo linguae lingualis L: in illo palati palatina ſyllaba La: in illo gulae gutturalis G ſed aſpirata, hoc eſt gh: & in illo naſi ſyllaba Na, quae manifeſtam habet a naribus dependentiam. Nomina etiam actionum, quae ſingulis his organis propriae ſunt, inveniuntur retinere literas, quae ab iiſdem dependent. Ita apud eoſdem latinos labialis L conſpicua eſt in lambere, loqui, legere, actionibus linguae: labialis B, in bibo & baſium, actionibus, quae indigent labiis: dentalis D in mordeo, gutturalis G in glutio, & quae naſo indiget in ipſo naſi & narium nomine.

41. Poſtquam compertum eſt vocabula quae relationem habent ad organa vocis, in omnibus fere linguis literas in ſe habere, quae ab his organis nomen deſumunt, jure idem Hervas (2) advertit, ea ſicuti etiam illa, quae onomatopeja appellantur, hoc eſt formata ſecundum naturalem rerum ſonum, vel aliquam ipſarum qoalitatem omnibus ſenſibilem, afferri non poſſe pro argumento affinitatis linguarum. Ideo enim hae literae communes ſunt plerisque linguis in hujuſmodi appellationibus, quia Deus auctor linguarum, & rerum omnium ſapientiſſimus, utitur mediis ad finem omnium maxime opportunis. Sola igitur vocabula, quae, cum has relationes non habeant, arbitraria dicas, poterunt in argumentum affinitatis linguarum adhiberi.

42. Litera A ex vocalibus omnium facillime pronunciatur, & proinde prima eſt, quae ab Infantibus audiatur. Atque hanc dixerim eſſe cauſſam cur pleraeque linguae primum ipſi locum dederint in ſuis alphabetis. Ex conſonantibus vero B, P, M pronunciatu faciles ſupra ceteras

C eſſe

(1) He. Idea. to.18. n.17.

(2) He. Idea. to.18. n.226.

eſſe ſuadent iidem infantes, qui ut obſervarunt Buffonius (1), Eximenus (2), & alii per has dumtaxat literas exprimunt primas ſuas de genitoribus cognitiones & affectiones; ſiquidem A nihil aliud poſtulat ad ſui prolationem, quam ut per os apertum vox emittatur, & labiales jam dictae ſolo labiorum organo indigent, quod uſque ab infantia eſt quantum ſatis ad hunc etiam uſum opportunum: ceterae vero literae non poſſunt ab infantibus ſentiri, quia vel nondum habent neceſſaria pro illis organa, vel opus eſt quadam dexteritate in eorum exercitio, quae ſolo uſu acquiritur. Itaque a pueris in Etruria pater dicitur babbo, in Gallia papa, in Graecia pappa, & in plerisque linguis hae infantiles literae retinentur in appellatione patris uſitata etiam extra pueritiam, ut videre eſt apud Hervam (3) qui hoc nomen pater oculis ſubiecit in linguis octoginta ſupra centum.

43. Cantabri apud eumdem (4) matrem appellant *Ama*, ſic vero (5) patrem Tartari Manchæi, ex quo nomine erit qui repetat originem nominis *amor*, cjusque genuinam ſignificationem, ſcilicet amoris. qui ſuperat dilectionem, ſive eſt omnium maximus, qualis eſt parentum in filios. Græci & Latini præſertim veteres, Itali & Arabes noſtrorum temporum matrem appellant *Mamma*, & in eodem ſenſu *mama* uſurpant permultæ orbis terrarum nationes, ut videre eſt unico quaſi obtutu iu lexico polyglotto Hervæ (6), quibus addo incolas Tideræ, quæ eſt una ex Moluchiis. Idem de pluribus Americæ nationibus referunt teſtes ex auditu ſuo Condamine (7) & Philippus Salvator Gilius (8) natus Ligoniæ pago dioeceſis Spoletinæ anno 1721. in ſua hiſtoria de ea Americæ parte, ad quam cum eſſet e Soc. I. anno 1742. commigravit, pluresque in ea annos prædicationis evangelicæ gratia fuit commoratus.

44. In ſola lingua Araucana in America meridionali auditur *papai* pro matre; & in ſola Iberia *mama* pro patre, in ceteris autem linguis uſque ad hoc tempus cognitis quae his nominibus utuntur nunquam *papa* ſignificat matrem, nec *mamma* patrem, quod admirati fuerunt Condamine & Gilius. Numquid hæc nomina remanſerunt ex lingua quam omnes homines ante illius confuſionem factam apud Babel unice loquebantur? Eadem certe confirmant illud ſacrae Scripturae (9) *Deus fecit ex uno omne genus hominum inhabitare ſuper univerſam faciem terræ*. Ex hujusmodi obſervationibus manifeſtum eſt, cur infantium loquela, cui accedit illa blaeſorum, dicatur ab Iſaia (10) *loquela labii*.

45. Ceteris omiſſis, quae de ſingulis literis docent grammatici, & omnium ſubtiliſſime Io. Conradus Amman, ut videre eſt aliquatenus apud Trevol-

(1) Bu. Hiſt. to.2. c.2.
(2) Ex. Muſica. l.2 c.3. n.2.
(3) He. idea. to. 19. n.134.
(4) He. Idea to.17. n.344.
(5) He. Idea. to. 20. n. 53.
(6) He. Idea. to. 20.
(7) Co. Voyag. a l' Amer.
(8) Gi. Stor. to.3. l.3. c.3.
(9) Act c.17. v.26.
(10) Iſa. c.28. v.11.

Digitized by Google

Trevoltianos (1), equidem illud tantummodo animadvertam conſonantes, quae indigent ad ſui pronunciationem lingua paucas eſſe. Quare non eſt incredibile, quod in bibliotheca britannica (2), & ex illa in hiſtoria Guerii *de Anima brutorum* (3) narratur, Inventos eſſe plures, qui lingua etiam reciſa vel corrupta & amiſſa adhuc loquerentur ut intelligerentur. Allata ab his exempla Hervas recentiſſime auxit referéns aliqua, quae propius noſtris temporibus contigerunt (4). Sed quod etiam poſt avulſam, ſeu reciſam linguam expedite quis loquatur, & perfecte pronunciet voces omnes, hoc enim vero miraculum eſt, quale ut alibi dixi (5) plures auctores teſtes de viſu admirati ſunt in catholicis ſic immaniter mutilatis in perſequutione Vandalica ſub Hunnerico ſæculo Eccleſiae quinto. Nam ſi ad aliquas literas proferendas compertum eſt opus eſſe lingua, jam nemo naturaliter poteſt ſine lingua eodem expedito modo loqui, quo cum eam haberet faciebat. Addo talem eſſe linguæ influxum in aliis etiam literis, quæ ſine ipſa efferri poſſunt, & multo magis in earum inter ſe conjunctione, ut nomen linguæ, quod inſtitutum fuerat ad ſignificandum hoc pro loquutione datum nobis organum opportune mobiliſſimum, evaluerit loquutioni proprium potius, quam ipſi ejusque organo commune.

46. Omnes linguæ habent vocales & conſonantes, & ex utrisque conſtat alphabetum earum, quae hoc proponunt; Nam aliquae ut Sinica, hujusque dialecti eo carent. Praeterea aliquae orientales linguae, ut Hebraica, vocales habent extra alphabetum utpote ab aliquibus excogitatas, & additas antiquis libris, poſtquam viderunt cum morte hujusmodi linguarum, quam jam ſubjerant, perituram etiam antiquam pronunciationem, & intelligentiam, quam ex patribus filii recipiebant. Qui enim cum Calmet (6) dicunt ne hebraicum quidem alphabetum carere vocalibus, quia in eo habentur aleph he vau iod, quarum poteſtas eſt a, e, u, i, non admittunt hujus linguae peritiſſimi, qui has pronunciant pro una ex vocalibus deinde excogitatis, qua afficiantur. Quare accidit ut non proferantur conſtanter juxta eam poteſtatem, quam hi ſingulis tribuerunt.

Articulus IIII.

De numero literarum diverſo in diverſis linguis.

47. IN numero literarum, quæ per alphabetum exhibentur, non conveniunt omnes linguæ. In latina ſunt tres & viginti: ex his conſonantes ſunt ſeptemdecim, & vocales ſex, computata y, quæ locum habet in ſolis dictionibus græcis, quin tamen nos modo aliter quam per i vel u pronunciemus. In græca ſunt quatuor & viginti Si quis tamen in

(1) Tr. ann. 1748. ar. 8.
(2) Bi. to.21. p.2. ar.4.
(3) Gu, to.2. c,1.
(4) He. Idea. to.18 n.5.
(5) De Mirac. n.12; 8. 3. edit.
(6) Ca. Dict. ar. Litera.

incenſum revocet uſitatos jam characteres j & v, in quos transformatur i & u cum ex vocalibus fiunt conſonantes, & ſiquis præterea excuderet novas figuras pro diverſo ſono, quem Itali tribuunt vocalibus e & u, & quibusdam conſonantibus, hi numero viginti literarum adderent undecim. Nam ut ait & probat Corticellius, apud Italos (1) *conſonantes habent ſonos diverſos viginti & ſeptem propter horum multiplicationem, quæ præcipue naſcitur ex c, g, & z.* Hebraica, Samaritana, Chaldæa, Syriaca tam antiqua, quæ Eſtrangelo appellatur, quam non antiqua habent literas duas ſupra viginti. Armena triginta novem, Aetiopica ſive Abiſſina ſex ſupra viginti. Arabica viginti novem. Harum omnium figuras cum ipſarum poteſtate videsis apud Kircherum, qui ſingularum alphabetum protulit in ſuo Prodromo Copto (2).

48. Coptica vetus habet viginti, quæ eadem eſt cum veteri Aegyptia, quoniam Coptus Aegypti urbs fuit: Coptica autem hujus temporis, quæ adoptavit vocabula plurium linguarum habet juxta Raphaelem Tukium (3), & Hervam (4) unam vel duas ſupra triginta. Illyrica quadraginta. Ruthena duas ſupra quadraginta. Malaya maxime uſitata in commercio orientalium literis conſtat viginti. ſed in his non ſunt vocales a, i, o, u, quæ per puncta deſignantur. Manchæa ſatis diffuſa per Tartariam orientalem literas numerat plusquam ſexaginta auctore Avril in ſuo gallico libro de itineribus apud Hervam (5). Agius de Soldanis ſex & viginti tribuit linguæ Melitenſi in hujus italica grammatica, quam Romæ anno 1750. publicavit contendens eam eſſe antiquam Punicam. In Thibetana literæ ſunt centum & viginti; Nam Herva auctore (6) præter quatuor vocales in ea ſunt decem aliæ literæ ſimplices, & decem duplices, & ſex ſupra nonaginta alii characteres compoſiti ex conſonantibus ſimul & vocalibus.

49. In ipſo vocalium numero diſſentiunt linguæ. Hebræa caret vocali o, & etiam Chaldæa, quæ utitur a, ubi in ſyriaca a qua ejus vocabula in re non differunt ſit o. In Etruſca pariter veteri novimus ex monumentis o deſiderari. In Thibetana linguæ Mongolæ dialecto non reperitur i. Multo major eſt linguarum diſſenſus in conſonantibus. Orientales præ ceteris abundant literis gutturalibus, cujusmodi ſunt apud hebræos Ghimel & Chet, & apud græcos Theta, & Chi. Aliæ rurſus linguae, vel nullas habent gutturales, ut Cantabra, vel vix aliquas ut Itala & Hiſpana. Malabarenſis, quae etiam Iberica dicitur, conſonantes habet duas ſupra triginta. Turcicae octo ſupra viginti dat Franciſcus M. Maggius in *Syntagmate linguarum orientalium, quæ in Georgiae regionibus audiuntur*, Romæ edito anno 1670. typis Collegii de Propaganda fide. Ioannes

(1) Co. Regole. l. 1. c. 1. in fine, & l. 3. c. 2.
(2) Ki. Prod. pag. 278.
(3) Tu. Rudim. lin. copt.
(4) He. Idea. to. 17. n. 460., & t. 19. n. 132.
(5) He. Idea. to. 17. n. 216.
(6) He. Idea. to. 17. n. 238.

annes de Torquemada, ſive juxta latinam verſionem hujus hiſpani nominis, de Turre cremata certiores nos facit non ſufficere characteres alphabeti hiſpani ad exprimendos omnes ſonos linguae Guatemalenſis in America, ita ut auctor grammaticae pro hac lingua ad uſum praedicatorum evangelii apud illos populos (1) *quatuor aut quinque literas, ſive ut melius dicam characteres* de novo excuderit.

50. Vetus etruſca caruit conſonantibus D, B, G. Propter quam cauſſam populi quorum majores eam loquebantur, Herva obſervante (2), illis ne nunc quidem utuntur in lingua itala ſibi jam familiari. Itaque illorum vulgus pro *buoi*, *ſplendori*, *gamba* dicit *vuoi*. *ſplennuri*, *iamba*. Oſcam linguam Io. Baptiſta Paſſeri (3) dicit caruiſſe literis D, & Q, iisque P ſubrogaſſe in vocabulis ex aliis linguis deſumptis, & pro litera G; quam pariter non habebat uſurpaſſe C.

51. Gilius (4) teſtatur linguas omnium nationum, quæ ſunt in ampla Americæ regione, per quam fluit ingens Orinoci flumen præter illam Guamorum, qui illuc ex aliis locis advenerunt, carere conſonante F. Hervas (5) defectum literæ F extendit ad linguas omnes Americanas, quæ cognitæ ſunt, tribus dumtaxat exceptis. Eumdem defectum obſervat (6) in vocabulis hiſpanis deſumptis a latinis, cui ſubſtituta eſt litera h, quæ tamen nunc non pronunciatur, niſi in quibusdam Vandalitiæ locis. Itaque latina verba fumus fuſus farina apud hispanos transmntata ſunt in humo huſo harina. Atque hoc quaſi odium literæ F credit linguam hiſpanam contraxiſſe ex uſu linguæ Cantabræ, quam olim Hiſpani habebant, quoniam cantabra verba, quæ per F incipiant, ſunt pauciſſima.

52. Idem auctor defectum literæ B invenit (7) in multis Americæ linguis. Gilius loco nuper citato Tamanacos Orinoci populum dixit nunquam uti conſonante S, & pro B, D, L adhibere P, T, R. Defectum literæ D Hervas (8) notavit in una ſupra viginti ex linguis Americanis, in quibus eſt Peruana, dicta etiam Quechua, Kichua, & Inca, quæ literis (9) etiam B, G, F, L caret, nec in Guarana invenit (10) literam F. In ſerie radicum linguæ Sinicæ ab eodem Herva (11) propoſita non video literas B, D, R, idemque teſtatur (12) in Tunchinenſi, Sinicæ dialecto deeſſe P ſejunctam ab H, cum qua proinde evadit F.

ARTI-

(1) To. Monarch. indi. l. 19. c. 24.
(2) He. Idea. to. 20 n. 126.
(3) Pa. Ling. oſc. in fine.
(4) Gi. Stor. to. 3. l. 3. c. 4.
(5) He. Ideai to. 18. n. 22.
(6) Ibid. n. 77. & 79.
(7) Her. Idea. to. 18. n. 22.
(8) He. ibid. n. 22.
(9) He to. 18. n. 172. & to. 19. n. 197.
(10) Id. to. 18. n. 42.
(11) He. to. 18. n. 1. tabulæ ad pag. 676.
(12) He. ibid. n. 175.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

Digitized by Google

Articulus V.

De cauſis diverſi in linguis literarum numeri.

53. IN numero literarum, quæ per alphabetum exhibentur, vidimus non convenire omnes linguas. Hoc nulli mirum eſſe debet, quoniam literæ tot effingi poſſunt, quot ſunt ſoni, qui poſſunt per organa humanæ vocis produci, qui diverſi neceſſe eſt ſint, quoties diverſa aliquo modo ſit organorum vocis conformatio. Exemplum affero in Sinenſibus Malabariis, Malaiis, populis ſimis naribus, qui abundant conſonantibus, quæ hanc narium qualitatem manifeſtant; quippe dum per illas reſpiratio minus libera eſt, facile aliquæ literæ proferuntur, non vero aliæ.

54. Coniicere hinc poſſumus ex aliqua hujusmodi organorum diverſitate, quæ fuerit in familiis congregatis apud Babel, ubi natæ ſunt novæ linguæ, factum eſſe, ut cum Deus illas ſingulis infuderit, quæ facile poſſent ab illis proferri, non eodem omnes literarum numero conflaſſe, atque hinc quæ deinceps extiterunt earumdem dialecti, iisdem pariter literis abundarent vel deficerent, quæ erant aut non erant in earum matribus, & in iis verbis quæ ex aliis linguis in ſuas admiſerunt, aliquas omnino abiicerent, vel in alias immutarent. Conſuetudo enim vel deſuetudo ſicuti in aliis rebus ita etiam in literarum pronunciatione magnam habet vim. Sic vidimus paulo ante literam F exploſam a vocabulis latinis adductis in gloſſarium hiſpanum. Sic Latini ex verbis, quæ a græcis deſumpſerunt mutarunt D in T, & ex mydos fecerunt *mutus*, & *B* in P, aut in V converterunt, pro bosko & bioo dicentes paſco & vivo.

55. Factum præterea eſt ex iisdem organis uſu confirmatis, ut eædem ceteroqui literae non habeant eamdem in omnibus linguis expreſſionem, quia non eodem modo apud omnes gentes temperata eſt actio gutturis labiorum palati dentium linguae narium, quae ſunt vocis organa. Quin immo in una eademque lingua unus non eſt ſonus ejusdem literae, ſed varius pro varia unius cum alia vel conjunctione vel occurſu, ita ut ſolus uſus loquelae, quae cuivis genti data eſt potuerit illum ad certum numerum determinare, ſolumque arbitrium per eumdem characterem deſignare ſonos, qui iidem omnino non ſunt. Exemplum pono in alphabeto italico, quod conſtat literis dumtaxat viginti, cum tamen Salvator Corticelli mortuus anno 1758. in ſuis italicis *regulis & obſervationibus ſuper lingua etruſca* jure meritoque magno exceptis plauſu, & ſaepius editis, dicat cum aliis hujus linguae grammaticis (1) *elementa italæ pronunciationis ſunt quatuor ſupra triginta*, quod ex iis, quae inferius (2) obſervat, veriſſime dici cognoſcitur. Et de alphabeto hiſpano haec lego apud Antonium

(1) Co. l.1. c.1. (2) Co. l.3. c.2.

Digitized by Google

nium Nebriſſenſem (1) *Hiſpanus viginti duobus literarum ſignis a latino ſermone acceptis ſcribere conſuevit ſex & viginti pronunciationes*, quas habet. Aliud exemplum proſtat in linguis Anglica, Gallica, Hiſpana, Luſitana, quae literis jam communiter utuntur latinis, quibus nos Itali ſcribimus. At diverſa omnino eſt apud ſingulos ex his gentibus earum pronunciatio, ut idem liber ab uno ex illis lectus idem ab aliis vix credatur.

56. Si ſua cuique ſono litera ſtatuenda eſſet, plus nimio ingens & pene innumerabilis eſſet illarum numerus. Igitur quia diſtinctæ literæ conſtitutæ ſunt ex præcipuo ſono, qui habetur per inſigniorem unius organi actionem, quando hic extet ſupra alios, qui cum eo immiſcentur ex interveniente aliorum actione, retinetur eadem figura ſive character in proprio uniuscujusque linguæ alphabeto. Interea vero cum ſingulæ literæ non eodem omnino modo pronuncientur in omnibus linguis, neceſſarium eſt, ut diverſa in ſingulis ſit pronunciatio unius ejusdemque vocabuli, & multo magis unius ejusdemque ſermonis. Quis dubitet latinos poetas, quos qui huic linguæ familiares ſunt, magna cum voluptate legunt, cum majori lectos fuiſſe ab antiquis, qui noverunt per ſonum diverſum nobis ignotum exprimere diverſam quantitatem ejusdem ſyllabæ pro diversis vocabulis, ut brevem Le in Legit, & longam in Legem, Sa brevem in nominativo Muſa, & longam in ablativo. Omnes etiam fatentur natos in Etruria, & maxime Piſtorienſes gratiam quamdam tribuere ſuæ loquutioni, ut ab omnibus aliis etruſcis licet iisdem verbis loquentibus diſtinguantur.

57. Juvat hæc obſervaſſe, ut nos itali ſicuti alii etiam Europæ populi alterius linguæ, qui alium accentum non cognoſcimus quam illum qnem græci & latini acutum appellarunt, aliquatenus animo informemus poſſe idem vocabulum iisdem characteribus ſcriptum diverſis accentibus pronunciari, & pro hac diverſitate diverſam pariter ſignificationem ſortiri. Hac ratione apud Sinenſes, Tunkinenſes, aliasque gentes unum verbum eodem modo ſcriptum conſtitutum eſt ſignum plurium rerum cum prompta audientium apprehenſione. Exemplum ex Herva (2) ſit in Sinenſibus vox *Chio*, quæ per diverſos accentus ſignificat ridere, rapere, aſcendere, conchylium, cubitum, tertiam menſuræ partem, arborem reſinoſam, volam, ducem exercitus, lanceam, parietem, & artificem. In Tunkinenſibus vox *Cai* vi accentuum eſt ligare, contendere, calefieri, ſolum verſare, navim convertere, res præcipua, negotium, beſtia, quantum, femina.

58. Diſquiſitionem de literarum numero claudat animadverſio celeberrimi Tſchirnhauſen, qui nobili genere natus in Luſatia an. 1651. obiit anno 1708., quæ ſic habet (3) *ſi cuipiam veniret in mentem characteres determinare, qui complectendis omnium hominum cogitationibus, quæ ſunt*

fuerunt

(1) Ne. Dict. hiſpan. latin. in præf.

(2) He. Idea. to. 18. n. 58.

(3) Ts. Medic. men. p. 2. ſc. 3.

Digitized by Google

fuerunt aut futuræ ſunt, *nemo non judicaret rem difficillimam*, *cum tamen id quatuor & viginti aut paucioribus notis fiat admirabili celeritate* ad nutum mentis inter ſe compoſitis. Omnia quidem idiomata quæ tam multa & tam diverſa perſonant per totum terrarum orbem ex harum dumtaxat literarum conbinatione nata ſunt, & multo etiam plura ex iisdem naſci poſſe extra omnem eſt controverſiam. Gaſpar enim Schottus ſequutus aliorum quos citat exemplum (1) quæſivit numerum idiomatum inter ſe prorſus diverſorum, quæ ex alphabeto latino cum quinque diphtongis efformari poſſent ſub his limitationibus, I. ut literæ in omnibus vocabulis ſint numero pares. II. ut eædem literæ in omnibus pariter ſemel tantum ponantur. III. ut conſonantes cum vocabulis & diphtongis eo modo permiſceantur, quo dictiones omnes commode pronuncientur. IV. ut nullum vocabulum excedat numerum viginti literarum, quale eſt in hoc *Conſtantinopolitanus*. V. ut quælibet vox differat ab alia non ſolum literarum numero, ſed etiam earum transpoſitione. Atque problema hoc modo limitatum accurate ac dilucide demonſtravit offerre numerum qui per has octodecim figuras exprimitur 579 891 810 365 962 900. Quare ſi ſingulis non ſolum urbibus ſed etiam oppidis & pagis particulare idioma tribueretur, ſupereſſent plusquam decies centena millia idiomatum.

ARTICULUS VI.

De humanis vocibus muſicis.

59. VOx hominis capax eſt majoris vel minoris intenſionis pro diverſa modificatione, quam glottis ex qua aer expiratur recipiat. Atque octo præcipue diverſæ intenſiones conſiderantur, quæ toni dicuntur aut phtongi, & etiam chordæ naturales. Quare tonus ſignificat vocem inarticulatam, quæ cum alia comparatur. Attributum differentiale ſingulis proprium dici poteſt eſſe majorem ſemper intenſionem, ſi numeratio inſtituatur a tono minus intenſo ſeu ut ajunt gravi, minorem vero ſi contrario modo quis deſcendat a magis intenſo, ſeu ut dicitur ab acuto tono ad gravem. Vocis autem intenſio aut remiſſio quæ format diverſas ſpecies eſt illa, ad quam naturaliter ſeu ſine ullo artificio vox aſcendit vel deſcendit.

60. Nomina propria harum chordarum naturalium pro ſerie aſcendente ſunt *ut re mi fa ſol la ſi ut*: & contra pro deſcendente ſunt *ut ſi la ſol fa mi re ut*. In Italia jam olim nomen *Ut* commutatum eſt in *Do*, quia vocalis O magis canora eſt, quam *U*, quæ ſonum edit (n. 37.) tetrum & obſcurum, ut magis ululatui qui terreat, quam cantui qui oblectet, conveniat. Prima ſex nomina ſeriei aſcendentis auctorem circa annum 1024. habet Guidum Aretinum monachum Benedictinum Pompoſæ in Ducatu Ferrarienſi,

(1) Sc. Mag. univ. p. 3. l. 8. ſyn. 2.

Digitized by Google

rienſi, ut ait Ricciolius (1), evincuntque tum Dominicus Manni contra Voſſium, & Trithemium, qui eum dixerunt monachum S. Lanfredi Ebroicæ in Normannia, tum Placidus Federicus in ſua rerum Pompoſianarum hiſtoria (2), ac Tiraboſchius in illa Italæ literaturæ (3) contra Auctores Annalium Camaldulenſium, qui ſuo monaſterio Avellanenſi eumdem adſcripſerunt.

61. Celeberrimus eſt hic Guidus, utpote de cantu eccleſiaſtico, quem faciliorem & jucundiorem reddidit, tam bene meritus, ut Romam fuerit magno cum honore arceſſitus non jam a Benedicto VIII., qui Romanam ſedem tenuit ab anno 1012. ad 1024., ut Novaes (4) poſt Baronium ſcripſit, ſed ab ejus ſucceſſore & fratre Joanne XIX. ut ſtatuit cum Mabillonio (5) Tiraboſchius. Ea ille nomina deſumpſit a prima ſtropha hymni in laudem S. Jo. Baptiſtæ, compoſiti a Paulo Diacono, cujus vitam egregie illuſtravit Tiraboſchius (6), quoniam fuit a ſecretis ultimi Longobardorum regis Deſiderii, & impenſe carus Carolo Magno. Stropha ſic habet

Ut *queant laxis*	Fa*muli tuorum*
Re*ſonare fibris*	Sol*ve polluti*
Mi*ra geſtorum*	La*bii reatum*

Atque alius deinde eadem nomina hoc verſu incluſit

Ut *Relevet Miſerum* Fa*tum* Sol*itosque* La*bores*:

ſupple quiſque canit, quem lego apud Dominicum Magri Melitenſem mortuum anno 1672. in ejus celebri *Notitia vocabulorum eccleſiaſticorum* (7) italice ſcripta & ſæpius edita, & latine etiam reddita mutato auctoris nomine ex Magrio in Macrum, quod non fecerunt doctiſſimi viri Leo Allatius & alii qui ſingulas italicas impreſſiones approbarunt.

62. De auctore nominis *Si* controvertitur. La Combe dicit (8) fuiſſe quemdam Le Maire. Alii Petrum de Uregna hiſpanum, qui in Italia erat circa annum 1520., & de muſica ſcripſit librum, cujus epitoma in lingua hiſpana romanis typis impreſſa fuit anno 1669. Pro Uregna eſt Stephanus Arteaga Matritenſis unus ex iis, qui cum eſſent de Soc. Ieſu in Italiam ejecti fuerunt, in italico opere *de Viciſſitudinibus theatri italici* (9), cujus primum volumen protulit Bononiæ anno 1783., & iterum cum aliis duobus, ſed auctum & quaſi recuſum Venetiis anno 1785., de quo Ephemerides Lit. Rom. (10) fuſe loquuntur. In cymbalorum regulis, quæ digitis preſſæ ſonum eliciunt ex chordis, quibus ſingulæ quodammodo præſunt, primæ octo longiores ordinatim hos tonos reddunt, & Guidi nomi-

D na

(1) Ri. Almag. l. 8. ſc. 5. c. 6. n. 3.
(2) Fe. to. 1. l. 5.
(3) Ti. to. 3. l. 4. c. 5. n. 14.
(4) No. de Puntef.
(5) Ma. Ann. bened. to. 4. ann. 1026.
(6) Ti. Stor. to. 3. l. 3. c. 3.
(7) Ma. art. Ut Re.
(8) Com. Diz. d. arti. ar. note.
(9) Ar. Rivoluz. del teat. c. 4. pag. 162. ediz. 1.
(10) Ef. anu. 1787. n. 15. 17. 18.

Digitized by Google

na Galli ſaltem ſingulis tribuunt appellantes primam cordam *Ut*, ſecundam *Re* &c. At Itali primam vocant C, ſecundam D, & E, F, S, A, B reliquas, quia jam olim his literis ſupra ſingulas cum hoc ordine ſcriptis eas inter ſe diſtinxerunt.

63. Cum cantus quovis tempore ad laudandum Deum adhibitus fuerit, ut erudite oſtendit Emmanuel de Azevedo (1) quis dubitet ſua ſingulis muſicis vocibus fuiſſe ubique impoſita nomina ad ejus directionem. Quæ autem hæc fuerint apud diverſas gentes, alii viderint. Græci certe quasvis chordas ex multis, quibus in muſica utebantur, propriis diſtinguebant nominibus. In his hæc ſunt, quæ noſtris reſpondeant, Hypate h. e. Summa ſeu prima, Parhypate h. e. proxima primæ, Hypermeſe h. e. ante mediam, Parameſe h. e. poſt mediam, Paranete h. e. penultima, & Nete h. e. ultima. Quiſque ſtatim concipiet differentiam horum tonorum qui cantu exprimat Guidi nomina attollendo deinceps vel deprimendo vocem. Experietur enim naturalem quam dixi intenſionem vel remiſſionem unius ſupra aliam. Quod autem octavæ ſpeciei attributum ſit idem nomen ac primæ, duplicem habet cauſſam. Altera eſt, quia prima ſpecies ita conſonat cum octava, ut videatur in unum tonum utraque coaleſcere, ſicuti apparet quando plures concinunt, alii in primo tono, alii vero in octavo. Atque qnia prima ſpecies eſt etiam octava, ſi fiat prima quæ ſecundum unum modum computandi dicebatur octava, hinc factum eſt, ut illa appelletur octava ſuperior, quæ eſt vox magis intenſa, octava vero inferior quæ minus intenſa eſt. Altera cauſſa eſt quia proſequendo intenſionem vel remiſſionem vocis, octava quæ erat finis primæ ſeriei eſt etiam principium novæ, in qua toni acuti vel graves eodem narurali paſſu eademque inter ſe proportione procedunt ac in prima ſerie. Vis vocis humanæ non ſufficit ad plures hujusmodi ſeries, quales exhibentur a cymbalis, in quibus quatuor plerunque inveniuntur.

64. Ex prædictis tonis unum quivis homo dum pacate aut familiariter loquitur, ſemper adhibet. Quare neſcio quis cecinit

Sex natura modis totum circumſonat orbem
Quos referunt ut, re, mi, fa, ſol, laque ſimul.

Atque ad argumentum dependentiæ animæ in ſuis motibus a ſtructura corporis pro ſtatu ſuæ cum illo unionis, obſervatum eſt a Deslande (2) aliisque, eos qui uno tono præditi ſunt eſſe manſuetos, qui alio feroces, qui hoc ingenioſos, qui illo hebetes. Sub his igitur tonis continentur omnes hominum voces, quarum tamen quatuor dumtaxat genera video auctores qui de Muſica ſcripſerunt plerunque conſideraſſe, quae ait Gaſpar Schottus (3) *appellantur Cantus ſive Diſcantus aut Superior Italice Soprano: Altus ſive Contratenor Italice Contratenore: Tenor Italice Tenore: & Baſis vulgo Baſſus.*

(1) Az. Exerc. liter 2.
(2) De. Recuc. de phyſ. to. 3.
(3) Sc. Mag. p. 2. l. 7. ſynt. 1.

Digitized by Google

Baſſus, quibus ſimilia lego apud Ricciolium (1). Sed Philomuſi accuratiores de aliis rationem habent, quas diſtinguunt per haec Italica nomina *Baſſo Baritono Tenore Contralto Mezzoſoprano Soprano e Canto*.

65. Atque (2) *ſicuti natura ad pingendum ſeptem nobis dedit colores, ita ſeptem dedit ad canendum voces*, inquit Antonius Eximenus Valentinus de Muſica nuper tam praeclare meritus judicio eorum qui hujus facultatis peritiſſimi habentur, in quibus ſunt Andreas Baſilii in ſua *Muſica Univerſali*, & Nicolaus Jommelli in epiſtola ad ipſum Eximenum data, & ab eodem relata (3), ut ab immortali nomine quod Neutonus ſibi comparavit per ſeptem in luce deprehenſos colores ipſe appellatus fuerit Muſices Neutonus ab Auctore Diarii Oeconomici Romani (4) propter deprehenſas leges, quibus hae ſeptem voces omnem muſicam componunt, quas nullo modo dependere a Mathematicorum ſpeculationibus circa numeros, horumque inter ſe diverſi generis rationes plane demonſtravit in libro *De Origine & regulis Muſices*, quem Romanis typis anno 1774. in lucem emiſit italice ſcriptum, ut ex hac etiam parte communi cum laude fuerit exceptus. Etſi enim in Hiſpania natus italicae linguae ſincerum guſtum acquiſivit pro ſuo ſingulari ingenio, diuturna in urbe commoratione, ſeduloque ejuſdem ſtudio a tempore quo in Italiam fuit deportatus ſecum deferens, quas in Soc. I. ſibi comparaverat cognitiones non ſolum omnis politioris literaturae, ſed ſeveriorum etiam & ſubtiliorum diſciplinarum, quae ad Matheſim pertinent.

66. Singularis tamen nec nova eſt haec Eximeni opinio; Nam Ariſtoxenus tercentis circiter annis ante aeram vulgarem eamdem tenuit juxta Jo. Baptiſtam Martini (5) ex Ord. Conventualium Bononiae natum anno 1706. denatum vero anno 1784. magnum in hac diſciplina nomen, de quo loquuntur italica *Monumenta pro artibus liberalibus* ad Martium anni 1786., & cujus elogium legitur in Anthologia Roman. commemoratum ab Ephemeridibus Lit. Rom. (6) dum orationem referunt in ejus laudem a Jo. Bapt. Moreſchio habitam. Oppoſita interea Pythagoræ opinio, quam quinque ante Chriſtum ſæculis docuerat, recepta fuit communiter uſque ad hæc tempora ab omnibus muſices doctoribus, qui hac via difficilem reddiderunt ejusdem cognitionem, ad quam ceteroqui natura vehementer omnes inclinat utpote conceſſum nobis oblectamentum ad calamitatum oblivionem, curarum lenimentum, laborum ſolamen. Quare etſi nunc perfectior eſt apud Italos primum, judice Eximeno (7) & conſentiente jam olim Franciſco Raguenet (8), & deinde apud Hiſpanos propter horum idioma ad hoc munus melius comparatum, aliquam tamen apud

(1) Ri. *Almag.* l.9. ſe.5. c.6.
(2) Ex Muſica. l.3. c.1. n.1.
(3) Ibidem pag.456.
(4) Di. To.1. n.34. ar. Muſica.
(5) Ma. Stor. d. muſic. to.3. c.6.
(6) Ef. ann.1786. n.35.
(7) Ex. de Muſic. l.3. c.1. n.4.
(8) Ra. Paral. de Muſic. Ital. con la Franc.

omnes gentes ſemper fuiſſe conſtat ex italica hiſtoria Muſices laudati Martini, quam vulgare incoepit Bononiæ anno 1757., quicquid dicat J. J. Rouſſeau, qui vocalem Muſicam negavit eſſe apud Gallos in opuſculo edito anno 1753., quod multi jam impugnarunt, ut intelligi poteſt a Trevoltianis (1) qui decem contra ipſum editas lucubrationes commemorarunt.

67. Græci tamen antiquitus inſignes præ ceteris gentibus fuerunt in hujus artis ſcientia, quam pro ipſorum indole quæ deliciarum in omni genere fuit ſtudioſiſſima, & pro eorumdem lingua ad cantum aptiſſima, accedente continuo exercitio ad perfectionem tam admirabilem perduxerunt, ut Pindarus (2) eam expreſſerit per extinctum Iovis fulmen, dum aquila illud deferens ſtitit ipſius illecebris excantata, Quare quoniam ipſorum Poetæ eam prædicant etiam beſtiarum dominatricem, & domitricem, nimis confidenter aliqui pro fabulis habent, quod multi narrant egregios Græcorum muſicos non raro homines pro ſuo libito ad amorem vel odium vel furorem accendiſſe. Hoc autem non credo intelligendum narrari de quavis Muſica, ſed de illa quæ fuerit compoſita a maxime peritis intermixto vocibus eo inſtrumentorum ſonitu, qui & verbis congrueret, & horum auditum non impediret, & quæ nacta eſſet eximios cantores qui frequentes non ſunt, vel fidicines præſtantiſſimos quando ſermo ſit de muſica dumtaxat inſtrumentali. Conſcii ſumus muſicam noſtrorum etiam temporum, quæ prædictas dotes habeat, ſimiles animorum commotiones excitare. Equidem cum eſſem puer memini me incredibili voluptate & admiratione audiviſſe egregium lyriſtem Veracinum. Quam ſæpe etiam nunc conferta theatra perſonant plauſu ad cantum inſignis alicujus muſici, in cujus ſinum novimus congeſtas divitias argumentum animorum, quos ad illos traxſt ipſorum harmonia ipſiſque devinxit.

68. Minora certe non ſunt antiquorum hiſtoriis ea quæ La Combe (3), narrat de Io. Baptiſta Lullio, prodigio quodam artis muſicæ, quam mirifice exercuit exornavit & auxit elapſo ſæculo Pariſiis, ubi maximam partem annorum 54. vitæ ſuæ duxit, cum ſe illuc contulerit ex patria Florentia adhuc juvenis, ibidemque obierit anno 1687. relictis filiis artis ſuæ hæredibus, qui ejus deſiderium mitigare quidem potuerunt, ſed non extinguere. Stephanus de Terreros (4) meminit de Hiſpano Salinas quem dicit cæcum a nativitate, Ladvocatus vero a decimo vitæ ſuæ anno, quam complevit anne 1590. qui ita doctus evaſit in exercitio artis muſicæ, de qua etiam tractatum ſcripſit valde laudatum, ut quotquot ipſum audiebant tam in Italia quam in Hiſpania obſtupeſcerent. Petrus etiam Franciſcus Toſi nomen Muſicis magiſtris non ignotum cum ejus introductio ad artem canendi etiam in Germanicam linguam verſa & Berolini edita fuerit anno 1759., teſtatur cantus compoſitos a doctis profeſſoribus, quando egregii

(1) Tr. an. 1754. ar. 6. 13. 26. 96.
(2) Pi. li. 1. Od. 1.
(3) La Diz. d. belle arti. ar. Lully.
(4) Te. Paleogr. pag. 84.

Digitized by Google

gii ſui temporis Muſici quos nominat (1) ipſos modulabantur, nunquam ſine lacrimis aut alia vehementi animi commotione non fuiſſe auditos.

69. Quod confirmat Arteaga referens (2) cantiunculam quamdam drammatis, *Clementia Titi*, cui muſicas notas celebris Haſs aptaverat, lacrimas elicuiſſe a Ruſſiae Imperatrice, ceterisqe ſpectatoribus. Huc facit quod Romæ quotannis videmus frequentes exteros convenire in ſacellum pontificium ultimis quadrageſimæ diebus ad audiendum pſalmum quinquageſimum, qui ibi canitur ſecundum muſicas notas ipſi aptatas a peritiſſimis hujus artis magiſtris Allegrio & Bajo, poſtquam fama late percrebuit tales eſſe, quæ totam animam in pias affectiones impellant. In quo habemus exemplum ſatis conſpicuum de modo quo ſimiles affectus per muſicam obtineantur, ſcilicet abstinendo a multis intra breviſſimum tempus diverſi generis mutationibus & quaſi ſaltibus, quoniam animæ hominum his communiter non ſubjacent in iis, quas naturaliter patiantur perturbationibus. Concludam haberi etiam nunc a Muſica mirabiles effectus.

70. Sed præſtat audire illos, qui omnino hos negant potuiſſe ab illa veterum haberi, quia inquiunt illorum Muſica longe imperfecta fuit, comparata cum noſtra quam itali omnium optime exercent. Ea enim non fuit niſi concentus auribus gratus, productus a pluribus vocibus differentibus inter ſe ſolum ſecundum gravitatem & acumen, noſtra autem eſt harmonia producta a pluribus vocibus, quæ non ſolum acumine & gravitate inter ſe differunt, ſed tonos etiam diverſos eodem tempore intonant. Hujus perfectioris artis veſtigia certe in Hebræis qui ſub Davide & Salomone in Muſicam ad uſus ſacros ſummo ſtudio incubuerunt, Calmet (3) non deprehendit: nec in Græcis Kirkerus apud Gaſparem Schottum (4) poſt diligens veterum monumentoram examen. Quare ea caruiſſe Græcos ipſos & omnes veteres concludunt, eamdemque opinionem ſequutus jam fuit Ricciolius (5) & recentius Petrus Io. Burette Pariſiis natus anno 1655. & mortuus anno 1749. contentis viribus propugnavit in Actis Academiæ Inſcriptionum (6), & recentiſſime celebris Metaſtaſius cum aliis apud Eximenum (7), qui tamen cum Xaverio Mattei, quem laudat, omnibus occurrit negans imperfectiorem probari veterum Græcorum muſicam allatis argumentis mere negativis, & alia afferens pro contraria ſententia inſuperabilis momenti, in quibus ſunt aliqua deducta ex quadam intrinſeca ipſi Muſicæ neceſſitate ejus perfectionis, quam hi negant antiquis. Qui haec advertat majori in pretio habebit opinionem Io. Baptiſtae Paſſeri, qui ut habetur in ejus elogio quod legitur in Anthologia Romana (8) contendit ex antiquis Etruſcorum picturis erui *Muſicam apud Etruſcos perveniſſe ad magnam perfectionem, & ex aliqua etiam parte illam noſtrorum temporum ſuperaſſe*.

71. Ad

(1) To. Opinioni de Cantori pag. 69.
(2) *Art. Rivolut.* c. 7. p. 245. edit 1.
(3) Ca. Diz ar. Muſica.
(4) Sc. Magiæ. p. 2. l. 7. proem.
(5) *Ri. Almag.* l. 9. ſe. 5. c. 5. n. 5.
(6) *Ac.* to. 4. Simphon. des anciens.
(7) Ex de Muſic. p. 1. l. 1. c 2. n. 8.
(8) *An.* ann. 1780. n. 23.

Digitized by Google

71. Ad hæc argumenta pro Græcorum muſica magis etiam perfecta quam ſit illa noſtrorum temporum pertinet ingens notarum muſicarum numerus, qui eiſdem ab ipſis adverſariis tribuitur. Laudatus Burette ſexcentas illos vult habuiſſe, cum vix undecim ſint, quæ nunc ſunt in uſu. Scitum autem eſt notarum muſicarum nomine venire ſigna quædam, quæ ſignificant vocem ibi debere vel intendi vel remitti vel accelerari vel ſuſtineri vel mutari, de quibus jam dico.

Articulus VII.

De ſignis pro muſicis tonis.

72. Signa olim uſitata in Muſica juxta Lacombem (1) deſumpta fuerunt ab alphabeti græci literis viginti quatuor, quæ propter ipſarum modificationes, varietates accentuum & ſectionum, duplicationem, productionem, poſitionem vel rectam vel ſupinam vel inverſam vel obliquam vel horizontalem erant viginti quinque ſupra centum. Quæ apud Græcos in uſu fuerunt collegit Kircherus in ſua Muſurgia, & ex illo Nicolaus (2), qui paullo ſupra ex Rabbi Colonymo illas etiam Hebræorum delineavit. Cum Theodoretus (3), & Nicephorus (4) referunt apud Syros fuiſſe a S. Ephrem inſtitutam harmonicam modulationem, credam eos ſignificare vel antiquam canendi rationem ibidem renovaſſe, vel faciliorem reddidiſſe appoſitis notis, quæ intervalla & diverſos tonos indicarent.

73. Pro noſtra jam muſica hæc ſigna reducuntur ad parvos rhombos vel circulos, quibus octo imprimis chordæ naturales (n. 59.) deſignantur, per iſtum quem habeant in muſicorum librorum pentagrammis, hoc eſt parallelogrammis, quæ quinque parallelis lineis conſtant. Itaque orbiculus conſtitutus inter duas altiores lineas ſignificat *Ut* altiſſimum: qui pone ſequatur occupans ſecundam lineam eſt ſignum toni *Si* deſcendentis: tertius jacens in medio ſecundæ & tertiæ lineæ eſt pro humiliori *La*: & ſic deinceps de aliis usque ad humillimum *Ut*, quem orbiculus in ultima poſitus linea deſignat. Libri autem pentagrammi initium habuere longe poſt Guidum (*n.* 59.); Nam Victorius Giovardi ex codice, quem determinat perſcriptum a Monachis Benedictinis pro publicis ipſorum conventibus ſæculo duodecimo exeunte, qui continet monumenta S. Martyris Mercurii ait, (5) *Notæ muſicales Guidonis tempore ſignari ſolebant unica linea, nimirum rubea vel flava vel alterius coloris appoſita, atque ejus initio nota altera, ex qua cantus metiebatur, quam modo vernacule chiave vocamus*; ejusque exemplum ſeu ſpecimen ex ipſo etiam codice deſumptum exhibuit, in

(1) Lac. Diz. d. arti. ar. note.
(2) Ni. Sigla. c. 18. n. 3.
(3) Th. Hiſt. l. 4. c. 9.
(4) Ni. l. 4. c. 19.
(5) Gi. Act. S. Merc præf.

Digitized by Google

in quo videas parvos rhombos ad diverſas diſtantias a prædicta linea deſcendentes ſupra ſyllabas, quas afficiant.

74. In pentagrammis hujus temporis aliæ occurrunt notæ quadratæ ſeu ut verius dicam quatuor rectorum angulorum, aliæ rotundæ. aliæ albæ, aliæ nigræ, aliæ caudatæ, aliæ non caudatæ, aliæ caudatæ ſimul & aduncæ, & hæ quidem cum uno uncino, illæ vero cum duobus & etiam cum tribus. Hæc nova ſigna ſeu notæ excogitatæ ut ait Le Combe (1) a Ioanne Desmeurs præter tonum quem ſignificarent orbiculi, quorum locum occupant, ſignificant tempus quo muſicus tonum ipſum magis vel minus celeriter debet efferre, quemadmodum indicant aliquo modo ipſa nomina ſingulis attributa, ex quibus novem ſunt magis uſitata, Maxima, Longa, Brevis, Semibrevis, Minima, Semiminima, Chroma ſeu caudata, Semichroma ſeu biſcaudata, & Biſchroma ſeu tricaudata. Clarius autem id indicant proprietates quae de ſingulis praedicantur, Primam enim ajunt dormire, ſecundam cubare, tertiam ſedere, quartam ambulare. quintam properare. ſextam currere, ſeptimam volare, octavam avolare, nonam evaneſcere. Singularum inter ſe differentiam exhibet haec regula, ſcilicet quaevis praecedens nota duplum tempus poſtulat ſubſequentis. Quare cum maximae quam primam facimus tribuantur minuta ſecunda 18, & 40 tertia, ultimae convenient minuta tertia 4 cum aliquot quartis.

75. Sunt jam qui duas alias adhuc breviores notas addunt, quas vocant alteram fuſam ſeu quadricaudatam, altera ſemifuſam, ſeu quincaudatam. Maximae ſignum eſt nota quatuor angulorum duplo longior illa, quae eſt ſignum Longae, a qua pendet cauda, & per hanc diſtinguitur a Brevi. Semibrevis ſignum eſt nota rotunda, & Minimae eadem nota cum cauda. Quinque hae notae ſunt caeteris antiquiores omnesque poſt inventionem Typographiae albae ſunt: reliquae vero omnes nigrae. Obſervantur hae notae in pentagrammis diviſae ab invicem rectis perpendicularibus ita ut inter has rectas modo plures modo pauciores contineantur. Hæ rectae ſignificant idem tempus impendendum eſſe in modulandis pluribus ac impenditur in paucioribus. Quod facile fit quia ſi valor jam expoſitus ſingularum quae inter illas rectas jacent aeſtimetur, par ubique invenitur. Itaque cum Brevis aequiparetur quatuor minimis, ſi unum ex illis ſpatiis unam brevem continet, illud quod concludat minimas, quatuor habeat neceſſe eſt. Qui chorum dirigunt ſolent hanc temporis diviſionem canentibus indicare continua manus elevatione & depreſſione (2); *Ex utraque enim*, ut loquar cum Schotto, *componitur una menſura temporis muſici, quam Latini tactum, Itali battuta, Boethius plauſum, alii menſuram, Kircherus Chronometrum appellant*. Proinde ſingulae depreſſiones ſingulis pentagrammi inciſionibus reſpondent. In iiſdem pentagrammis ſunt multa alia ſigna ad directionem concentus inſtituta, quorum ſenſum dabit praeter alios de Muſica ex profeſſo agentes Eximenus, qui de antiquatis etiam notis loquitur

(1) Co. Dict. ar. Note.

(2) Sc. Magi. p. 2. l. 7. ſyn. 1. c. 2.

Digitized by Google

quitur (1) praeter uſitatas, quas nequicquam Rouſſeaus in numeros conatus fuit commutare edito Pariſiis anno 1743. opuſculo *De muſica recenti*, de quo videri poſſunt Notitiae Litet. tranſalpinae (2) & alia hujus temporis diaria.

76. Notarum noſtrarum inventionem Ricciolius (3) tribuit circa annum 1320 Ioanni de Muris vel de Muria Pariſienſi, quem La Combe (4) idem docens vocat Des Meurs. Stephanus Arteaga (5) conſentiens hanc eſſe communem opinionem, dicit eam ab ipſo de Muris, quem vult floruiſſe circa annum 1250. excludi in ſuo libro. qui manu ſcriptus extat in regia bibliotheca Pariſien; in quo loquitur de notis muſicis, earumque valore tamquam de rebus jam uſitatis. Antiqui dicuntur adhibuiſſe literas alphabeti diverſis affectas modificationibus puta alias integras, alias truncas, has ſupinas, illas jacentes. In codicibus pro cantu eccleſiaſtico notae non quadratae applicatae ſunt ſyllabis ſenſibiliter brevibus, & reliquis quadratae. In antiquioribus autem codicibus notae obſervantur quae ſpeciem habent literarum graecarum. Atque Hieron. Vitalis (6) ex Macro credit nomen Notarii, quod Scriptores Eccleſiaſtici aliquando tribuunt aliquibus, quos certo conſtat officium cantoris in Eccleſia habuiſſe, hoc ſolum ipſorum munus ibi ſaltem ſignificare.

Quando ab uno ex praedictis tonis fit tranſitus ad alium immediatum veluti a *Do* ad *Re* facile eſt intelligere relinqui quoddam intervallum, in quo poſſunt eſſe diverſae voces, quae magis vel minus accedant ad haec extrema. Hujuſmodi intervalla ſunt ſeptem. Primum enim eſt a *Do* ad *Re*, quod in Muſica vocatur Tonus major ſive ſecunda perfecta: ſecundum a *Re* ad *Mi* quod vocatur Tonus minor ſive ſecunda imperfecta: tertium a *Mi* ad *Fa*, quod vocatur Semitonium majus: quartum a *Fa* ad *Sol* quod non differt a tono majori; quintum a *Sol* ad *La*, quod non differt a tono minori: ſextum a *La* ad *Si*, quod iterum eſt tonus major & ſeptimum a *Si* ad *Do* ſibi proximum, quod idem eſt cum ſemitonio minori. Ratio horum nominum eſt quia obſervant Auctores, quod ſi numeri vibrationum quas diverſae chordae eodem tempore efficiunt, ſint inter ſe ut ſequentes numeri 24, 27, 30, 32, 36, 40, 45, 48, ſonos edent qui vulgo notantur per Do Re Mi Fa Sol La Si Do. Quare ſicuti praedictae ſyllabae vocantur ſcala communis, ita reſpondentes ipſis numeri dicuntur ſcala numerica, qua aliqui jam utuntur juxta Eximenum (7). Igitur intervallum a *Do* ad *Re* idem eſt ac ratio 24 ad 27 h. e. 8 ad 9, quae eſt illa in qua conſiſtit conſonantia quae dicitur Tonus major. Et ſimiliter concluditur pro aliis appellationibus aliorum intervallorum, utpote quae naſcuntur a rationibus numerorum ſibi reſpondentium, quae conſtant alias conſonantias, quae modo jam dicto appellantur.

78. Dixi

(1) Ex. Muſic. Introd. ar 4.
(2) Not. to. 2. p. 2. ar. 9.
(3) Ric. Almag. l. 9. ſec. 5. c. 6.
(4) Com. Diz. ar. Note.
(5) Ar. Rivoluz. del teat. c. 3.
(6) Vi. Lexic. Math. ar. Notae.
(7) Ex. d. Muſica. Introd. n. 7.

Digitized by Google

77. Dixi in intervallo ab uno tono ad alium proximum poſſe eſſe alias voces intermedias, quae vocantur chordae accidentales ad differentiam aliarum, quae naturales (n. 59.) appellatae fuerunt. In his quinque ſunt uſitatae ſcilicet quae ſuperant tonos Do, Re, Fa, Sol, La, & vocantur Dieſis toni quem ſuperant. Ita vox media inter *Do* & *Re* vocantur Do *dieſis*, harumque novarum vocum ſignum ſunt duae lineolae quae ſecant alias duas ſibi ſimiles, quod apponitur notae cui tribuitur. Quemadmodum autem hae voces inrermediae ſuperant tonum antecedentis, ita deficiunt a tono ſubſequenti, cum quo comparatae *Be molle* ejusdem vocantur. Ita quæ ſuit relate ad *Do* ejus dieſis, relate ad ſequentem tonum *Re* eſt *Re be molle* ejusque ſignum eſt parvum b appoſitum illi notae. Ex his tredecim vocibus ſeu chordis, octo naturalibus & quinque accidentalibus tota hujus temporis Muſica componitur. Atque ſicuti longiores cymbalorum regulae ſunt (n. 62.) pro chordis naturalibus, ita breviores ſunt pro his accidentalibus.

78. Præter intervalla ex uno tono ad proximum ſunt illa ex uno ad alium non proximum. Intervallum a primo tono ad tertium vocatur Tertia major: a primo ad quartum ipſi Latini dicunt Diateſſaron a græco διὰ τεσσάρων h. e. per quatuor, vulgo jam dicitnr Quarta: a primo ad quintum Latini dixerunt Diapente a διὰ πέντε h. e. per quinque, nunc dicitur Quinta: a primo ad ſextum vocatur ſexta major: a primo ad ſeptimum, ſeptima major: a primo ad octavum nunc octava dicitur, quod Latini a Græco διὰ πασῶν h. e. per omnes Diapaſon appellarunt. Enumerata intervalla tam proxima quam remota aliter vocantur conſonantiae. Conſonantiæ autem notio aut explicatio dependet ab illa ſoni objectivi, qui eſt ſonus ut ita dicam extra animam & conſiſtit in vibrationibus corporis percuſſi. Nam ut ait Iacobus Hermannus (1) qui quas dixi vibrationes vocat pulſus, *partibus corporis tremuli contiguæ aeris partes propulſæ denſantur*, regreſſu vero atque *adeo amota vi comprimente denſatus aer iterum ſeſe elatere ſuo expandit, ita nt itu partium corporis tremuli aer condenſetur, & reditu rareſcat. Quod partes corporis tremuli in aere ipſis contiguo efficiunt, idem etiam præſtabunt aeris partes jam propulſæ in aere ipſis contiguo, & hic in ſibi proximo atque ſic deinceps.* Dum hæ aeris vibrationes ad aures perveniunt easque percutiunt, occaſionem præbent animæ faciendi ſenſationem quamdam quæ eſt ſonus formalis.

79. Omne igitur corpus reſonat per vibrationes, quas facit magis vel minus velociter pro diverſa ſui conſtitutione. Sint itaque duo corpora, quorum vibrationes ſimul incipiant: ſi eadem celeritate in ſingulis hæ fiant, ſunt & dicuntur uniſona: ſi diverſa celeritate fiant ut nunquam conſonent, ſunt diſſona: ſi poſt certum tempus ſimul deſinunt, ſunt conſona. Ita dum chorda aliqua facit unam vibrationem, alia ipſi ſimilis ſed ſubdupla vel ſubtripla duas vel tres complet. Hinc ſonus primæ dicitur

(1) He. Phorouomiæ c. 23.

gravis relate ad aliarum ſonos qui dicuntur acuti, qui tales poſſunt eſſe vel magis vel minus. Itaque ſonus chordæ ſubduplæ minus acutus eſt ſono ſubtriplæ. Nam in hoc genere datur magis & minus in ratione majoris vel minoris numeri vibrationum, quæ intra idem tempus compleantur. Hujuſmodi tempus poteſt innumeris modis brevius eſſe vel longius. Quod eſt brevius magis ſenſibilem creat conſonantiam ea, quæ opus habet longiori tempore, quod quando ſit tam longum ut vix aut ne vix quidem animadverti poſſit, jam nulla dici poteſt eſſe conſonantia. Quæ ſenſibilis eſt, plerunque grata eſt auditu, quia ſicuti placet palato cibus, in quo guſtat eodem tempore plures ſapores ut acrem & dulcem, ita placet auribus ſonus qui conſtat ex diverſis ſive gravibus ſive acutis ita unitis in uno puncto temporis, ut ſimul etiam diſcernantur.

80. Cognita natura conſonantiarum facile eſt videre multas eas eſſe, Gaſpar Schottus (1) copioſam illarum ſegetem collegit. Quas nominavi inter præcipuas ſunt easque ordinatim juvat in ſubjecta tabula exhibere cum aliis, quarum mentio apud Muſicos occurrit.

2	ad	1	Octava	5	ad	1	Decima ſeptima
3	ad	1	Duodecima	5	ad	2	Decima major
3	ad	2	Quinta	5	ad	3	Sexta major
4	ad	1	Decima quinta ſive	5	ad	4	Tertia major
			Duplex octava	6	ad	1	Decima nona
4	ad	3	Quarta	6	ad	5	Tertia minor
8	ad	1	Vigeſima ſecunda	10	ad	3	Decima tertia
8	ad	3	Undecima	10	ad	9	Tonus minor
8	ad	5	Sexta minor	15	ad	8	Septima major
9	ad	5	Septima major	16	ad	15	Semitonium
9	ad	8	Tonus major				

81. Mirari quis poſſet non inveniri in hac tabula rationem 7 : 4, neque 7 : 5 : neque alias, quæ videbantur debuiſſe præferri conſonantiis 8 : 5 & aliis remotioribus, quin immo illæ non ſolum non habentur inter rationes conſonas, ſed expreſſe in diſſonis reiiciuntur, ut notat Beniaminus Martin (2) qui propterea putat conſonantiam non ſolum dependere ab eo quod vibrationes diverſæ celeritatis frequenter ſimul deſinant, ſed etiam a temperatura auris humanæ, cui ei grata accidat. Recentius Eximenus eadem obſervatione latius extenſa uſus eſt pro uno ex argumentis, quibus contendit nihil ad Muſicam conferre numerorum combinationes ſtudioſe conquiſitas uſque ad hæc tempora, exemplo antiquorum, & poſſe quidem in illa reperiri diverſas rationes arithmeticas harmonicas & geometricas, nullam tamen illarum ad ipſius bonam conſtitutionem efformandam requiri (3), quemadmodum ad orationem componendam vi ſuaſiva plenam, non requiruntur propoſitiones, quarum verba ſint in his vel illis rationi-

(1) Sc. Mag. p.2. l.6. ſyn.1. prœl.2.
(2) Ma Gramm. d. ſcien. c.8. in not.
(3) Ex. d. Muſic. l.1, c.2. n.2.

tionibus mathematicis, quales in ipſis jam factis potuerunt deinde obſervari.

82 Quoniam conſonantiæ haberi poſſunt ex quorumvis corporum colliſione, qui quærat quomodo dato corpore quod percuſſum reſonat, ſe habere debeant alia a quibus certa conſonantia repetatur, problema ſolvitur per tabulam jam propoſitam, quando ſermo eſt de corporibus ejusdem materiæ habito præ oculis hoc muſico axiomate, Ut magnitudo ad magnitudinem in eadem ſpecie materiæ, ita ſonus ad ſonum. Exemplum pono in chordis quæ tenſæ reſonant ſi percutiantur. In his ſoni qualitas magis vel minus acuta dependet ab illarum proprietatibus longitudine craſſitie & tenſione. Data igitur æquali in ipſis craſſitudine & tenſione fiat longitudo unius ad illam alterius in ratione datæ conſonantiæ, jamque ſic conſonabunt: data autem æquali in ipſis longitudine & tenſione conſonabunt in data ratione ſi fiat ut in eadem ſit unius craſſitudo ad illam alterius: Data tandem ſola æqualitate tenſionis conſonabunt pro voto, ſi ſingularum pondus quod colligitur ex certa ſingularum longitudine & craſſitudine habeat rationem datæ conſonantiæ.

83. Eodem modo invenitur cujus ponderis debeat eſſe malleus, qui ſupra incudem cadens certam reddat conſonantiam cum ſono alterius dati mallei. Fiat enim ut ratio in qua conſiſtit propoſita conſonantia, ſit etiam in eorum ponderibus, eruntque jam temperati ad effectum requiſitum. Id ita eſſe comperit jam Pythagoras, quando verum ſit quod legitur apud Macrobium (1) & Boethium (2) ipſum deprehendiſſe eam numerorum rationem, quæ conflabat ſingulas conſonantias, quas audiebat naſci ex ictu quatuor diverſæ molis malleorum ſupra incudem, ſcilicet octavam, quintam, & quartam, reperiri in ipſorum ponderibus, quorum ſecundum erat duplum primo minimo, tertium autem primi ſeſquialterum, & quartum primi ſequi tertium.

Articulus VIII.

De humanis vocibus articulatis.

84. VOX articulata hoc eſt quæ conſtat ſyllabis, quibus tamquam articulis diſtinguitur, & a vulgo vocabulum, a dialecticis vero terminus appellatur, dividitur in eam quæ ſenſum habet, & quæ ſenſu caret, ſeu in ſignificativam & non ſignificativam. Hanc nominaſſe ſat eſt: quia utpote expers ſenſus locum ſibi non vindicat inter ſigna arbitraria. Vox ſignificativa definitur ſonus ſyllabis diſtinctus ab homine prolatus, qui declarat aliis ideam ſuæ mentis. Equidem in eodem ſenſu accipio Platonem, dum juxta Plutarchum hanc definivit (3) *Spiritum ab animo per os*

(1) Ma. Somn. l. 2. c. 1.
(2) Bo. Muſic. l. 1. c. 9.
(3) Pl. de Plac. l. 4. c. 19.

os deductum, & Ariſtotelem dum dixit eſſe ſonum factum (1) *ictu aeris expirati cum aliqua imaginatione*. Non redundat in definitione vocis ſignificativæ exprimere, quod ſonus ſyllabis diſtinctus proferatur ab homine, quandoquidem novimus Pſittacos & Picas inter bruta articulare voces & proferre vocabula, ad quæ artificiose imitanda naturalem habent habilitatem, quemadmodum aliquam ſyllabam aliæ ex beſtiis ut oves balatu ſyllabam be efferunt. Quoniam tamen in vocibus brutorum articulatis apparet ſola imitatio, eaque rudis, difficilis & limitata, ideo animal articulatam vocem habens, quod lingua Græca per unicum vocabulum μέροψ ſignificat, eſt hominis Synonimum.

85. Ex ipſa definitione vocis ſignificativæ ſequitur mendacium eſſe quid intrinſece malum, quia vox mendacis non ſolum non declarat ideam ſuæ mentis ſed aliam excitat omnino oppoſitam cum alterius neceſſaria deceptione propter connexionem moralem quæ intercedit inter res earumque ideas & voces quas uſus communis voluit eſſe harum ſigna. Sequitur præterea nullam vocem ſignificativam præſcindere a duabus ſignificationibus: quarum altera eſt ejus ideæ quam tunc habet loquens, quia qui ſciens & volens aliquam profert hujusmodi vocem, non poteſt non ſignificare ideam in cujus ſignum ea eſt ab hominum conſenſu inſtituta: altera eſt objecti illius ideæ, quia qui honeſtus eſt, hoc certe aliis vult per ſuam loquutionem indicare.

86. Quoniam voces ſignificativæ ſunt ſigna idearum mentis & ſigna cognitionum, quæ ex compoſitione idearum exiſtunt, admirari iterum poſſumus Divinam Sapientiam, quæ ſicuti nos condidit capaces novarum in infinitum cognitionum, ita largita eſt loquelam, qua hæ palam producerentur per combinationem diverſarum vocum quas velociſſime modulamur ope muſculorum thoracis & diaphragmatis, narium & pulmonum, aſperæ arteriæ & laryngis, glottidis & epiglottidis, labiorum & dentium, palati & gurgulionis, carunculæ ſcilicet, quæ ab extremo palati in fauces dependet, & uvula etiam dicitur, quia inſtar uvæ in epiphora intumeſcit, ut melius docebit Joachim Poeta, qui de ea referente Diario Literat. Italiæ (2) librum Neapoli edidit anno 1720. Profecto omnia & ſingula hæc organa in loquutione quæ perfecta ſit, ſuam quamdam actionem exercent. Nam thorax ejusque cavitas utris inſtar eſt qui per muſculos plusquam ſexaginta dilatatur ad excipiendum aerem inſpiratione hauſtum cum pulmonum rarefactione & diaphragmatis depreſſione, idemque conſtringitur aſcendente tunc diaphragmate & pulmonibus ſe comprimentibus ad expirationem vocisque formationem in exitu aeris ab aſpera arteria, cujus caput larynx quatuordecim muſculis inſtruitur ut magis vel minus aperiatur, & in multiplicem figuram ſe componat ad reſonandum per exitum aeris juxta arbitrium loquentis.

87. Reliqua autem quantum ſingula conferant ad diverſas vocis modula-

(1) Ar. de anim. l. 2. c. 8.

(2) Gio. to. 33. p. 2. ar. 13.

dulationes manifeſtum redditur ab his, in quibus aliquid eorum vel deficiat vel vitium aliquod contrahat. Itaque ſilent, qui labia operculum oris non aperiant, & hinc ipſa loquela dicta etiam fuit labium in Geneſi (1) *Erat terra labii unius*. Moleſtos ſibilos miſcent in loquendo, qui dentes aliquos anteriores amiſerint. Vix aut ne vix quidem intelliguntur qui omnibus carent niſi lente & cum ſtudioſa ſingulorum verborum diſtinctione loquantur: obtuſa & ingrata evadit vox quando aer in ejus formatione nequeat per nares circumvolvi & erumpere. Quare qui tunc vulgo dicuntur naribus loqui, dicendi potius eſſent ſine naribus loqui. Balbi ſunt quorum glottis figuram non mutat ea facilitate, quam requirit expedita verborum pronunciatio. Rauci ſunt qui debita carent tenſione in ſuæ glottidis fibris, quæ ex dictis (n.34.) primas habet in voce hominis, ſicuti & omnis animalis.

88. Sed ſi glottis in voce, lingua primas habet in loquutione. Hæc voces effingit articulatas, quæ occultos animæ ſenſus nitide reſonant, dum ad nutum rationis ſonos a glottide efformatos per ſpiritum ex aſpera arteria expulſum palato ac dentibus allidit & incredibili velocitate ſurſum ac deorſum impellit, ſimilis manibus organicorum quæ dum ultro citroque ex ejus directione ligneas organi claviculas percurrunt, & modo has modo illas deprimunt, aerem in fiſtulas ex utribus temere profuſum ita moderantur, ut per ſonorum varietates intervalla & diſtinctiones concentuum efficiant. Hanc comparationem eleganter inſtituit jam olim Nicolaus Abrami (2), cui ſimilis eſt illa quam veteres deſumebant ex tibiis, quæ pariter a digitis qui varias illarum aperturas modo aperiunt modo claudunt, coguntur harmonice reſonare. Nec ut hanc cum Dodarto apud hiſtoriam Academiæ Scien. Pariſ. ad annum 1700, contemnam tamquam importunam, me movet ratio quam in illo approbat Paulianus (3) quod tibia ſonum producat dum aerem recipit, aſpera vero arteria dum hunc reſtituit. Etenim evidens eſt ex tibia pariter naſci ſonum per emiſſionem aeris non per receptionem. Sed redeo ad linguam, quæ cum multis partibus conſtet neceſſariis ad alios etiam ipſius uſus guſtandi & lambendi mandendi & deglutiendi, ad hunc loquendi inſtructa eſt opportunis nervis & muſculis, qui ſi laxi ſint vel aliter a motu impediti, jam inutilis omnino ea eſt ad loquelam: ſin autem ſint minus faciles ad diverſas flexiones, jam hominem reddunt vel hæſitantem, h. e. qui unum verbum vel verbi unius partem cum aliis ſtatim conjungere non poteſt, vel blæſum, h. e. qui aliquam ſyllabam vel literam cogitur vel perperam pronunciare vel praetermittere, ſicuti pueris accidit & ebriis.

ARTI-

(1) Gen. c. 11. v. 1.
(2) Ab. de Verit. I. 2. n. 49.
(3) Pa. Diz. di Fiſi. ar. Suono 3tric.

ARTICULUS IX.

De diviſione & uſu vocis ſignificativæ.

89. VOX ſignificativa dividitur in ſignificativam primæ & ſecundæ intentionis. Illa dicitur primæ intentionis quæ ſignificant rem prout primo cognoſcitur. Ita qui roſam videns ipſam apprehendit, & deinde appellat roſam, profert vocem primæ intentionis, quæ primæ etiam impoſitionis dicitur ſatis apte ad majorem declarationem nominis primæ intentionis. Nam prima impoſitio nominis videtur magis reſpondere primæ de re cognitioni. Vox ſignificativa ſecundæ intentionis appellatur ea quæ declarat aliquam cognitionem, quam mens facit ſupra vocem quæ primæ cognitionis facta eſt ſignum. Exemplum eſto in eodem nomine roſa. Hoc per ſecundam intentionem propriam Grammaticis vocatur nomen appellativum, nomen primæ declinationis, vocabulum duarum ſyllabarum, pes duarum brevium. Idem per ſecundam intentionem propriam Dialecticis vocatur terminus, quia terminat ex alterutra parte propoſitionem, quæ etymologia potior eſt ea quæ dicit cum Storchenao (1) quia *ideam quamdam in individuo denotat ac velnti determinat*: vocatur etiam ab iisdem, vel ſubjectum ſi propoſitionem inchoat, vel attributum ſi eam claudit, vel res ſi cogitatur ut conveniens in quibusdam attributis cum omnibus entibus, vel ſubſtantia, vel genus, vel aliis modis prout diverſa fit ſupra illud cogitatio.

90. Quoniam luculenter manifeſtum eſt finem vocis ſignificativæ, adeoque linguarum eſſe ſignificationem idearum & rerum de quibus ſunt ideæ, debet ulterius animadverti hunc finem in duos quaſi ramos dividi. Alter eſt qui dicit ordinem ad alios a nobis diſtinctos, & quem comprobat ipſa reſonantia vocis ſignificativæ etiam in diſtans. Alter reſpicit uniuscujusque mentem quæ ſine vocabulis adinventis pro ſingulis rebus earumque partibus proprietatibus ac numero ſignificandis, vel nullo modo vel difficillime ideas ſibi diſtinctas efficeret, ſine quibus nullus eſt aditus ad ulteriores mentis operationes. Itaque obſervavit jam Condillacus (2) difficile fore ut certi eſſemus de numero rerum, quem noſtra intereſſet cognoſcere ſine artificio diverſorum nominum pro ſingulis numeris ſupra ternarium: *dum* inquit *dicimus unum & unum acquirimus ideam binarii, & dicendo unum unum & unum, illam ternarii. Sed quis ſibi ideam decem quindecim viginti & aliorum per ſolam repetitionem hujus ſigni unum ſibi efficiat? Ne de ipſo quidem quaternario videtur quis hac ſolum via poſſe eſſe certus*. Ipſæ Gentes Americæ quamvis incultæ inventæ ſunt authore Gilio (3) aliisque, qui apud ipſos vitam egerunt Apoſtolicam, habere proprium nomen pro unita-

(1) St. Logic. n. 74.
(2) Co. Senſat. t. 1. c. 4. n. 7.
(3) Gi. Stor. Americ. to. 2. l. 4. c. 18.

unitate binario ternario & quaternario, atque quando ad quinque devenerint, nomen habent cujus etymologia eſt integra manus, quod componentes cum primis quatuor adhibent ad reliquos numeros uſque ad decem ſignificandos, cui nomen fecerunt, quod ſignificat ambas manus, aliaque habent pro aliis deinceps majoribus numeris ſatis opportuna uſque ad centum & paulo amplius; Neque enim ipſarum ingenita deſidia & paupertas ſublimiori indiget arithmetica.

91. Quiſque etiam ſibi conſcius eſt quaſcunque ſuas cogitationes tacitus efficiat nunquam disjunctas eſſe a vocabulis, quibus ſingula aliis declararet. Etiam cùm a Deo aliquid expoſcimus, etſi non dubitamus Deum omnia intueri, nihilominus neſcimus ipſum de re ulla rogare propoſita dumtaxat noſtra de ea re idea, ſed ea ſimul cum vocabulis ipſi propriis quæ mente ſaltem tunc volvimus. Experientia in toto hoc negotio eſt hujusmodi ut extiterit apud Storchenaum (1) Gollingius qui contendit omnem ideam diſtinctam deſinere in nobis ſimul ac nullum occurrat menti inſtitutum pro illa deſignanda vocabulum aut aliud ſignum: quod tamen falſum eſt. Nam non raro præſertim ſenibus contingit in medio ſermone deficere nomina propria vel appellativa, perſeverante nihilominus idea hominum vel rerum de quibus loquuntur. Alii ulterius progredientes ex eadem ratione cenſuerunt ſurdos a nativitate, & neceſſario etiam mutos non ſolum impares eſſe ad cujusvis ſcientiæ acquiſitionem, ſed carere etiam omni exercitio rationis. Sed inferius demonſtrabo falſam omnino eſſe hanc opinionem, eamque ſufficienter impugnari ab ipſimet hujusmodi ſurdis, qui artes aliquas optime diſcunt, & vitæ ſocialis functionibus probe ſatis faciunt.

92. Alii viderint an hæc unio noſtrarum idearum cum earumdem ſignis proveniat a conſuetudine uſque a primo ortu conjungendi illas cum ſuis ſignis, an ab ipſa unione animæ cum corpore, quæ exigat ut ſimilis unio adſit & appareat in ſingulis ſuis actionibus. Neceſſitas nominum quibus ideæ repraeſententur, cum ſermo eſt de abſtractis, cujusmodi ſunt univerſales ideæ, videtur naſci a difficultate cogitandi & ratiocinandi de uno ſeorſim ab aliis, quibuscum reapſe conjungitur, quam difficultatem tollunt vocabula quae utpote diſtincta faciunt ut de ipsarum etiam objectis diſtinctas ideas facile concipiamus, quas tunc cum aliis expedite componimus aut ab aliis dividimus, & pro noſtro libito ad unius contemplationem aliis omiſſis redeamus.

93. Niſi aliunde conſtaret voces ſignificativas fuiſſe divinitus inſpiratas primis hominibus ut inferius demonſtrabitur, earum inventio credo equidem eo ordine extitiſſet, quem expoſuit Auctor *Cogitationum de varietate & origine linguarum*, quæ habentur in gallica collectione opuſculorum cujus titulus eſt *Le Conſervateur*, ad annum 1757 pro Septembri. Fingit ille paucos pueros cum paucis puellis inſcios omnis linguae deductos in inſu-

(1) St. Pſych. Schol. 1. n. 63.

inſulam procul ab omnium gentium commercio, ubi paulatim adoleſcent & multiplicantur. Donec pauci numero ſint, ſolis utentur ſignis naturalibus, quae ſatis eſſe poterunt ad mutuam communicationem earum idearum, quae in illis aliae fortaſſe non erunt quam quae ſunt in beſtiis, quoniam ſtatus vitae illorum valde ſimilis eſt illi beſtiarum. Quare ne cogitabunt quidem de effingendis vocabulis ad idearum ſuarum majorem declarationem, & ne veniet quidem in illarum mentem linguam poſſe etiam munus loquendi habere praeter illud guſtandi & lambendi.

94. At creſcente numero intelligent ad mutuam ſocietatem & bonum commune pertinere ut vocalia etiam ſigna articulata conſtituant. Ac prima quidem ex his ſignis erunt nomina propria quibus ipſi ſe deſignabunt & a ſingulis diſcernent: deinde nomina appellativa quæ res certas ſignificant ut herba, aqua, lapis: tum verba quae actionem ut moveo, vel paſſionem ut doleo, vel ſtatum ut jaceo ſignificant: poſt tribuent ſua vocabula diverſis actionum & paſſionum effectibus ipſarumque adjunctis maxime temporis & loci & qualitatis. Atque hinc naſcentur voces rerum quae ſingulos ſenſus afficiunt, aliaque nova in dies verba excudent, quæ ipſorum ſtudiis ac reflexionibus reſpondeant, ex quibus jam lingua facta eſt, in cujus uſu ſi ſervetur perpetuus ordo, quo ejus vocabula inventa fuerunt, & quo illorum ideæ homini cogitanti occurrunt erit ex linguis quæ dicuntur Analogæ, ſcilicet menti cogitanti, quæ prius ſibi repræſentat ſubjectum de quo cogitat, & deinde attributum, & tandem verbum interponit, quo unum cum altero conjungi vel non conjungi decernit & ſignificat non omiſſis adverbiis aut aliis vocibus, quae declarent adjuncta rei quam enunciat.

95. Sin autem hujuſmodi ordo perturbatur ut uſuvenit in linguis græca & latina, erit ex linguis, quae Transpoſitivae appellantur. Circa linguam jam conditam quæcunque ſit, exiſtent proceſſu temporis, qui omnia ipſius verba colligent, in certas claſſes diſtribuent, certiſque regulis ad ſtabilem uſum dirigent: jamque devenimus ad conditores grammaticae facultatis, quae totam hujuſmodi vocum humanarum innumerabilem multitudinem (1) *in octo genera*, ut loquar cum S. Auguſtino, digerit, quae partes orationis vocantur, ſcilicet nomen pronomen verbum participium praepoſitio adverbium interiectio & conjunctio: ſub quibus quam multae ſint ſpecies, cognoſci poteſt ex latina grammatica Emmanuelis Alvarez, ſeu ut communius dicitur Alvari, qui natus in Madera celebri inſula, Eborae obiit anno 1582. quam Nicolaus Antonius in ſua bibliotheca hiſpana planum fecit maximi ubique habitam a doctis, & confirmavit Sebaſtianus Berettarius, dum ſub nomine Jacobi a Foſſa publicavit *efflationem pulveris adverſus Emman. Alvarez grammaticas inſtitutiones Veronæ excitati ab Orlando Peſcetto. Monachii 1616.*

96. Circa interiectiones obſervavit Laurentius Hervas (2) eas eſſe ſatis

(1) An. de civi. l. 2. c. 36.

(2) He. *Idea* to. 18. n. 3.

ſatis ſimiles in omnibus linguis, & ſignificare easdem animae neceſſarias plerunque affectiones quibus omnes homines ſimiliter afficiuntur. Sed quot de ſingulis orationis partibus factae ſint ab acutis grammaticis diſquiſitiones, docebit Carolus Rabbi, qui de his erudite ſubtiliterque diſſeruit; Brevius Card. Ptolemæus (1) voces omnes ſignificativas diſtribuit in tres claſſes, quæ reſpondent ſimplici apprehenſioni judicio & diſcurſui, tribus diverſis operationibus intellectus, ut alibi ipſe idem (2) advertit. Prima eſt nominum, quæ explicant ſimplices apprehenſiones: ſecunda verborum, ſine quibus nulla ſunt judicia, & tertia reliquorum vocabulorum; quibus indigemus ad diſcurſum. Atque nomen definivit eſſe vocabulum, quod ſignificat id quod primo & præcipue manifeſtare debet qui vult loqui. Qua definitione poſita *tantummodo* inquit *in recto caſu apud philoſophos nomen vere eſt nomen, unde dicitur nominativus: in aliis vero caſibus obliquis nomen decidit a vera ratione nominis & declinat in aliud vocabulum pertinens ad tertiam claſſem*. Verbum autem definit eſſe vocabulum quo ſignificamus vel ſolam exiſtentiam, vel una cum exiſtentia actionem etiam aut paſſionem rei de qua loquimur. Sola hæc duo verba ſum & exiſto ſignificant meram exiſtentiam: reliqua vocabula quæ nomen non ſunt nec verbum, ſignificant diverſas circumſtantias modos conditiones, quibus id de quo loquimur exiſtit vel agit vel patitur. Illud addo in linguis quæ verba inflectunt, ſeu ut ajunt Grammatici conjugant, per ſolum verbum ſignificari integram propoſitionem, ut cum Latinus dicit lego audio audivi.

SECTIO III.

De ſignis vocabulorum eorumque inventione.

97. Sicut voces ſunt ſigna idearum, ita characteres ſunt ſigna vocum, adeoque ſigna ſignorum, quæ dum prima ex natura ſua volarent irrevocabilia, hæc diverſis vinculis, ſi placet etiam æneis retinent, ut contra omnes temporis viciſſitudines ad poſterorum etiam contemplationem conſerventur. Quare ſcriptio definitur ab Antoine (3) *loquutio permanens ex ſe ordinata ad conceptus mentis declarandos*, inventio ſane admirabilis, per quam verba pinguntur, ſermo habetur ad oculos, voces ex reſonantibus evadunt tacitæ, & attributa acquirunt ipſarum naturæ quantum ad ſpeciem contraria, nihil interea illarum vi imminuta, ſed in immenſum aucta, & ad omne tempus & ſpatium extenſa, dato cogitationibus quarum ſunt nuncii quaſi corpore immortali, quo poſteros & longiſſime inter ſe diſtantes conveniant & alloquantur.

98. Hujus artis dignitatem, quam ipſius inſpecta natura tantopere

 commen-

(1) Pt. Philoſ. l. 1. theſi 16.
(2) Ibid. Diſ. 24. Log. phy. ſec. 1. n. 10.
(3) An. The. mor. de virt. relig. c. 2. quæſt. 1.

Digitized by Google

commendat. mirifice extollunt, qui eam ignorant, dum pene beatos reputant, quos vident eam expedite exercere. Certe hiſtorici omni fide digniſſimi, cujusmodi ſunt, qui apud Indos occidentales evangelii cauſſa diutius vixerunt, eos nobis repræſentant ſtupore perculſos, dum uſum ſcripturæ animadverterunt in epiſtolis, quas viderunt ab illis accipi vel mitti, in hiſtoriis, quas ſibi audiebant perlegi, in precibus in monitis in præceptis, quæ ſemper eadem ſine ulla vel minima immutatione ex chartis expromi obſervabant. Quiſque etiam fortaſſe teſtis eſt de invidia illiteratorum, quam palam faciunt, dum opus habent ad eos confugere, qui ſibi declarent, quæ in ſcriptis ſibi omnino imperviis contineantur. Hanc autem pariter ſcribendi artem non eſſe ex ſignis naturalibus, ſed arbitrariis plane conſequitur ex eo quod loquutio permanens ſit quaſi appendix loquutionis tranſeuntis, adeoque utpote quid acceſſorium ſequitur principale. Eamdem ejusdem conditionem evidenter etiam demonſtrat diverſa ratio, qua diverſarum linguarum alphabetum conſtat, & diverſa ſignificatio iisdem ſcriptis verbis a diverſis gentibus attributa.

ARTICULUS I.

Inventio characterum an ſit ante diluvium.

99. CHaracteres alii ſunt pro vocalibus, alii pro conſonantibus. De utrisque circa primam inventionem magna eſt controverſia. Voltaire dum in conſictis a ſe *literis cujusdam Judæi Luſitani* tentavit ejus tenebras diſſipare, horridiores reddidit, inquit Flexier de Reval (1) multis ſuis contradictionibus. Equidem rem generatim conſiderans video hanc inventionem ab aliis fieri coævam mundo: ab aliis vero poſteriorem: ab aliis tandem nata dicitur ſolum poſt diluvium. Primam ſententiam tenent SS. Auguſtinus (2) Ambroſius (3) Hieronymus (4) & Euſebius (5) & Suidas (6). Recentius Io. Annius (7) Theodorus Bibliander (8) Ludovicus Vives (9) Petrus Opmerius (10) Io. Ioachimus Bekkerus (11) Hermannus Hugo (12) Athanaſius Kirker (13) Villalpanda (14) & Gaſpar Schottus (15) qui plurium ex dictis auctoribus teſtimonia recitat. Hi docent ipſi Adamo divinitus traditam fuiſſe artem ſcribendi, quemadmodum data fuit illa loquendi, omnisque alia ſcientia, quæ cenſeatur vel conveniens

(1) Fl. Catech. phil. l. 4. c. 2. ar. 1. in not.
(2) Au in Exod. q. 69. & de Civ. l. 16. c. 11.
(3) Am. ad Philipp. 3.
(4) Hi. epi. ad Damaſ. de viſio.
(5) Eu. Præpar. l. 10. c. 2.
(6) Su. Lexic. ar. Adam,
(7) An. in Beroſ. l. 1.
(8) Bi. de Liter. c. de Grammati.
(9) Vi. in c. 39. l. 18. de Civi.
(10) Op. Chronic.
(11) Be. Clavis conveni. ling. præf.
(12) Hu. de Origi. ſcriben. c. 3.
(13) Ki. Obeliſc. & Oedipus. to. 2. c. la. 2.
(14) Vi. Appar. urb. p. 2. l. 3. 2. c. 1.
(15) Sc. Technic. l. 7. c. 7. n. 12.

Digitized by Google

niens vel neceſſaria in homine omnium parente magiſtro & moderatore.

100. Accedunt multi Hebræi & Arabes Auctores, qui affirmant perſcriptos ab Adamo libros. Horum teſtimonia latine producit Kircherus (1). Idem credunt qui juxta Calmet (2) *Pſalmum illi 91. adſcribunt, quem ſtatim poſt creationem compoſuiſſe arbitrantur*, cujus titulum Schottus (3) dicit Chaldaice inſcribi *Laus & Canticum quod dixit homo primus pro die Sabbathi*. Idem Schottus addit, *Beatus Amadeus raptu primo duo Cantica ſcripſit ab Adamo compoſita, unum poſtquam vidit creatam Evam, aliud poenitentiale poſt ſuum peccatum*, quorum utrumque habetur apud Nierembergium (4) tranſcriptum ex regia bibliotheca S. Laurentii de Eſcuriali. Sed hæc omittamus, quæ ſatis incerta ſunt, & multo magis alios libros Adamo attributos, de quibus Calmet pariter & Schottus & Paulus Chriſtianus Hilſcherius apud Tiraboſchium (5) mentionem faciunt, quos plusquam ſatis certum eſt confictos eſſe.

101. Dices pro hac prima ſententia. Uſus rationis poſtulat non ſolum artem loquendi ſed etiam ſcribendi; Sed Auctor naturæ ſtatim a creatione largitus eſt artem loquendi primis hominibus, ut certum eſt ex argumentis, quibus ſuus locus erit inferius. Ergo largitus illis eſt etiam artem ſcribendi. Ratiocinium confirmatur per hæc S. Auguſtini verba, quibus etiam artem numerandi concludit neceſſariam ſemper fuiſſe homini ratione utenti. (6) *Ratio* inquit *peperit literas notatis omnibus oris ac linguæ ſonis atque diſcretis. Nihil autem horum facere poterat, ſi multitudo rerum ſine quodam defixo termino infinite patere videretur: ergo utilitas numerandi magna neceſſitate animadverſa eſt.*

At nullius momenti eſt hoc ratiocinium; Falſam enim eſſe majorem demonſtrat tanta humani generis pars, quæ etſi literas prorſus ignorat, nihilominus ratione egregie utitur, rebus ſuis optime proſpicit, & ſocietatem cum aliis conſtanter tuetur & promovet ſine ope ſcripturæ, quam, ſi opus eſt ad certam alicujus rei recordationem, ſexcentis ſupplet modis, & propriis cuique hieroglyphicis ſupra parietes vel alibi figuratis. Ad probationem autem hujus majoris fruſtra adducuntur verba S. Auguſtini, tum quia illa loquuntur de homine non prout primo creatus eſt & ornatus ſcientia loquendi, ſed prout præditus eſt ratione per quam ſibi relictus poſſit uti ad inventionem alicujus linguæ: tum quia ibidem dicit hominem per rationem ſibi traditam inventurum loquutionem & artem numerandi, nihil vero meminit de arte ſcribendi, ſicuti patet clarius ex ejus concluſione. Ars autem numerandi non requirit neceſſario illam ſcribendi, cum multis aliis modis ſeu ſignis quotidie videamus exerceri a vulgo imperito.

102. Quid plura? Integræ nationes jam olim demonſtrarunt ſine ullius generis ſcriptis haberi poſſe uſum rationis, conſervari mutuam ſecum

F 2 & cum

(1) Ki. Oedi. ægyp ſynt. 1. c. 8.
(2) Ca. Dict. ar. Adam.
(3) Sc. Techni. l. 7. c. 7. n. 4.
(4) Ni. Orig. ſacr. ſcript. l. 2.
(5) Ti. Lett. Ital. p. 3. l. 3. c. 8. n. 1.
(6) Au. de Ord. l. 2. c. 35.

Digitized by Google

& cum populis etiam a ſe remotis ſocietatem, exerceri commercium, & neceſſariam ad hæc omnia artem numerandi. Vidimus enim ſupra Mexicanos & alios Americanos (n.3.) ſolitos enunciare aliis quæ ſibi accidiſſent per miſſas ipſarum rerum imagines: Et novimus Peruvianos ante adventum Hiſpanorum rerum diverſarum numeros conſervaſſe per nodos quos faciebant in funiculis diverſi coloris, ipſorumque reges, ſi credimus Garcilaſſo de la Vega celebri ejus regionis hiſtorico nuncios ad remotas ditionis ſuæ partes miſiſſe, ab eisque recepiſſe per curſores, ex quibus quatuor vel quinque retinebant in caſulis ad hunc finem ad ſingula milliaria diſpoſitis, quorum unus alteri nuncium laconicis verbis communicabat. Quin immo tam ignota illis dicitur fuiſſe ars ſcribendi, ut quando viderunt Hiſpanos apertis epiſtolis certiores factos de rebus, quæ contigerant in locis, a quibus ipſi longo etiam plurium dierum intervallo diſtabant, crediderint ineſſe illis chartis totidem Dæmonas tacito quodam modo loquaces. Quare primi ex illis tabellarii ſoliti dicuntur fuiſſe cavere ne quid coram traditis ſibi epiſtolis facerent quod vellent ignorum.

103. Addi contra eamdem opinionem poteſt, quod cum ſoli extiterunt Adam & Eva, profecto neceſſaria non erat ars ſcribendi, ne tunc quidem quando ejus progenies facile numerari poterat. Quare equidem non repugnabo iis, qui eam nolint ſimul communicatam cum loquutione primo homini, ſed eam velint excogitatam ab ipſo pro ea qua præditus erat ſingulari ingenii vi quando aucto genere humano & edoctus longa plurium annorum, quin immo ſæculorum quibus vixit experientia, plane intellexit eam omnino requiri ad propagationem & conſervationem cujusvis artis & ſcientiæ & veræ religionis.

104. Atque hoc modo ſin minus mundo, primo ſaltem homini ſcriptoria ars coæva dici poterit, ab eoque inventa, ſicuti cum multis quos citat Ieremias a Benettis (1) credidit, qui picturis præfuit juſſu Sixti V. factis in Bibliotheca Vaticana, in cujus ſecunda columna eſt Adami imago cum epigraphe *Literarum inventor*, a quo ejus filii eam didicerunt, ut Seth, cui tributos olim quosdam libros S. Epiphanius apud Kircherum (2) & Calmet (3) habent pro commento hæreticorum Sethianorum, de quorum deliriis videſis Pluqueti ſeu Contini Dictionarium. Inter fabulas pariter imperite compoſitas Schottus (4) recenſet alium librum Seth adſcriptum, quem Alphonſus de Spina narravit imperante Federico II. inventum in campo prope Toletum. Nihil dico de libro attributo Abeli, quem Thomas de Torquemada confidenter dixit viſum & lectum a S. Thoma Aquinate; hoc enim eſſe inſulſum ſomnium Kircherus loco proxime citato jam demonſtravit.

105. Ex Seth ſcribendi artem didicerunt ejus filii, ut Enos, a quo pari-

(1) Be. Chro. to. 1. prol. 1. n. 10.
(2) Ki. Oed. ægy. to. 2. p. 2. cl. 7. ſe. 4. c. 2.
(3) Ca. Dict. ar. Seth.
(4) Sc. Techn. l. 7. c. 7. n. 4.

pariter plures conſcriptos libros referunt Cedrenus & Genebrardus toti antiquitati ignotos, & alii Seth poſteri, qui ſi credimus Ioſepho (1), diſciplinas rerum cæleſtium inſculpſerunt duabus columnis, fictili una ne incendio periret, altera lapidea ne diluvio diſſolveretur, quoniam audierant ab Adamo prædictam orbi terrarum utramque calamitatem. Ex his alii didicerunt deinceps Adami nepotes, qui cum eo etiam vixerunt, in quibus ſunt Enoch ſeptimus ab Adam, cui tribuitur liber quidam, ut paulo infra dicam, & Lamech hujus Enoch nepos, & pater ſecundi hominum magiſtri Noe, natus annis ſex ſupra quinquaginta ante obitum Adami. Samuel Shuckfordius pro ſcriptura antediluviana arguit (2) etiam ex eo quod aliter non fuiſſent conſervata pauca illa monumenta, quæ de tempore diluvium præcedenti habemus. At nullum eſt argumentum, quia Lamech qui fuit pater Noe diu vixit cum Adam, nec opus eſt ſcriptura ut quis pauca noverit quæ tempore avi ſui contigerunt; cumquo diu ejus parentes vixerunt.

ARTICULUS II.

Inventio characterum an ſit poſt diluvium.

166. OPinioni, quæ artem ſcribendi vult natam poſt diluvium confuſione Babelica jam peracta, nonihil favet nullum ſcripturæ uſum inventum fuiſſe apud Americanos, quia qui illuc relicta Babel pervenerunt, nullum deinde commercium habuerunt cum Aſia aut Europa unde venerant, & quæ fortaſſe deinceps diviſæ ab ipſis fuerunt per majorem oceani amplificationem. Nolim tamen iis obiici hoc argumentum, qui ante diluvium credunt fuiſſe qui ſcriberent. Nam ſicuti maxima nunc hominum pars ne legere quidem novit, ita & tunc, atque ex his dicent fuiſſe Americanorum progenitores.

167. Ex iis, qui poſt diluvium epocam hujus inventionis ponunt, multi Phoeniciis hanc laudem tribuunt, nec curant Diodorum Siculum, qui ſcribit (3) Phoenices accepiſſe literas a Syris; Nam incertum eſt quid nomine Syrorum ille intellexerit, cum alii velint ſignificaſſe Hebræos juxta illud Euſebii (4) *Sunt qui Syros literas primos repériſſe dicant. Syri ſane hi fuerunt Hebræi, qui Judæam Phoeniciæ vicinam colunt.* Alii vero volunt ſignificaſſe Aſſyrios. At Huetius obſervat Samaritanas ſive Phoenicias literas quæ primæ fuerunt in uſu apud Hebræos prorſus differre a literis Aſſyriis, Igitur ab his illæ non venerunt. Græci Diodorus Siculus (5) & Herodotus (6), quibus acceſſerunt Latini Plinius (7) & Tacitus (8) ad Cadmum Thebarum Regem hanc inventionem referunt. At quoniam

(1) Jo. Antiq. l. 1. c. 4.
(2) Sh. H. l. du Mond. l. 4.
(3) D. l. 5.
(4) Eu. Præp. evan. l. 10. c. 5.
(5) Di. l. 6. c. 15.
(6) H. r. l. 5.
(7) Pl. l. 7. c. 56.
(8) Tac. l. 11.

quoniam ille in Phoenicia natus dicitur, eam ſibi laudem dumtaxat aſſumet de invecta in Græciam hac arte anno ante Chriſtum circiter 1519. Præterea ſi inquit Huetius (1) *Chananæas literas cum Græcis contuleris, vix has ex illis proveniſſe primo deprehendes intuitu: quod tamen eſſe fateberis, ſi rem ſpectaveris attentius*. Et ante illum Ioſephus Scaliger in Diſſertatione de literis Ionum oſtendit Græcos characteres prodere ſuam ſimilitudinem & originem a Samaritanis, quæ eædem creduntur ac Phoeniciæ ſeu Chananeæ. Idem poſt illum tenent Io. Baptiſta Bianconius (2) & Anonymus a Trevoltianis (3) laudatus.

108. Alii addunt eſſe auctores qui libros commemorant ſcriptos ab Enoch a Noe ab Abrahamo. Itaque Nicolaus Codignus de Bibliothecis Aetiopiæ ex anonymo hæc habet apud Kircherum (4) *In monte Amara Bibliotheca conſervatur in qua ſunt quidam libri, quos vetuſtiſſimus Enoch ab Adamo ſeptimus de cælo, de elementis, deque aliis philoſophicis rebus compoſuit. Alii, quibus res mathematicas, & plurima ad ſacros ritus, & cæremonias ſpectantia Noe tradidit. Alii ab Abrahamo editi, cum eſſet in valle Mambre, ubi philoſophiam publice profitebatur*. Sed nemo jam ex Criticis illos non explodit tamquam vel credulos vel fabulatores.

109. Multo recentiorem volunt hanc inventionem Eupolemus & Artapanus vetuſtiſſimi Hiſtorici docentes Moyſem qui ſæculis octodecim ante Chriſtum fuit inveniſſe literas, easque Iudæis tradidiſſe, a quibus deinde in Phoenices, & ab his in Græcos dimanarunt. Verba utriusque afferunt S. Clemens Alexandrinus (5) & Euſebius Cæſarienſis (6). Idem ſentire dicuntur Theodoretus (7) Iſidorus (8) Rupertus Tuitienſis (9) & alii recentiores. In his præcipui ſunt Io. Euſebius Nierembergius in ſuis libris de Origine Sacræ Scripturæ, & nuper Hartleyus, qui credidit ſe eviciſſe Moyſi revera deberi ſcribendi artem non quidem tamquam ab eo inventam, ſed tamquam ab eo promulgatam, poſtquam a Deo ipſam accepit in monte Synai. Ante hoc tempus dicunt homines ea quorum vellent memoriam conſervatam ſolitos fuiſſe ad poſteros transmittere, vel per puteos quos fodiebant, vel per lucos quos plantabant, vel per aras quas erigebant, vel per feſtos dies, quos pro certo anni tempore ſtabiliebant, idque credunt ſe per ſacras literas, quæ hæc referunt facta, comprobare, quaſi vero ſacræ literæ dicant ea fuiſſe ſupplementum ſcriptionis nondum inventæ, non vero argumentum ſollicitudinis perennandi hoc etiam modo hujusmodi memoriam, ſicuti quotidie apud nos videmus fieri. Addunt proceſſu temporis excogitata hieroglyphica, hoc eſt figuras animalium aliarumque rerum in lapidibus ſculptas vel in ligno depictas, quibus faci-
lius

(1) Hu. Dem. evan. prop. 4. c. 13. n. 9.
(2) Bi. Antiq. liter. pag. 40.
(3) Tr. ann. 1756. ar. 26.
(4) Ki. Oedip. ægypt. to. 1. prop. c. 1.
(5) Cl. Strom. l. 1.
(6) Eu. Præpar. l. 9. c. 4.
(7) Th. in Gen. interr. 61.
(8) Iſ. Orig. l. 1. c. 3.
(9) Ru. de Victor. Verbi a c. 21.

Digitized by Google

lius idem obtinerent, quaſi vero hæc ſymbolica ut ita dicam ſcriptura apud nos etiam uſitata arguat defectum alphabeticæ. Huc interea ſpectat, quod Lucanus ait (1)

Nondum flumineas Memphis contexere biblos
Noverat: & ſaxis tantum volucresque feræque
Sculptaque ſervabant magicas animalia linguas.

110. Equidem dico horum opinionem habere contra ſe teſte Kirchero (2) pleroſque Auctores Græcos Latinos Hebræos Chaldæos Arabas Samaritanos Æthyopas Egyptios, qui tametſi non conveniunt in uno literarum inventore, omnes tamen Moyſem negant fuiſſe. Mihi ſatis eſt teſtimonium S, Auguſtini, qui ait (3) *Non eſt credendum quod nonnulli arbitrabantur literas ſolum a lege coepiſſe, quæ data eſt per Moyſem, ſed potius per illam ſucceſſionem Patrum, linguam cum ſuis literis cuſtoditam.* Deinde iidem nullam pro ſe rationem adducunt, quæ alicujus momenti ſit, ut quisque intelliget a Schotto, qui illa Nierembergii (4) diſtinctim perpendit, & a Trevoltianis (5), qui illas Hartleii retulerunt. & rurſus plures contra illos adducuntur plane inſuperabiles, quas jam propono.

111. I. Eſt quod de Moyſe ſcriptum eſt (6) *Eruditus eſt Moyses omni ſapientia Ægyptiorum* quæ ſine controverſia inſignis tunc erat & celebris apud omnes gentes; Nam ad ſignificandam excellentiam ſapientiæ Salomonis, quam aliunde novimus fuiſſe ſingularem, Scriptura eam prætulit illi Ægyptiorum dicens (7) *præcedebat ſapientia Salomonis ſapientiam omnium orientalium & Ægyptiorum.* Tanta autem ſcientia acquiſita in Ægypto a Moyſe perſuadet fuiſſe ibi ante illum artem ſcribendi, quæ dilucide res exponit, & non per ænigmata cujusmodi ſunt hieroglyphica, quibus ſolis Nierembergius (8) & Natalis Alexander (9) volunt doctrinas ſuas ab Ægyptiis deſignatas. Vim argumenti auget Diodorus Siculus (10) cum Æpyptios repræſentat Geometriæ & Arithmeticæ peritiſſimos. Quare jure de illis loquens S. Auguſtinus dicit (11) *Nemo dicere audebit mirabilium diſciplinarum eos peritiſſimos fuiſſe antequam literas noſſent*, præſertim cum Arithmeticæ ſigna eſſent antiquitus ipſæmet literæ Alphabeti.

112. Adverſarii qui dicunt, conſtat Ægyptios antiquis ſaltem temporibus & ante Moyſem habuiſſe hieroglyphicam literaturam, non vero conſtat habuiſſe alphabetariam, reſpondet Schottus, nego aſſumptum, quia (12) *inter hieroglyphicam ſcripturam quam ante Moyſem uſitatam Adverſarii concedunt reperitur ſæpe permixta Scriptura alphabetica Ægyptiaca ideſt Copta ut patet ex multis hieroglyphicis, quæ Kircherus in ſuo Obeliſco addu-*

(1) Luc. l. 3. Pharſ.
(2) Ki Obeliſc. l. 1. c. 1. Et Oedip. to 2. claſ. 2 c 2.
(3) Au. de Civ. l.18. c. 39.
(4) Sc. Technic. l. 7. c. 7.
(5) Tre an.1749. ar.44. & ann.1756. ar.30.
(6) Act. c.7 v.22.
(7) Reg l. 3. c. 4. v. 31.
(8) Ni. Orig. Sac. Scrip.
(9) Al. Hiſt. Aetas 4. di. 10. pr. 1;
(10) Di. Hiſt. l.1.
(11) Au. de Civ. l. 18. c. 39.
(12) Sc. Tech. l. 7. c. 7. n. 13.

Digitized by Google

adducit atque explicat, & in uno etiam ex his, de quo capite ultimo *Prodromi Copti* fuſe diſſerit, ubi etiam adducit auctoritatem S. Clementis Alexandrini (1) qui Ægyptiis dicit tres fuiſſe characterum ſpecies, primam communem, quam epiſtolarem vocat hujusque characteres Kircher credit fuiſſe Coptos: ſecundam Sacerdotalem, qua eorum Sacerdotes utebantur dum de rebus ſacris ſcriberent, & a Kirchero vocatur character hieroglyphicus currrens: tertiam hieroglyphicam, qua Sacerdotes & docti myſteria religionis & naturæ vulgi oculis aliquo modo exhibebant per ſymbola in lapidibus inſculpta, vel in aliis duraturis monumentis depicta, quorum cognitionem magis diſtinctam ſibi ſolis reſervabant. Quare congruenter etiam ad etymologiam idem Kircher hieroglyphica definit (2) *repræſentationes symbolicas ſublimioris Theoſophiæ per univerſales animi notiones expreſſas*, quæ definitio clarior fit ab alia quam ipſe alibi dedit de hieroglyphica Ægyptiorum ſapientia, dicens fuiſſe (3) *ſcientiam Divinitatis & naturæ ſub variis fabulis figmentisque allegoricis animalium, ceterarumque rerum naturalium repræſentatam*.

113. II. Eſt quod de Caleb uno ex exploratoribus a Moyſe miſſis in terram Chanaan dicitur (4) *Venit ad habitatores Dabir, quæ prius vocabatur Cariath Sepher ideſt civitas literarum*: ergo Dabir longe ante Moyſem ita floruit literis ut ab illis nomen Cariath acceperit, quod tunc in deſuetudinem abierat, eidem conceſſum ut nobiles Interpretes docent quia in ea erat celebris aliqua vel Academia vel Bibliotheca, ſeu veterum monumentorum collectio.

114. III. Enoch de ſtirpe Seth qui fuit ſeptimus ab Adam, librum ſcripſit, cujus prophetiam de futuro judicio univerſali recitat S. Iudas in ſua epiſtola v. 14., quam Enoch ſcripto tradidiſſe propugnat Schottus (5) & tenent Origenes (6), Tertullianus in libro de Idololatria & alibi ſæpe juxta Calmet (7), & S. Auguſtinus, qui ait (8) *ſcripſiſſe nonnulla divina Enoch illum ſeptimum ab Adam negare non poſſumus*. Quod aliqui hic opponant Eccleſiam rejeciſſe inter apocryphos librum Enoch edoctam a multis Patribus qui illum de fabulis condemnarunt, non eſt ad rem; Eccleſia enim & Patres non contempſerunt verum librum Enoch in quo divina ſcripſerat, ſed falſum quemdam qui ſub ejus nomine circumferebatur, cujus quoddam fragmentum protulit Kircherus ex græco ab eo primum fortaſſe translatum (9) *ut videant*, inquit *lectores curioſi hoc minime diſcrepare ab illis, quæ ex Patribus de argumento librorum Enoch retulimus*. Alia forte

(1) Cl. Strom. l. 5.
(2) Ki Prodo. c. c.
(3) Ki Oed. aegy. to. 2. Cl 1. c. 5. in fine
(4) Joſ. c. 15. v. 15. & Judic. c. 1. v. 11.
(5) Sc. Techni, l. 7. c. 7. n. 13.
(6) Or Hom. 28 in Numer. & l. 5 c. Celsum
(7) Ca. Dic. ar Enoch.
(8) Au. l. 15 de Civi. c. 58.
(9) Ki Oed. ægy. to. 2. cl. 2. c. 2. di. 1 n. 3.

Digitized by Google

forte de hoc argumento dabunt Sixtus Senenſis (1) & Pompejus Sarnelli , quem novi a Diario Lit. Ital. (2) *annotationes ſupra librum Enoch* italice edidiſſe .

115. IV. Eſt liber Iob , cujus auctor quicunque ſit , vel ipſe Iob , quem aliqui patriarchae Iacob coævum credunt , vel alius ab illo , certe anterior fuit tempori quo Moyſes ſuos libros ſcripſit , propterea quod nullam in eo mentionem facit de portentis , quae in exitu Israel de Ægypto acciderunt , tametſi ſaepius occaſionem haberet hujus commemorationis , nec de ulla omnino re , quae ad rempublicam Iudaeorum pertinet . Hallucinatus enim profecto eſt Calmet , dum ait (3) *Job 26. 12. , & 15. 24. de Pharaone & maris rubri tranſitu clare nimis ediſſerit* . Nam in his verbis c 25. *In fortitudine illius repente maria congregata ſunt , & prudentia ejus percuſſit ſuperbum* , interpretes legunt formationem marium , & in ſuperbo percuſſo ipſum mare vel Diabolum intelligunt . Mitto aliud teſtimonium c.15. , quia multo minus eſt ad rem . Nec dici poteſt perſcriptus ſolis hieroglyphicis non literis ; Nam haec (4) *Quis mihi tribuat ut ſcribantur ſermones mei ? Quis mihi det ut exarentur in libro ſtylo ferreo ?* ſonant ſcripturam per literas , & ad ſummum quae ſequuntur *vel celte ſculpantur in ſilice* poſſunt intelligi de hieroglyphicis .

116. Io. Mariana , qui tuetur (5) Moyſem inventorem characterum , *Moſes* , inquit , *primas literas prolationis notas invenit* , minus deinde ſecum conſentit , dum approbat ſententiam Origenis (6) qui voluit ab ipſo Iob perſcripta fuiſſe Syriace quae ſibi acciderunt , & hebraice reddita a Moyſe . Quo enim modo ſcribendi inventor Moyſes dicitur , ſi libri jam aatea ſcripti interpres creditur ? Sed fortaſſe Mariana inventorem characterum Hebraicorum dicit Moyſem , qui cum apud Madianitas moraretur , ut volunt aliqui inter quos recentius eſt Iacobus Campbell in vita Moyſis apud Biblioth. Britannicam (7) , hanc hiſtoriam ex Syriaca vel Arabica Hebraicam fecerit novis excuſis characteribus ad erigendos animos gentis ſuae exemplo illis temporibus vulgo noto & recenti . Iob enim juxta S. Auguſtinum (8) non jam coaevus patriarchae Iacob , ſed tertia generatione poſterior , ex gente Idumaea genus ducens ibi ortus , ibidem mortuus eſt : quam opinionem Bellarminus (9) prae ceteris approbat , & Huetius (10) propugnat , hisque conſonat Petavius , qui Zaram neptem Eſau ipſius matrem credit anno Mundi 2221. , ejusdemque obitum ponit circa annum 2409. ante exitum Hebraeorum ab Ægypto annis circiter 49. Alia contra attributam Moyſi hanc inventionem dabunt Schottus (11) & Walthonus in ſuis ab Biblia prolegomenis .

(1) Si. Bibl. l.2 ar. Henoch.
(2) Gior. to. 2. ar. 17 Roma.
(3) Ca. Dic. ar. Iob.
(4) Iob. c. 19.
(5) Ma. Scholia in Teſt. præ. in Gen.
(6) Ma. Ibid. Schol. in Iob. præf.
(7) Bi. to. 6 p. 2 ar. 9.
(8) Au. l. 18 de Civ. c. 47.
(9) Bel. Scrip. eccl. ar. Iob.
(10) Hu. Dem. eva. prop. 4 de libro Iob.
(11) Sch. Technic. l. 7 c. 9 a n 5.

Digitized by Google

117. His animadverſis audiendi non ſunt, qui ſcriptionis auctorem conſtituunt Mercurium Triſmegiſtum, ut habet Ladvocatus Doctor Sorbonæ, ejusque bibliothecæ præfectus in ſuo Dictionario (1) quod cum primo prodiit duobus tomis comprehenſum laudarunt Trevoltiani (2) monentes tamen varios in illud irrepſiſſe errores, & multo magis credo laudatos fuiſſe poſtquam excrevit ad ſeptem tomos in editione Neapolitana anni 1760. qui meliores fient, ſi multa ſuperaddita quibus non erat hic locus tollantur, pluresque novi articuli addantur, quos ab ipſomet Ladvocato additos legi in editione Pariſienſi anni 1764., quam ignoraſſe videtur Remondinus, qui ſine his eos iterum impreſſit Baſſani anno 1773.

118. Contra hanc autem opinionem de Mercurio eſt quod vel dicimus cum Artapano apud Euſebium (3) ab Ægyptiis vocatum Mercurium quem Hebræi appellarunt Moyſem, & Græci Muſæum, quam opinionem propugnat Io. Mariana (4), jamque ſicuti Moyſem diximus non ſuaderi literarum inventorem, ita neque hunc Mercurium, vel admittimus diverſum fuiſſe Mercurium a Moyſe, & pertinere ad ſæculum circiter tertium poſt diluvium, & fuiſſe unum ex Ægypti regibus vel Regni adminiſtris, eumdemque cum eo quem Phoenices Tautum, & Ægyptii Thout appellarunt, quæ eſt opinio Kircheri (5), jamque quicunque hic ſit, excluditur a ratione quæ ſuadet ad primum hominem pertinere utramque artem loquendi & ſcribendi. Ceterum multi ſunt quos ſequitur Wachter (6) pro hac opinione incerto huic Mercurio tam honorifica.

ARTICULUS III.

De inventione characterum pro vocalibus linguarum orientalium.

119. Omnis lingua indiget vocalibus ut pronuncietur, & pronunciata intelligatur, quod eſt ſine controverſia utpote evidens. At non omnis lingua indiget vocalibus ut ſcripta intelligatur. Hanc propoſitionem demonſtrant libri qui extant Hebræi & Samaritani ſcripti ſine ullis vocalibus, quos dubitare non poſſumus probe intellectos fuiſſe ab omnibus qui artem ſcribendi noverant eo tempore quo ſcribebant & deinceps. Eamdem confirmant libri Syriaci in quibus maxime in antiquis per quam multa vocabula ſolis conſtant conſonantibus, quoniam mos Syrorum fuit uti vocalibus in iis dumtaxat vocibus quæ diverſas ſignificationes admitterent, ita ut cum una vocali unam & cum alia aliam haberent. Porro vocales apud veteres Syros non fuerunt niſi puncta ſupra conſonantes vel ſub ipſis poſita: a ſæculo autem octavo aliæ introductæ fuerunt vocalium formæ accedentes ad illas Græcorum auctore Theophilo Edeſſenſi, qui iis uſus

(1) Lad. Dict. ar. Merc. triſm.
(2) Tre. ann. 1753 ar. 25.
(3) Euſ. l. 9 præp. c. 4.
(4) Ma. Pref. in Gene.
(5) Ki. Oedi. ægy. ſynt. 1 to. 1 c. 4.
(6) Wa. Nat. & ſcrip. concor.

Digitized by Google

uſus eſt in ſua ſyriaca Homeri verſione, quia ſic illi libitum fuit, & non quia per puncta non poſſet nomina Græcorum appellativa exprimere Syriace, ut temere dicit Michaelius apud quoſdam annales Typographicos, de quibus inferius dicam, ubi referunt ejus *de antiquitate vocalium apud Syros* germanicam diſſertationem (1). Porro Syri nunc tam novis quam antiquis vocalibus utuntur promiſcue. Quare dum Grammatici vocales appellant matres lectionis, intelligendi ſunt loqui de lectione non quacunque, ſed de ea quæ communiter fit. Sunt enim qui Hebraicos libros ſcriptos ſine punctis quæ pro vocalibus in illis ſunt, legunt & aliquo modo intelligunt: Et qui præterea contendunt melius eſſe in hujusmodi ſtudio hanc vocalium inventionem omnino negligere utpote male digeſtam & importunam.

120. Ex his duo ſunt præcipue nominandi Franciſcus Maſclephius Canonicus Ambianenſis mortuus anno 1728. ætatis 66., & Bonaventura Giradeau S. I. Uterque negat hujusmodi olim adjectas vocales quicquam conferre ad legitimam intelligentiam librorum qui Hebraice ſine vocalibus proſtant, utpote quæ juxta illos non deſignant vocales, quibus veteres utebantur in pronunciatione. Quoniam autem ſine vocalibus pronunciari nequeunt quæ ſcripta ſunt, relictis hujusmodi punctis, quæ viſum memoriam & intellectum opprimunt, cum non habeant, ut Didacus de Quadros queritur (2) *regulas ſatis fixas, ſed pene omnia ita mobilia ut arenaria Arabiæ*, Maſclephius quidem anno 1711. propoſuit pro vocalibus ſubintelligendis in hebraicis libris primam ex vocalibus quæ adhibentur in appellatione cujusvis conſonantis; Itaque ubi occurrat Daleth pronunciabis da, ubi Beth be, & ſic de ceteris. Trevoltiani loquuntur de hac methodo ad Octobrem Novembrem & Decembrem anni 1711., & ad Octobrem anni 1731. & ad Iulium Auguſtum Septembrem & Octobrem anni 1733., quoniam nova hujus grammaticæ editio Pariſiis prodiit curante Bletterie Auctoris amico. Eadem methodus placuit celebri Edmundo Purchotio, alteri Maſclephii amico, & recentius auctori articuli 38. in tomo 1. de *Notitiis Literariis tranſalpinis* italice Romæ editis anno 1742.

121. Giraudeaus vero de lingua etiam græca præclare meritus propter ſuam *Introductionem ad linguam græcam* quæ complectitur regulas grammaticæ, Romæ editam anno 1739., & iterum Rupellæ anno 1752., qua in urbe duos alios libros cum eodem titulo promulgavit, alterum anno 1753., qui continet *Evangelium S. Matthæi græco-latinum*, & alterum anno 1755., qui habet *Iliados homericæ quatuor priores libros græco latinos*, ſingulis utrobique verbis ad regulas grammaticæ revocatis, præter brevem introductionem gallice vulgatam anno 1751. pueris exhibendam, Hic inquam in libro *Praxis linguæ ſanctæ* edito pariter Rupellæ anno 1757. de quo loquuntur Trevoltiani ad eumdem annum art. 104. mavult adhibere pro vocabulis a, e, i, u literas Aleph, He, Iod, Vau, & ubi harum nulla

(1) An. Juillet. ann. 1763 pag. 61.

(2) Qu. Enchirid. Hebrei.

nulla occurit ſubſtituit literam O. In prædictis literis haberi vocales ipſe Maſclephius, & Calmet (1) cenſuerunt poſt Stephanum Morinum, qui elapſo ſæculo fuit linguarum Orientalium Profeſſor Amſtelodami in libro *de lingua primæva*. Calmet tamen Hain aſſumpſit loco He, quia in hac aſpirationem agnoſcit, non vocalem. Electionem vocalis O, ubi nulla inter duas conſonantes hebraicas occurrit vocalis, propoſuit jam ante auctor citati articuli in Notitiis tranſalpinis.

122. Obſervare hic præſtat auctores novæ rationis legendi hebraica biblia negligere quidem, quæ in illis pro vocalibus jamdudum fuerunt appoſita, & communiter uſitata, ſed alias aſſignare, quas in ipſo alphabeto hebraico ſtatuunt haberi, & certas regulas præſcribere, quibus cognoſcatur quæ ſingulis conſonantibus, per quas dictiones componuntur conveniant. Quod quidem mihi videtur eſſe omnino neceſſarium; Nam aliter plus nimio vaga eſſet verborum ſignificatio, ſi ad cujusque arbitrium relictæ eſſent addendæ vocales. Etenim ſicuti Ioannes Morinus (2) animadvertit in lingua hebræa has tres conſonantes quas latino modo ſcribo D, B, R ſimul junctas ſubire octo diverſas ſignificationes pro diverſis vocalibus punctis, quibus afficiantur: ita ego animadvertam in lingua italica tres conſonantes P, S, T ſuſcipere pro diverſis vocalibus, quæ illis applicentur novemdecim ſignificationes, ſcilicet Paſta, Paſte, Paſto, Paſti, Peſte, Peſta, Peſto, Poſti, Poſta, Poſte, Poſto, Poſti, Peſata, Peſato, Peſati, Poſata, Poſate, Poſato, Poſati.

123. Quæ contra has novitates, quas Maſclephiſmum appellavit Bonifacius Finetti (3) in ratione legendi ſcripta in lingua Sancta dicta ſunt, habentur in eisdem monumentis Trevoltianis (4) una cum eorum ſolutionibus (5) quæ certe contemni nequeunt. De hac una objectione nullam vidi apud illos mentionem fieri, quam tamen invenio apud laudatum Finettium (6), quæ ſic habet. Puncta jam olim vocalia introducta offerunt ſenſum in quo verba Scripturæ tempore auctorum hujus inventionis intelligebantur, qui nequit eſſe niſi qui tunc receptus erat & proinde acceptus per traditionem: ergo piaculum eſt hunc recuſare. Sed negant antecedens qui apud Calmet (7) punctorum auctores reprehendunt quod ſacrum textum corruperint, receptamque interpretationem ab Hebræis Græcis & Latinis ante & poſt Chriſtum deſeruerint maxime ubi faveret Chriſtianæ Religioni. Sed cum hæc accuſatio cadat in quædam dumtaxat loca, quæ comparata cum ceteris omnibus ſunt exigua Bibliorum pars, objectio retinet ſuum pondus, quod augere poſſunt qui credunt originem punctorum in Scriptura hebraica eſſe a punctis, quibus lingua Chaldæa ſive Syriaca vel ſemper vel ante omnem hominum memoriam uſa eſt, quæ accurate exponuntur

(1) Ca. Dict. ar. Literæ, & ar. Puncta vocalia.
(2) Mo. Exerc. bibl. l. 1 exe. 6 c. 4.
(3) Fi. d. *Ling*. Ebra. c. 1 n. xi.
(4) Tr. ann. 1758 ar. iii.
(5) Tr. ibid. ar. 76
(6) Fi. d. *Ling*. ebra. ſe. 1 c. 1 n. 7.
(7) Cal. Dict. ar. Maſſora.

Digitized by Google

nuntur ab Amira (1) qui obſervat eos errare, qui aliquas alphabeti Syriaci literas habuerunt pro vocalibus, vel vocales appellarunt; Nam *nulla*, inquit *litera in noſtra lingua per ſe ſine ullo adiumento alicujus vocalis ſonare poteſt, immo omnes ſunt indifferentes, & ſonum vocalis ſibi additæ ſequuntur*. Quare quoniam magna ſaltem pars Sacræ Scripturæ Syriacæ conſentit cum hebræa, jure dici poteſt puncta hebraica offerre verum & genuinum ſenſum omnium verborum, quæ nihil habeant, quod pertineat ad Chriſtum, vel Chriſtianam religionem; In his enim dumtaxat locis reperitur lectio hebraica a Maſſoretharum punctis determinata exhibere ſenſum diverſum ab illa antiquarum verſionum, quas veteres Patres & uſus Eccleſiæ conſecravit.

124. Venio jam ad horum inventionem. Petrus Lambecius Hamburgii natus anno 1628., & Vindobonae mortuus anno 1679. in Catholica Religione, quam multis annis ante amplexus fuerat, in ſuo Prodromo ad Hiſtoriam literariam, quem Io. Albertus Fabricius publici juris fecit, hæc puncta ipſi Adamo refert accepta. Pinettius pro eadem citat (2) Pagninum, Meſnerum, & Pererium. Sed huic opinioni fortaſſe nemo jam ſubſcribit. Sunt qui ea tribuunt Moyſi, qui ea acceperit a Deo ſupra montem Sinai una cum lege, eaque deinde Iſraelitarum ſenioribus ipſe communicaverit. Id docuit unus ex Catholicis Morinus Brixianus: multi autem ex hæreticis, in quibus eſt Anglus Sebaſtianus Munſterus, qui deſerta catholica religione in Lutherana obiit anno 1552. ætatis ſuæ 63. præter alios multos apud Finettium, & illos, quos ſupra (n. 109.) commemoravi artem ſcribendi a Moyſe repetentes. Sed hoc profecto dici non poteſt niſi de punctis, quae reperiuntur in Pentateucho, utpote qui Moyſem habet auctorem ut plane demonſtrant Bollandiſtae in vita Moyſis, quoniam alii ſacri libri ab aliis poſt ipſum ſcripti ſunt. Quare quae in his habentur verba non uſurpata in Pentateucho, neceſſe eſt ab alio quam a Moyſe receperint puncta, quæ illorum lectionem determinant.

125. Alii malunt Eſdram illorum auctorem, qui duces habent utrumque Buxtorfium patrem & filium. Sed horum argumenta Calmet (3) jam elevavit. Elias Levita Rabbinus Germanus ſæculo XVI. propugnavit hæc puncta introducta fuiſſe abſoluto jam opere Thalmud ab ipſis hujus operis auctoribus, quod eſt quaſi codex Iudæorum, ante autem hoc tempus rationem legendi ſacros libros, ſupplendique in ipſis vocales perſeveraſſe in populo unice per traditionem. Quoniam autem duo ſunt Thalmud, Hieroſolymitanum & Babylonicum ſic appellata a locis, ubi fabricata fuerunt, primum circa annum Chriſti 300., alterum duobus, & fortaſſe etiam quatuor ſæculis poſt, inſtitutio punctorum juxta hanc opinionem referenda erit ad auctores primi Thalmud, ſi verum eſt, quod lego apud

Ioſe.

(1) Am. Gram. Syri. l. 1 c. 12.
(2) Fi. d. Ling. hebr. c. 1. ſc. 1 n. 12.
(3) Ca. Dict. ar. Puncta vocalia.

Digitized by Google

Ioſephum M. de Turre (1) Eccleſiam latinam noluiſſe in divinis officiis uti pſalmis juxta verſionem., quam S. Hieronymus mortuus circa annum 420. fecit *ex hebræo textu punctuato, interpretato per Thalmudiſtas, atque ad determinatas ſignificationes per puncta ſtabilito.*

At contra hanc opinionem eſt, quod nec Thalmud, nec Midraſchim, hoc eſt Commentaria Iudaica in S. Scripturam, Thalmudo recentiora unquam meminerunt de his punctis, quamvis frequentem habuerint de illis agendi occaſionem. Præterea ſub finem octavi ſæculi Eccleſiæ dimicarunt inter ſe Iudæi orientales & occidentales pro legitima lectione textus hebraici, quam utrique ex manuſcriptis codicibus ſibi propriis volebant ſtatuere. Attamen neutra pars pro ſe citat Maſſorethas (1), *quod* inquit Calmet, *argumento eſt manifeſtiſſimo nunquam adhuc Maſſoram audiri coepiſſe.*

Fourmontius apud Finettium (2) gloriatur ſe demonſtraſſe uſum punctorum vocalium incoepiſſe circa dimidium tertii Eccleſiæ ſæculi. Sed qui legat examen hujus demonſtrationis, quod Finettius inſtituit, ne probabilem quidem dicet ab eo factam hanc opinionem. Petrus Galatinus, ſive Raimundus Martinus, quem juxta Ladvocatum (3) aliosque Galatinus deſcripſit ad tempora Chriſti hanc inventionem voluit pertinere.

126. Sed omnia pro magna horum punctorum antiquitate argumenta videntur mihi everti ab ipſis antiquis codicibus, qui non eſſent ſine punctis, ſi illorum inſtitutio hujusmodi eſſet antiquitatis. Atque hæc videtur cauſſa cur S. Hieronymus (4) ſuo etiam tempore non unam invenerit apud omnes hebraicorum librorum interpretationem. Aliud obvium contra eamdem antiquitatem argumentum ſunt antiquæ verſiones Bibliorum in græcam linguam, quæ non ſunt ubique inter ſe conſentientes, quales fuiſſent ſuppoſitis jam tunc punctis ſingulorum verborum ſignificationem determinantibus. Qui dicunt illarum inter ſe diſſenſum potuiſſe naſci ab erroribus amanuenſium factis in punctis, reiiciuntur tum quia ſupponi non poteſt doctos homines adhibuiſſe codices, de quorum ſinceritate certi non eſſent, tum quia ipſa revera prima punctorum mentio eſt temporis longe poſterioris.

127. Porro ex antiquis verſionibus græcis quatuor ſunt celebres. Prima eſt quam ſeptuaginta duo Iudæi fecerunt, ſive ab his revera facta fuerit, opera Ptolomaei Philadelphi in Ægypto regnantis, qui impetraverit ab Eleazaro Iudæorum pontifice ſenos ad hoc opus doctos homines ex unaquaque tribu, ut Ariſtæas narrat, & Bellarminus (5), ac Bonfrerius (6) cum antiquioribus Patribus tuentur, ſive facta ab alio fuerit, vel aliis ignotis auctoribus, ut poſt S. Hieronymum (7) Calmet tenet cum multis recentioribus. Hæc communiter appellatur verſio ſeptuaginta omiſſa mentione duorum qui ſupra ſeptuaginta in eam incubuerunt, juxta conſuetudinem

(1) Ca. Dict. ar. Maſſora.
(2) *Fi.* Ling. hebr. c. 1 ſe. 1 n. 12.
(3) La. Diz. ar. Galatinus.
(4) *Hi.* in Isa. c. 26 in Iere. c. 22 & in Habac. c. 3.
(5) Be. ſcrip. eccl. ar. Ariſtæas.
(6) Bo. in Pent. præl c 16.
(7) Hi. Præf. in Pentat.

Digitized by Google

dinem in ſacris etiam literis a S. Auguſtino (1) obſervatam, exprimendi numerum ut ajunt cardinalem, eo omiſſo qui ipſi deſit vel ſuperſit. Atque ſin minus prima ſit verſio bibliorum græca, quod ex alibi dictis (2) controverti poteſt, prima ſine controverſia eſt ex græcis, quæ extant, & ab ea omnes juxta Calmet (3) verſiones in alias veteres linguas natæ ſunt. In quo videor mihi videre divinæ ordinationem Providentiæ, quæ viam ſternebat ad faciliorem Gentium converſionem, majoremque in ea firmitatem, dum ex lectione veteris Teſtamenti verſi in græcam linguam tunc ipſis familiarem poterant agnoſcere a multis jam ſæculis prædicta, quæ ſibi de chriſtianæ religionis myſteriis audirent prædicari. Ex verſione ſeptuaginta natae ſunt Syriaca, & Vetus Latina ſeu Italica, & Coptica ſeu Ægyptiaca, & Æthiopica, & Armena, & Arabica.

128. Secunda graeca verſio eſt Aquilae nati Synope urbe Ponti, unde Ponticus dictus, qui ſub Adriano floruit primo paganus vel judaeus, deinde chriſtianus, quem tamen Patres ab Eccleſia expulerunt, referente S. Epiphanio (4) quia aſtrologiæ judiciariæ addictus, & tandem iterum Iudæus, qui ſingula verba hebraica graecis expreſſit. Tertia verſio eſt Symmachi, qui a Samaritanis ad Iudaeos defecit, & ab his ad chriſtianos, & tandem ad haereticos Ebionitas ſub imperio Severi. Hic ſenſum attendit non verba. Quarta eſt Theodotionis, qui ex chatholico factus haereticus Marcioniſta, & poſtea Iudaeus eam protulit ſub Commodo, quae proinde praeceſſit illam Symmachi, ſed uſus obtinuit, ut quarta dicatur poſt Originem, qui hoc ordine uſus eſt in ſuis tetraplis, hexaplis, & octaplis. Haec mediam quamdam viam inter alias duas tenet.

129. Supra omnes jam opiniones triumphat ea jam communis, quæ ſtatuit ſigna vocalium conſtituta in punctis deberi duobus rabbinis, Aaroni Ben-Aſer, & alteri Ben-Nephthali, quem Pineda (5) quidem appellat Iacob, Calmet vero Moyſem. At Ladvocatus (6) id dicit factum ſæculo Eccleſiæ quinto, & Proſper ab Aquila (7) annum etiam determinat 476., vel 478. Ioannes autem Morinus Bleſis natus anno 1591., & Pariſiis mortuus ætatis ſuae 68. (8) rem transfert ad ſaeculum nonum vel decimum, in quo eorum auctores ſtatuit, quorum alter Ben-Nephtali vixit Tiberiade Paleſtinae, praeſes celebris Academiae, quam ibi Iudaei diu habuerunt. Maſſorethae ſolent appellari horum punctorum auctores a maſſora voce hebraea, quae traditionem ſignificat, quia dicuntur haec puncta appoſuiſſe ad conſervandam determinatam lectionem, quam ex traditione receperant. Iidem ad præcavendam omnem in textu prout ab ipſis lecto immutationem, poſteris transmiſerunt numerum verſuum cujuſcunque libri, & vocum cujuſcunque verſus, & literarum cujuſcunque voeis, & numerum

(1) Au. l. 2 q. in Exod. 47.
(2) De Mirac. n. 1498 edit. 3.
(3) Ca. Dict. ar. Biblia græca.
(4) Epi. de ponderibus.
(5) Pi. de Salom. l. 5 c. 13.
(6) La. Dict. art. Aron Ben Aſer.
(7) Aq. Dizi. Bibl. ar. Aleph.
(8) Mo. Queſt. bibl. 18. l. 2.

Digitized by Google

merum etiam ſingularum literarum, quae in toto textu reperiuntur.

130. Hæc puncta pro vario modo, quo ſint diſpoſita ſupra vel infra conſonantes reddunt ſonum quinque vocalium vulgarium, ſed modo longiorem modo breviorem modo breviſſimum. Quare grammatici hebraicæ linguae per propria nomina diſtinguunt quinque vocales longas & quinque breves & quinque breviſſimas. Ab his credam natum uſum punctorum pro vocalibus E, O, I, U, quae auctore Herva (1) in ſcriptis adhibent Siamenſes, qui linguam loquuntur, quae eſt dialectus linguae Sinenſis, & illi qui in Aſia linguam habent Malaiam, ſive Malacenſem late diffuſam.

ARTICULUS IIII.

De primis characteribus.

131. CUM ars ſcribendi jam exiſtat, quaeritur quinam fuerint primi characteres. Equidem reſpondeo nihil certi in hac re haberi. Sabaei quidem reſpondent eos fuiſſe ſimiles chaldaicis. Porro Sabaei qui etiam Sabii & Zabii vocantur, homines ſunt per Syriam aliaſque orientales regiones ſparſi, qui religionem profitentur mixtam ex moribus hebraeis, chriſtianis, mahumetanis, ut recentius refert Abbas d'Artigny in novis monumentis hiſtoriae (2) poſt Calmet qui de illis, de quibus non ſemel meminit, ait (3) *S. Jo. Baptiſtam venerantur, ſeque ejus diſcipulos prædicant, & baptiſmi genus quoddam norunt*, unde etiam Chriſtiani S. Ioannis appellantur. Finettius qui de iiſdem iterum iterumque loquitur (4) dicit, eos ſibi tribuere etiam nomen Mendaitarum derivatum a lingua Chaldaica, quod idem valet ac nomen graecum Gnoſticorum, latine ſapientum, quod aliqui antiqui haeretici ſibi arrogarunt. Hujuſmodi characteres ita tribuunt Sabaei Adamo, ut non ſolum credant perſcriptos ab eo libros, quod alios iam vidimus (n 103.) affirmaſſe, ſed glorientur etiam librum plenum moralibus praeceptis ſe poſſidere manu ipſius Adami ſcriptum, cujus characteres affines ſunt Chaldaicis. Sed quis curet auctoritatem hominum qui tam abſurdam religionem ſequuntur.

132. Io. Baptiſta Bianconi reſpondet (5) *literas phoenicias eſſe omnium antiquiſſimas*. Quod jam alii dixerunt; Nam Plinius qui ceteroqui arbitratur (6) *literas ſemper Aſſyriis fuiſſe*, ait ex aliorum ſententia (7) *Gens Phoenicum in gloria magna eſt literarum inventionis*, & Lucanus (8)

Phoenices primi famæ ſi creditur auſi
Manſuram rudibus vocem ſignare figuris.

Biancc-

(1) He Idea. to, 17 n. 167.
(2) Ar. Memoi. to 7 ar. 7.
(3) Ca. Dict. ar Zabii, ar. Sabæi, ar. Chriſtiani S. Io.
(4) Fi. Ling. Ebrai. c. 1 ſc. 1 n. 9 & ſc. 3 n. 4.
(5) Bi de antiq. lit. pag. 55.
(6) Pl Hiſt. l. 8 c. 56.
(7) Ibid l. 5 n 21.
(8) Lu. l. 3 v 22.

Digitized by Google

Bianconii argumentum eſt quia in antiquis monumentis diverſarum gentium, quæ ad Orientem ſpectant ut ſunt Babylonii, & quae ad Occidentem ut Græci, & quæ in his medii ſunt ut Hebræi qui ſibi ſoli vivebant, ſocietatem cum ceteris populis vitantes, inveniuntur characteres, qui accurate conſiderati manifeſtant communem quamdam originem in quadam formæ analogia. At hinc non infertur primatus pro characteribus phoeniciis, qui iidem ſunt ac Samaritani. Alii partim Phoeniciis, partim Syris hanc laudem tribuunt. Sunt inquit S. Clemens Alexandrinus (1) qui *dicunt Phoenicios & Syros primos excogitaſſe literas*, idemque repetunt plures, quos nominat Gaſpar Schottus (2) qui cum non dicant Phoenicios ſive Syros, ſed Phoenicios & Syros, alteros ab alteris diſtinguentes, non video quare tum ipſe tum alii poſt Euſebium ex dictis (n. 107.) ſupponant eos neque inter ſe neque ab Hebræis diſtingui.

133. Multi dicunt Ægyptios eſſe literarum auctores, quas invenit Mercurius, in quo quemdam Ægypti regem venire credunt. Sed (n.118) non approbat hanc opinionem Shuckfordius (3), qui hunc honorem vult convenire Aſſyriis qui longe ante Ægyptios floruerunt, & argumenta quibus eam aliqui propugnarunt, bene ipſe (4) elevavit.

134. Sunt tandem qui primos characteres volunt fuiſſe hebraicos. In his eſt Kircherus qui dicit (5) *omnino tenendum eſt hebraicas literas ab ipso mundi initio fuiſſe inventas non ab alio ut arbitror, quam ab ipso Adamo*. Sed gratuitam cenſuit S. Auguſtinus (6) hanc opinionem eamque alii omnino falſam eſſe ſuadere ſe credunt, nihili habentes auctoritatem Ioſephi, dum eidem ſuffragatus eſt in Antiquitatibus Judaicis, ubi ut videre eſt apud Antonium Thyſium (7), contendit Eſdram non inveniſſe ſed revocaſſe uſum Hebræorum characterum, quem vult ante diluvium viguiſſe.

Argumenta hujus falſitatis ſunt I. Quia nomine characterum hebraicorum vel veniunt uſitati ab Hebræis ante Eſdram, & hi non fuerunt hebraici, quales nunc ſunt, vel veniunt, qui apud hebræos in uſu fuerunt poſt Eſdram, & hi juxta S. Hieronymum, qui dicit id (8) *certum eſſe*, habuerunt Eſdram inventorem ex conſenſu, ut jure creditur, vel auctoritate Synagogæ, quæ juxta Euſebium (9) voluit, ut ſui hoc etiam modo differrent a Samaritanis, quos pro hæreticis habebant, eoſque natos autumat Huetius (10) ex permixtione quadam characteris Samaritani, cui jam Hebræi aſſueverant cum Aſſyrio, quem adhibere incoeperunt poſt captivitatem babylonicam. Calmet vero loquens de illis, quos habent noſtra Biblia, qui utique ſunt in uſu poſt Eſdram dicit (11) *proprie eſſe chaldæos*, non quidem illos, qui nunc, ſed qui antique fuerunt uſitati.

H 135. II.

(1) Cl. Strom. l.1.
(2) Sc. Techn. l.7 c.7 n.3.
(3) Sh Hiſt. du Mond. l. 4. pag. 228.
(4) Sh. Hiſt. l.4. pag. 226.
(5) Ki. Turr. Babel. l.2 ſec. 3. c.17.
(6) Au. in Exod. q. 69.
(7) Th. Exerc. 5 in Faſcic.4. opuſc. pro hiſt. ſacra
(8) Hi. Prolog. gale. ſub init.
(9) Eu. Chronic.
(10) Hu. Dem. evan. pr.4 c.13 n.9.
(11) Ca. Dict. ar. Literæ.

135. II. Quia plures Rabbini, de quibus Huetius (1) poſt Kircherum, qui eorum concepta verba hebraica cum latina interpretatione producit (2), & plures eruditi apud Calmet (3), in quibus non video nomen Kircheri, affirmant duos olim apud judæos fuiſſe in uſu characteres, alterum pro rebus ſacris, quem aſſyrium & proprie hebraicum vocant, alterum pro profanis, quem appellant Samaritanum, ſeu Samariticum, ſive Cuthaeum, quoniam Samaria ex Ricciolio (4) dicta etiam eſt Cutheos. Hanc diviſionem characteris uſitati ab Hebraeis in ſacrum & profanum Kircher citato loco admittendam omnino eſſe oſtendit non ex ſola auctoritate rabbinorum, ſed ex extantibus adhuc permultis numis ſub regibus hebraeorum percuſſis, quorum alii ab eo in medium producti ſunt characteribus aſſyriis, alii & quidem plerique Samaritanis, vel his affinibus, ut ſunt phoenicii, aliique, quorum exemplum Kircher (5) *ex probatiſſimis*, ut ait *auctoribus* collectum exhibuit in tabula.

136. Eamdem diviſionem Eraſmus Froelich natus Grecii anno 1700. & Vindobonae mortuus aetatis ſuae 58. propugnavit in *Annalibus regum & rerum Syriae numis veteribus illuſtratis*, quos oppono ipſi Calmet, qui uſum duplicis characteris vocat *ludibria phantaſiæ*, & Ioanni Bapt. Bianconi (6), cui non ſolum hic uſus viſus eſt improbabilis, ſed improbabile etiam contendit eſſe, quod S. Hieronymus dixit certum de novis literis introductis per Eſdram, quemadmodum jam olim alii exiſtimarunt apud Bonfrerium, quos ille a ſe removet dicens (7) *unius Hieronymi auctoritas mihi pluris eſt mille novatoribus*. Pacatius eisdem reſpondet Kircherus, dum monet (8) S. Hieronymum non intelligendum eſſe, quod dicat *Eſdram novum quoddam characterum genus toto cælo a reliquis diverſum reperiſſe, ſed meliorem illorum formandorum methodum inveniſſe, qua diſtinctius & ornatius legem imperitæ plebi deſcriberet; character enim aſſyrius & ſamaritanus eodem tempore viguiſſe* certum eſt, & qui dicebatur aſſyrius, eſdræus etiam deinde appellatus fuit poſt Eſdram, qui illum vel renovavit vel expolivit, vel faciliorem adeoque communiorem reddidit. Ex admiſſo autem duplici apud hebraeos charactere ſacro & profano, credam equidem ſacrum ſive aſſyrium antiquiorem profano ſive ſamaritico, quia hic videtur natus ex negligentia in literis aſſyriis effingendis, quae ut obſervat idem Kircherus quadratae plerunque ſunt elegantes & decorae, ſecus vero ſamariticae.

137. III. Quia Thalmudiſtae intercedunt, qui literas hebraicas, quales nunc habemus, primum adhibitas ab Angelo dicunt, cum in aula Balthaſſaris ſcripſit *Mane Tecel Phares*. Quod etſi fabuloſum habetur, attamen aliquo modo confirmat nihil certi in hac quaeſtione ſtatui poſſe, idque

(1) Hu. Demon. pr. 4 c. 13 n. 10.
(2) *Ki.* Oedi. ægyp to 2 cla. 2 di. 2 & Turr. Bab. l l. 3 ſec. 1 c 5.
(3) Ca. Dict ar. *Literæ*.
(4) Ri. Geogr. l. xi. Onom. vulg.
(5) *Ki.* Oed. ægy. to. 2 cl. 2 n. 3 di 3.
(6) Bi de antiq. lit. hebr. pag. 16.
(7) Bo. in Gen. c. xi. v 1.
(8) *Ki.* Oedi. ægy. to. 2 cla. 2 c. 2 di. 3 n. 2 longe poſt med.

que iterum confirmat, quod incertum adhuc ſit, an hebraica lingua ſit omnium prima, quemadmodum in hac opinione ſupponitur, & data etiam hac hypotheſi quonam modo ſuadetur eam habuiſſe characteres quales nunc habet?

138. Qui in omnibus jam linguarum alphabetis obſervantur duplicis generis characteres majuſculi & minuſculi non ſunt ejusdem temporis. Hac diverſitate caruerunt omnino veteres Etruſci; Auctore enim Amadutio (1) *ex omnibus eorum usque dum notis monumentis patet non alio ſcripturae genere uſos eſſe, quam eo quod majusculum audit*. Græci pariter & Latini antiquitus minuſculos ignorarunt, quorum inventio, & uſus circa ſæculum VII. creditur incoepiſſe. Nam quæ ante hoc tempus extant in lapidibus & codicibus monumenta, omnia utuntur majoribus, ut ſiqua eruta fuerint cum uno aut altero minori inter alios majores, antiquarii adnotaverint tanquam rem ſingularem, prout fecit Antonius Lupi de litera parva *b* quæ legitur (2) in aliquibus antiquioribus inſcriptionibus, & iterum facit Anthologia Romana circa eamdem *b*, quæ reperitur in alia nuper prope Urbem effoſſa, quæ ad Veſpaſiani tempora videtur pertinere.

139. Hebræi etiam doctores poſteriorum temporum, Rabbini vulgo dicti excogitarunt quosdam hebraicos characteres, quos minuſculos dicit Bonifacius Finettius (3) comparatos cum illis, quibus ſcripti ſunt Sacræ Scripturæ libri, & celebris illorum codex Thalmud, cujus duo ſunt partes, altera in lingua hebraica quaſi textus Miſna dicta, & altera in chaldaica, quae eſt textus interpretatio, & dicitur Gemara. His minuſculis jam utuntur partim per quamdam reverentiam, qua majuſculos relinquunt libris ſanctis, partim ad ſcriptionem magis expeditam. Chaldæi pariter facilioribus jam ad ſcribendum characteribus utuntur, quemadmodum etiam ſyri, qui antiquos penitus deſeruerunt. Utrique minuſculi dici poſſunt cum Finettio (4), qui tam de hebraicis, quam de chaldaicis & Syriacis tum majoribus tum minoribus figuras exhibuit, ſed quæ ſunt de ſyriacis periti accuſant de peſſima conformatione.

140. Inventio majorum & minorum literarum apud nos magni eſt emolumenti quippe ad perſpicuitatem ſcripturæ maxime conducit. Majoribus belle utimur pro nominibus ut *Ariſtoteles*, & pro iis, quæ ex quadam conſuetudine propria evaſerunt, ut *Stagirita*, & pro iis quæ præcipue volumus adverti, ut ſi dicam *nunc agam de Characteribus*, bene grandiori C utor, & pro aliis ſcriptionis locis, quorum aliqua Daniel Bartoli (5) adnotavit, & plura Corticellius (6), omnia vero Rogaccius (7) incipiens ab eo loco qui eſt poſt punctum, ſignum abſolutæ periodi, poſtulans ut nova per literam majorem inchoetur, quemadmodum ita communiter

H 2

(1) Am. Alphab. n. 7 edi. 2.
(2) Lu. Epitap. S. Severo pag. 154.
(3) Fi. Lin. ebra. c. 1 ſe. 2 n. 6.
(4) Fi. Ibid. c. 1 ſe. 3 n. 4 & ſe. 4 n. 5.
(5) Ba. Orbogr. c. 16 §. 5.
(6) Co. Regole l. 3 c. 10.
(7) Ro. Pratic. d. ling. p. 5 c. 10.

Digitized by Google

niter ſit, ut ingratum mihi ſit videre in Aldo Manutio, aliiſque non ſolum doctrinæ ſed etiam eruditionis laude clariſſimis, novas periodos inchoari per minuſculas literas, quas ipſi conſulto negligunt, quia cum earum initium ſatis per antecedens punctum enuncietur, otioſum putant alio etiam ſigno ipſum indicare. Sed quando ex allata ratione otioſæ ſint literae majuſculae poſt punctum, eæ neceſſariae quodammodo evadunt ex conſuetudine etiam ab eruditis communiter recepta. Quis enim negabit ab eorum judicio orthographiam pendere? Equidem ſcriptoribus linguarum orientalium hanc literarum majorum parcitatem relinquam, in quibus nullam illarum reperias niſi in titulo, & in ipſo ad ſummum operum principio, ut patet in ſyriacis libris.

141. Utroſque characteres eſſe ſigna arbitraria facile concludet, qui advertat potuiſſe quod eſt ſignum conſonantis conſtitui ſignum vocalis. Quid quod cum pleraeque linguae eosdem vocis ſonos iiſdem ut ita dicam depingant characteribus, & diverſos diverſis, eſt Lingua Gallica, quae obſervante Vallarto in ſua hujus linguae grammatica laudata in Cenſuris librorum novorum (1) eumdem ſonum *ein* ſex diverſis characteribus deſignat *aim*, *ain*, *ein*, *in*, *ingt*, *int*, ut apparet in vocabulis *faim*, *vain*, *deſſein*, *vin*, *vingt*, *vint*: & rurſus pro diverſis ſonis quandoque eodem utitur ſigno ut in his vocabulis *faible & faiſon*, quorum penultima non eodem modo pronunciatur. Atque in hoc ſecundo arbitrii genere circa uſum characterum inſignis eſt lingua Anglica, apud quam una eademque ſcripta litera praeſertim vocalis diverſo exprimitur ſono in diverſis vocabulis, quod a perfectione linguae abeſſe facile cum Carpovio (2) ſuadetur, quia opponitur facilitati communicationis idearum.

142. Fuit quidem Wachterus, qui in ſignis naturalibus viſus eſt ſingulos characteres collocare, quoniam credidit ſe inveniſſe originem formationis ſingulorum in figura inflexione aliiſque modificationibus, quæ ori labiis cæteriſque contingunt loquelæ inſtrumentis, dum ipſi exprimuntur. At in figura quidem literæ O plurium linguarum video ipſam oris imaginem, dum eam pronunciat, non vero in figura aliarum literarum. Atque Plutarchus apud Kircherum (3) figuram vocalis A primæ literæ in alphabeto tot linguarum, quæ eodem modo in ſingulis deſignatur, dicit deſumptam eſſe a figura, quam Ibis avis apud Ægyptios celebris format inſerto transverſim longo ſuo roſtro in cruribus divaricatis, quod ceteroqui inter commenta non nemo credo reiiciet. Præterea nonne evidens eſt formam literarum ejusdem ſoni & poteſtatis eamdem non eſſe in ipſarum alphabetis? Quare jure advertunt Trevoltiani (4) nihil ſolidi haberi in hujusmodi Wachteri meditatione.

ARTI.

(1) Jugemenl. t.2 pag.148.
(2) Ca. Perfec. ling. n.198.
(3) Ki. Prodr. Copt. c. ultim.
(4) Tr. an.1753 ar.35.

ARTICULUS V.

De auctoribus alphabeti quarumdam linguarum.

143. DE auctoribus cujuscumque alphabeti plerunque controvertitur. Qui Phoenicii dicuntur, & communius Samaritani ſunt ex characteribus qui extant omnium antiquiſſimi. Sed quis illorum auctorem certo determinet? Eos repetere ab Adamo vel aliquo ex ejus filiis, vel a Noe eſt indulgere conjecturis, & temere ſupponere primos illos revera fuiſſe. Nam argumenta, quibus Bianconius (1) credidit ſe probaſſe illos fuiſſe in uſu gentium ante ipſam illarum diſperſionem minus efficacia eſſe Finettius (2) jam oſtendit. Mercurium veteris alphabeti ægyptii inventorem ſunt qui ex dictis (n. 133.) affirmate ſtatuunt, ſicut de hebræo Moyſem (n. 116.) cum verius ut vidimus (n. 134.) auctor hebræi nobis noti ſit Eſdras. Salomoni aliqui tribuunt inventionem alphabeti & characteris Syriaci. Eumdem ſunt qui volunt auctorem etiam arabici. Quoniam autem duo arabicæ linguæ characteres ſunt, alter antiquior, alter recentior, qui nunc eſt in uſu & Aſiaticus dicitur, ad Salomonem referunt ſolum antiquum, qui Africanus, & communius Cuficus appellatur a Cufa Iracæ urbe poſita teſte Ioſepho Simonio Aſſemano (3) *ad ramum Euphratis ſub 31. grad. 50. minut. latitudinis, ita nuncupata a rotunditate ſive moeniorum, ſive montis, qui mediam occupat*, ubi auctore Finettio (4) erat celebris Academia.

144. Cuficus poſt Mahumeti invaſionem ſatis communis fuit apud Arabes, qui multas Europæ provincias ſibi ſubiecerunt, vulgo cognitos ſub nomine Saracenorum. Quare plurima cufica ſcripta in diverſis regionibus inveniuntur. Super aliqua de his nuper diſſeruit Georgius Chriſtianus Adler Altonanus in *Muſeo Cufico* Romæ edito anno 1782., & laudato a literariis ephemeridibus romanis (5). Multo plura cufica monumenta ſunt in archiviis Hiſpaniæ, cujus meridionales primo partes Saraceni occuparunt ſub initium ſæculi Chriſti octavi, & alias deinceps, iisque usque ad finem ſæculi undecimi dominati ſunt. At Salomonis inventum eſſe alphabetum Cuficum temere dici cenſuit Calmet (6), falſum vero omnino eſſe tenent, qui volunt Moyſem vertiſſe in hebraicam linguam librum Iob ſcriptum arabice vel syriace. Falſum etiam dicit Abdalla mortuus anno Domini 1127., qui in opere cufice ſcripto *Expoſitio methodi ſcribendi*, tres nominat Cufici inventores Aslamium, Amaerum, & Moramerum, quorum ultimo alii etiam apud Finettium (7) hanc inventionem tribuunt. Abdal-

(1) Bi. De antiquis liter.
(2) Fi. *Ling.* Ebr. c 1 ſe.6 n.9.
(3) Aſ. Adden. ad muſeum etruſ. Veron. pag.488.
(4) Fi. Ling. Ebra. c 1 ſe. 7 n. 10.
(5) Ef. ann.1782 n.18.
(6) Ca Dict. ar. Salomon.
(7) Fi. Lin. ebrai. c. 1 ſe.7 n.10.

Digitized by Google

Abdallæ codex aſſervatur in Bibliotheca Regis Hiſpaniæ, & de eo ejusque interpretatione Stephanus de Terreros (1) certiores nos facit loqui Michaelem Caſſirium.

Recentior character arabicus elegantioris formæ communiter nunc uſitatus tam in manuſcriptis quam in impreſſis libris citatus Finettius dicit initium habuiſſe circa ſæculum æræ vulgaris decimum, adeoque tercentis poſt Mahumetum annis ejusdem auctore præcipuo Ebn-Buuch. Neſcio autem quis primum excogitaverit & appoſuerit arabicis ſcriptis ſigna vocalium quæ ſicut in aliis linguis orientalibus extra illius alphabetum ſunt. In hoc autem ſexdecim literæ habent nomina manifeſte affinia hebraicis, & ſex idem omnino, ſcilicet He, Vau, Nun, Caph, Schin, Koph, etſi non retinent in arabico eumdem ordinem ac in hebraico, in quo ex. gr. Iod eſt decima, in arabico autem Ie, quæ ipſi aequivalet, eſt vigeſima nona, ſive ultima.

145. Alphabetum Syriacum nunc communius uſitatum in paucis dumtaxat literis formam habet ſimilem hebraicis, quam antiquius habebat in plerisque, quare videtur ab alio inventum. Multi teſte Kirchero (2) extant libri conſcripti characteribus syriacis antiquis, qui ex dictis (n. 47.) vocantur Eſtrangelo a græco nomine ſtrongylos, latine rotundus inquit Finettius (3) ejusque formam quivis videat eodem referente (4) in *Evangeliario quadruplici* Cl. Bianchinii e Cong. Oratorii Romæ 1749. impreſſo, ubi ſpecimen dedit illius quo ſcripti ſunt quatuor codices de quatuor Evangeliis, qui Romæ ſunt, quorum recèntior eſt ſæculi a Chriſto octavi, quoniam doctiſſimus Simonius Aſſemani dicit uſum novi characteris syriaci quem dicunt ſimplicem ſeu linearem incoepiſſe ſæculo nono apud Neſtorianos, apud Maronitas vero & Jacobitas ſæculo ad ſummum undecimo. Quando ut moris eſt apud Chriſtianos Syros verba arabica ſcribuntur charactere syriaco nunc familiari ſeu ſimplici, quem minuſculum diximus (n. 139.) hic a Kirchero (5) vocatus fuit character Karſuni, communiter nunc Carſciunicus dicitur a quodam Carſciun, hujus conſuetudinis auctore, ut alter Aſſemanius filius ſororis Simonii qui patrio cognomini Evodio illud Aſſemanii Romæ degens addidit, teſtatur in ſua Bibliotheca Medicea.

Hujus uſus qui inter ſolos chriſtianos teſte Amira (6) reperitur, incoepit poſtquam Turcæ Syria potiti fuerunt. Populus hujus regionis certus de ignorantia Turcarum linguæ syriacæ & etiam characteris utitur carſciunico dum arabica lingua ibidem jam communi quid ſcribat, quod nolit in ullius Turcæ cognitionem venire, ut epiſtolas & libros de Chriſtiana religione. Sic carſciunice proſtat Doctrina Chriſtiana, quæ pro illarum regionum Fidelibus Romæ typis Congr. de Propaganda Fide anno 1642. impreſſa fuit.

146. Al-

(1) Te. Paleog. pag. 146.
(2) *Ki.* Prodr. copt. c. 3.
(3) Fi. *Ling.* ebrai. c. 1 ſe. 3 n. 4.
(4) *Fi.* ibid. c. 1 ſe. 4 n. 9.
(5) Ki. Turr. Babel. l. 3 ſe. 1 c. 9.
(6) Am. Gram. syr. l. 1 c. 7.

146. Alphabetum Thibetanum characteres exhibet, qui hebræam & Samaritanam originem præſeferunt. Conſulantur La Croix, & Auguſtinus Ant. Giorgi Ord. Erem. S. Auguſtini, quorum ultimus de hoc alphabeto magnæ molis volumen Romæ publicavit anno 1762.

De alphabeto græco Voſſius apud Shuckfordium (1) erudite diſſerens vult pleraſque ipſius literas a Cecrope Ægyptio inventas, melius dicas ab Ægypto in Græciam deportatas. Nam lingua ægyptia jure habetur majoris antiquitatis, quam græca, quæ characteres habet ejusdem figuræ ac valoris cum græcis, quod alii etiam ut Hervas (2) notarunt, & jam olim evidens fecit Kircherus; qui cum alphabetum linguæ coptæ, quæ eadem eſt cum ægyptiaca, protulerit in hujus grammatica, quam addidit in fine ſui prodromi copti, quisque videat illarum figuram eſſe eamdem cum literis græcis. A Copticis pariter ſunt literæ Rhutenæ apud Moſchos uſitatæ, utpote eodem Herva auctore illis ſimillimæ, ſed plures numero, quippe Rhutenæ ſunt quadraginta duo, earumque formam (3) Cyrillus quidam dictus Conſtantinus fertur perfeciſſe. Porro Cecrops antiquior eſt Cadmo phoenicio integro ſæculo, cum primus juxta Ricciolium (4) ſpectet ad annum ante Chriſtum 1558. ſecundus ad 1458. A Cadmo Plinius cum aliis ſupra (n. 4.) citatis ſexdecim ex his literis cuſas dicit, iisque *Trojano bello Palamedem adjeciſſe quatuor* Θ, Ξ, Φ, X, *& deinde* Simonidem Melitum alias quatuor Z, H, Υ, Ω.

147. Quod Plinius dicit Simonidem auctorem fuiſſe literarum Z, & H, ab Herva (5) non admittitur, qui eo antiquiores credit, quia cum apud græcos Z ſit ſignum numeri 7, & H numeri 8, incredibile eſt ipſos circumdatos ab hebræis, phoeniciis, & ægyptiis, qui jam olim alphabetum ad arithmeticam applicaverant, idem non feciſſe niſi poſt Simonidem ſæculo ſcilicet quinto ante Chriſtum. Ejus oppoſitio ſingularis non eſt; Nam ante illum Chishullus (6) propugnavit eas ſaltem Palamedi eſſe tribuendas. Idem Hervas obſervans Θ græcum eſſe ſignum numeri 9, & Ξ numeri 60, quae literæ in ordine alphabeti, & in valore numeri reſpondent hebræis Teth & Samech, ex eadem ratione putat Cadmo potius adſcribendas, quam Palamedi.

148. Quicunque autem addiderunt H, & Ω græco alphabeto, voluerunt credo, ut ſicut I habebat in græca lingua aliquando ſonum ſolito tenuiorem, quem deſignabant per Υ, ita etiam E, & O haberent propria ſibi ſigna, quando ſolito longius vel brevius pronunciarentur. Hinc factum eſt ut relictis antiquis ſignis pro E & O brevibus, excuſa fuerint H & Ω pro iisdem productis, & vetera appellaverint epſilon & omicron, nova vero eta & omega. Qui non *eta* ſed *ita* dicunt, habent contra ſe ipſam

(1) Sh. Hiſt. l. 4.
(2) He. Idea. to. 17 n. 461.
(3) Er. Idea. to. 17 n. 255.
(4) Ri. Chron: to 4 Perſonæ inſig.
(5) He. Idea. to 19 n 145.
(6) Ch. Antichita aſiatiche.

Digitized by Google

ipſam lingnae graecae conſtitutionem , auctoritatem veterum . & exempla latinorum , ut luculenter demonſtravit Giraudeau in appendice ſuae *Introductionis ad linguam græcam* . Idem Plinius refert circa literas græcas aliam fuiſſe Ariſtotelis opinionem , qui aliquarum auctorem facit Epicharmum . Porro Θ Φ X, idem ſunt ac T Π, K, adſpiratae , & Ξ idem ac κς , aut γς , & Ψ idem ac πς , aut βς

149. Alphabetum latinum per literas majuſculas venire a graecis pariter maiuſculis habemus ab eodem Plinio, (1) *veteres* inquit *græcas fuiſſe pene quæ nunc ſunt latinæ* . Tacitus etiam ait , (2) *formæ literis latinis , quæ veterrimis græcorum* ; quod facile concedunt , qui vetera utriusque linguæ monumenta inſpiciunt . Atque cum graeci in plures provincias diſtincti fuerint , aliqui putant hujus diverſi characteris magiſtros in Latium veniſſe ex Pelaſgia , alii ex Arcadia , diſtinguendo unam ab alia , quod alii nolunt , qui Arcadiam dicunt appellatam , quae antea Pelasgia dicebatur , alii ex diverſis locis , ſed hos appuliſſe ad unam Italiae regionem , illos vero ad aliam .

150. Gothici inventor communiter poſt Iornandem (3) dicitur Ulfilas . Non deſunt tamen apud Steph. de Terreros (4) , qui ab ipſo dicunt non inventum , ſed ſolum auctum hoc alphabetum . Ejus exemplum oculis ſubiecit Eduardus Bernardi Anglus , mortuus anno 1696. , & ex illo Adamus Fridericus (5) , qui dicunt partim a graeco , partim a latino conflatum ab Ulfila anno Dom. 388. Certe in eo conſpicua ſunt lineamenta characterum romanorum . At nunquid ea gens ante Vlfilam nullos pro ſua lingua habebat characteres ? Habebat utique , ſed alterius figurae , atque hi ſunt , qui Runici appellantur , & etiam gothici primitivi .

151. Porro Vlfilas ſive Vlfila ſive Vlfida celebris eſt tum propter factam ab eo Gothorum converſionem ad fidem catholicam , quorum fuit Epiſcopus , tum propter triſtem ab ea defectionem ad Arianismum , in quem totam gentem pertraxit , ut habemus a Theodoreto (6) , & ex illo a Bellarmino (7) , & Tillemontio (8) , tum propter gothicam Bibliorum verſionem , cujus tamen referente Calmet (9) nc extant , niſi quatuor evangelia , quae Franciſcus Iunius anno 1665. publicavit tranſcripta ex codice , qui nunc eſt in bibliotheca Vpſalienſi , & argenteus appellatur ab argenteis characteribus , quibus eſt exaratus .

152. Longobardici characteres non ſunt confundendi cum gothicis , ut multi cenſuerunt inquit Terreros (10) ; Nam qui experti ſunt in legendis gothicis , haerent in longobardicis , qui horridam etiam habent formam . In antiquis hiſpaniae manuſcriptis frequentes occurrunt gothici diu ibidem

(1) Pl. Hiſt. l.7 c 58.
(2) Ta. Ann. l x1.
(3) Jo. de reb. goth. c.51.
(4) Te. Paleogt. pag.123.
(5) Ki. Cornucop. edit. ann. 1741.
(6) Th. Hiſt. l.4 c. ult.
(7) Be. Scrip. eccl. ar. de Freculpho.
(8) Ti. Hiſt. eccl. ann 377.
(9) Ca. Dic. ar. Bialia germani.
(10) Te. Paleogr. pag.104.

Digitized by Google

ibidem uſitati, ubi Gothi diu regnarunt, & ſolum omiſſi ſub finem ſaeculi undecimi: Longobardici autem ibi nulli ſunt, niſi in chartis quae ex Italia illuc miſſæ fuerunt, quorum ſpecimen exhibet idem Terreros ex Bulla Urbani II. qui ſummus Pontifex creatus fuit anno 1088.

153. In columnis Bibliothecae Vaticanae extant imagines eorum, qui crediti ſunt auctores alphabeti phoenicii, etruſci, armeni, aliorumque de quibus meminit etiam Angelus Rocca in hujus bibliothecae deſcriptione. Apud Georgium Hickeſium, qui anno 1705. Oxonii magnifice edidit *theſaurum linguarum veterum ſeptemtrionalium* multa etiam earum alphabeta inveniuntur, & multo plura credo erunt apud Claudium Duretum, quem gallice ſcripſiſſe de origine & characteribus omnium linguarum novi ex Kirchero (1), & ex Shuckdfordio (2), qui pariter de aliis meminit, qui per opportunas tabulas oculis ipſis ſubjecerunt diverſa alia alphabeta, quorum fortaſſe auctores etiam referent.

ARTICULUS VI.

De diſpoſitione characterum.

154. CIrca diſpoſitionem chatacterum ea quæ progreditur a dextra ad ſiniſtram horizontaliter, incipiens a ſummo chartæ vertice, antiquior eſt ea, quæ a ſiniſtra tendit in dextram. Prima utuntur etiam nunc plerique Orientales, ut Syri, Chaldæi, Arabes, quam videntur accepiſſe a ſuis majoribus primis terræ habitatoribus. Eadem uſi ſunt etiam in Italia antiqui Etruſci, ut conſtat ex plerisque illorum monumentis, ita ut tempore Philippi Bonarotæ, primæ notæ antiquarii qui obiit anno 1733. unicum extaret exemplum ſcriptionis etruſcæ more romano a ſiniſtra ad dextram, ſed deinceps aliæ eodem modo ſcriptæ detectae fuerunt, quæ inquit Amadutius *apud Gorium præſertim in Muſei Etruſci voluminibus videri poſſunt* (3), & jure creduntur exculptae exciſo jam a Romanis illorum regno. Oſcos pariter aliam Italiæ gentem eodem ſcribendi modo uſos fuiſſe teſtantur quæ extant in hac lingua inſcriptiones.

155. Secunda ſcribendi ratio a ſiniſtra ad dextram locum obtinuit apud Armenos, Malabarios, Siamenſes, omnesque jam Europæos & Americanos horum in hac arte alumnos. Apud græcos tamen & latinos antiquioris temporis conſtans non fuit & perpetua; Nam extant aliquæ ipſorum inſcriptiones orientalium more perſcriptæ, qualis eſt in pretioſo fragmento tituli ſuperpoſiti cruci Reparatoris noſtri, quod Romam attulit S. Helena Conſtantini M. mater, & in templo S. Crucis a ſe ædificato collocatum latuit uſque ad tempus Innocentii VIII., ut declarant Dominicus

(1) Ki. Prodr. copt. c 6 pag. 13.
(2) Sh. Hiſt. l. 4. pag. 249.
(3) Am. Alphab. n. 7.

nicus M. Marni, & Franc. Anton. Zaccaria apud Ioſephum de Novaes (1), cujus exemplum omnibus conſpicuum iterum reddidit Antonius M. Lupi in *Epitaphio Severæ Martyris* (2), quod Panormi anno 1734. tanto cum plauſu publicavit: Et quales occurrunt in multis numis in Sicilia cuſis, quos propterea Ezechiel Spanheim Genevæ natus anno 1629., & Londini mortuus anno 1710. jure juxta Tiraboſchium (3) concludit (4) quinque ſaltem ſæculis æram chriſtianam præcedere.

156. Præterea reperitur in quibusdam antiquis græcorum inſcriptionibus, quarum meminit Amadutius (5) primus verſus ſcriptus more noſtro, ſecundus vero more orientalium, & ſic deinceps alternatim, ſcribendi genus quod βυςροφηδὸν appellatur ducta a bobus arantibus ſimilitudine. Sed eum fuiſſe in uſu etiam veterum Etruſcorum idem auctor ibidem conjicit, idque alii de Hebræis pariter ſuſpicantur, vel confidenter affirmant apud Bianconium (6). Tandem Iapones, quos S. Franciſcus Xaverius invenit (7) *omnes ethnicos a Saracenis Judæisque prorſus intactos*, (8) *probitate ac naturæ bonitate* ceteris nationibus barbaris præſtantes, literarumque maxima ex parte non ignaros, quas in pluribus (9) erectis academiis excolebant (10) *aliena quaſi quadam lingua ſimiliter ac nos latina*, qua in iis etiam (11) quae ad ſuam religionem ſpectarent, utebantur, Iapones, inquit hic Sanctus (12) *a ſummo orſi directo ad ima deſcendunt*, & quærenti mihi ab uno illorum, *cur noſtro more non ſcriberent?* reſpondit, *ut hominis caput ſummum eſt, pedes imi, ſic par eſt homines cum ſcribunt a ſummo deorſum directo ferri.*

157 De hoc Iaponum ſcribendi more meminerunt etiam Trevoltiani (13), qui illud præterea advertunt, eorum verſus verticales a dextra initium ſumere. Eumdem uſum habent etiam Tunquinenſes, ut ipſemet teſtis ſum, qui vidi Italum hominem Honufrium Villiani ex eo regno, in quo conſenuit Evangelii propagandi cauſſa in Europam reverſum poſt extinctam ibi Soc. I. e qua erat, Romæ mecum commorantem donec Capuccinorum ordini nomen dedit, ita legere libros, quos ſecum habebat perſcriptos eorum lingua, quæ dialectus eſt Sinenſis. Sinenſes ipſos eodem modo ſcribere affirmavit olim Comiers (14), & nuper confirmat Hervas (15) ex laudato Villiano, qui in aliquibus etiam Sinenſis imperii locis fuit, quæ a Tunquino non diſtant Sinenſi tributario. Apud illos qui a dextra ad ſiniſtram ſive orizontaliter ſive verticaliter ſcribunt, frons ſive principium

(1) No. Stor. de Pontef. ar. Innocen. VIII.
(2) *Lu.* pag. 150.
(3) Ti *Lett.* ital. to. 1 p. 2 c. ult. n. 28.
(4) Sp. de præſtantia num. di. 2.
(5) Am. Alphab. n. 7.
(6) Bi. de antiq. lit. pag. 44.
(7) Xa. epiſ. 9 l. 2 ex Turſell.
(8) Ibid. epi. 5 l. 3.
(9) Xa. epi. 11 l. 5 ex Poſſino.
(10) Xa. epiſ. 10 l. 2 ex Turſell.
(11) Ibid. epi. 15 l. 2 ex Turſ.
(12) Xa. epi 10 l. 2 ex Turſ.
(13) Tr. ann. 1756 ar. 76.
(14) Co. Trat. de la parol. pag. 7.
(15) He. Idea. to. 17 n. 134.

cipium libri eſt, ubi apud nos eſt finis. Beyerlingius (1), & alii citati ab Hieremia a Bennettis (2) alios obſervant ſcribendi modos a diverſis populis aliquando uſitatos.

Articulus VII.

De materia ſupra quam ſcriptum, & de liquoribus ad ſcribendum adhibitis.

158. Quæſtio de materia ſupra quam characteres diverſis temporibus formati ſunt, poſtulat tres partes. Altera eſt de materia apud veteres pro ſcripturis privatis & temporariis: altera pro iis quæ vellent diutius conſervata: tertia pro publicis & ad æternam eorum memoriam. Primæ ſpeciei erant tabellæ ceratæ, in his veteres ope ſtyli vel ferrei vel oſſei ſcribebant, & cum vellent, harum plures filis ex una parte connectebant ad inſtar librorum noſtri temporis, & codices appellabant, quod e caudice plerunque hæ tabellæ conficerentur. Horum figuram ex Bibliotheca Vaticana exhibet Kircher (3). Hinc factum nomen primicerii, quod ut notant interpretes juris canonici ad titulum de officio primicerii proprie ſignificat nomen hominis primo loco ſcriptum, ſicut quod pone ſequeretur, dictus fuit ſecundicerius, quo vocabulo uſus fuit S. Gregorius apud Magrium (4).

159. Secundæ ſpeciei erant tæniæ extractæ ex papyro frutice paluſtri, quo abundant Nili ripæ. Hæc dividebatur ſecundum ſuam longitudinem in una ſui parte, deinde per modum libri aperiebatur. Tunc apparebat ipſius medulla ex pluribus tunicis conſtans, prima craſſiori, quæ conſtituebat chartam emporeticam: ſecunda & aliæ ſubtiliores, & ex his erant folia ad ſcribendum apta. Ex pluribus papyri tunicis extenſis ſupra tabulam per longum & mutuo ſe contingentibus, alias imponebant transverſim eodem modo invicem unitas: tum aqua Nili madefaciebant, qua naturaliter connectebantur omnes inter ſe, ut aqua evaneſcente eſſent folia apta ad ſcribendum ex una tamen ſolum parte, quippe earum tenuitas non admittebat ſcripturam ex utraque parte. Poſterioribus autem temporibus ſuperaddita nova ſerie tæniarum ſupra duas jam dictas facta fuit papyrus ſupra quam poſſet utrinque ſcribi, & in libros componi, quales ſunt noſtri.

160. Inſtrumentum ſcriptorium erant calami aliud fruticis genus in Ægypto pariter abundans, intincti atramento vel alio colorato liquore. Plinius ait (5) ſcriptum fuiſſe in papyro longe ante Alexandrum M. contra id quod ſupra dixerat Varronem exiſtimaſſe; Ex papyro autem inquit (6) *præparantur chartæ, diviſo acu in prætenues, ſed quam latiſſimas philiras.* Vide-

(1) Be. Theatrum. art. Scriptio.
(2) Be. Chron. proleg. 1 n. 25.
(3) Ki. Oed. ægyp. 10. 2 cla. 2 c. 2 diſ. 1 n. 2.
(4) Ma. Vocab. ar. primicerius.
(5) Pli. Hiſt. l. 13 c. 13.
(6) Pli. idid. c. 11.

Digitized by Google

Videri de hac re poſſunt Melchioris Guilandini *Papyrus* h. e. *commentarius in tria C. Plinii majoris de papyro capita*, Venetiis impreſſus anno 1570. & Comitis de Caylus gallica diſſertatio, *de papyro* Pariſiis 1758. Antea autem eodem Plinio auctore *in palmarum foliis ſcriptitatum, deinde in quarumdam arborum foliis: mox privata monumenta linteis confici coepta*. De libris linteis meminerunt etiam Livius (1), & Vopiſcus (2), quos Lexicographi dicunt fuiſſe libros ex telis lineis conſtantes. Plinius pariter ex Varrone refert chartam pergamenam, hoc eſt membranam primum fuiſſe huic uſui accomodatam ſub Eumene Pergami rege, quando orta æmulatione circa bibliothecas inter ipſum & regem Ægypti Ptolomæum Philadelphum, hic papyri exportationem in alias regiones vetuit. Vſus pergamenæ vulgaris fuit in Europa, uſque ad inventionem chartæ ex lineis ſcrutis, de qua inferius dicam.

161. Tertia ſpecies materiæ ad ſcripturam adhibitæ multiplex eſt, ſcilicet lignum ebur æs plumbum argentum marmor vitrum lateres cocti vaſa teſtacea, ut conſtat ex monumentis ſic ſcriptis, de quibus fit mentio a Franc. Anto. Zaccaria in *Inſtitutione antiquo-lapidaria*, quam italice tacito nomine Romæ publici juris fecit anno 1770. Vſus petræ & plumbi in inſcriptionibus fuit ipſa Iob ætate, qui optavit ut ſermones ſui exararentur in (3) *plumbi lamina vel celte in ſilice*. Romani teſte Livio (4) *in æs inciſas leges decemvirales, quibus tabulis XII. eſt nomen, in publico propoſuerunt*. Quare ubi in Pomponio, qui fuit tanto poſt Livium legimus has leges fuiſſe Romæ inciſas in tabulas roboreas, eruditi monent veram lectionem eſſe in tabulas æreas, omnemque aliam reſpuunt tamquam mendoſam. In tabulis ligneis antiquiores ſcripſiſſe leges habemus ab Horatio (5)

> . . . *Fuit hæc ſapientia quondam*
> *Oppida moliri, leges incidere ligno.*

De ſcriptis in ebore videſis Sebaſtianum Donatum (6). Nihil dicam de materia extraordinaria ſupra quam ſcriptum eſt. Nam hæc poteſt eſſe quævis ſolida ſuperficies. Itaque habemus a Daniele, quod convivante Baltaſſare (7) *apparuerunt digiti, quaſi manus hominis ſcribentis in ſuperficie parietis*, utique inſtrumento aliquo ut calamo vel pennicillo, non jam ipſo digito, ut credidit Kircher (8); digiti enim ſcribentis nominantur, non digitus. Et in Evangelio Ioannis legimus (9) I. Chriſtum captioſæ Phariſæorum interrogationi nihil reſpondiſſe, ſed inclinaſſe ſe deorſum, & digito ſcripſiſſe in terra.

162. Venio ad chartam nunc uſitatam. Hæc ex lineis ſcrutis minutiſſi-

(1) Li Deca. 1 l. 4.
(2) Vo. Aurelianus c. 2.
(3) Job. c. 19 v. 24.
(4) Li. l. 3.
(5) Ho. de Arte.
(6) Do. Dittici degli antichi. Lucca 1753.
(7) Dan. c. 5 v. 5.
(8) Ki. Oed. Ægy. to. 2 c. 2 di. 1 n. 1.
(9) Jo. c. 8 v. 6.

Digitized by Google

tiſſime contuſis, & quaſi in pultem redactis conficitur, & ex his jam conſtant innumerabiles libri diverſi moduli, quorum perquam multi ejusdem exempli haberi coeperunt a ſæculo decimo quarto, quando ſtudiorum amor, qui tamquam fax quædam in aliqua ſolum privata domo lucebat dilatari coepit, & inſtar incendii integras civitates corripuit, quæ certatim publicas artium disciplinarumque ſcholas conſtituerunt conductis ampla mercede illarum magiſtris. Nuper Levier Deliſle ex cortice, & aliis quarumdam plantarum partibus fieri poſſe chartam opportunam typographis, plane perſuaſit impreſſis in ea libris, qui Pariſiis veneunt loco, qui etiam ab Anthologia Romana (1) indicatur, quæ etiam certiores nos facit eos qui ex mandato Academiæ Scientiarum Pariſien. hujus inventionis examen inſtituerunt cenſuiſſe eam promovendam eſſe non tam ad uſum librorum, quibus abunde ſufficit charta linea, quam ad illum ornamentorum pro parietibus præſertim domorum, qui ex pictis chartis fieri ſolent, quoniam in hac chartae ſpecie melius colores imprimuntur.

163. Charta ex ſericis ſcrutis, quæ a bombyce ſatis proprie bombycina appellatur, in uſu fuit apud Sinas ante annum Chriſti 652. quo ars hanc conſtruendi tranſiit in Perſiam, & inde anno 706. in celebrem Meccæ urbem. Quam vidi asportatam a Sinarum regno eſt ſane inſignis propter amplitudinem, candorem, & ſubtilitatem plane ſingularem. An autem revera ſit ex ſericis, an potius ex cortice aliquo, alii viderint, quandoquidem quæ in Tunquino fit Sinenſi ſimilis, conſtat ex cortice, eaque tam tenax eſt, ut convoluta funiculi munus expleat: Minus tamen commoda eſt, utpote aliquantulum bibula. Poſtea Arabes chartam ex goſſipio fabricarunt, utpote merce quæ apud illos abundat. Atque ab his ad alios per Africam & Europam populos tranſiit, in quibus numerandi in primis ſunt Hiſpani, quos Arabes ſibi ſubjecerunt.

164. Apud Hiſpanos primum goſſipio ſubſtitutum fuit linum in officinis erectis in regno Valentiæ, ubi optimum naſcitur. Certe ſaeculo Chriſti duodecimo charta linea uſitata erat in Hiſpania; Nam habentur in ipſius archiviis monumenta in hujusmodi chartis exarata. Hæc dixi ſequutus Ioannem Andres, qui validiſſimis argumentis ſingula propugnavit contra Scipionem Maffeium, Gerardum Meerman, Hieronymum Tiraboſchium, aliosque ab eo nominatos, qui de hac inventione ſedulo agentes in alias omnino ſententias abierunt. Andres haec habet capite decimo ſui italici operis *De origine & progreſſu omnis literaturæ*, cujus primum volumen Parmæ publicatum fuit, omnibus in eo admirantibus robuſtum ratiocinium, ſingularem eruditionem, & nitidiſſimam ac alacritate plenam eloquentiam, quae videtur hominis in Italia nati, non in Italiam ex Hiſpania ejecti in generali omnium qui e Soc. Ieſu erant exportatione: Guſtum autem patriæ linguæ ab eo conſervari planum faciunt datæ in hac lingua *Epiſtolæ familiares* ad Carolum fratrem, & Matriti impreſſæ anno

(1) Ant. an. 1787 n. 10 ar. invention.

no 1787. de obſervatis in ſuis per præcipuas Italiæ civitates excurſionibus, in quibus acre hominis ingenium extollunt. Romanæ etiam Ephemerides Literariæ (1).

165. In Italia autem charta linea conſtrui coepit circa dimidium ſæculi decimi quarti. Nam celebris Iurisconſultus Bartolus anno 1359 mortuus laudat officinas chartarias Fabriani conſtitutas tamquam omnium primas. Qui chartarum linearum in Italia auctorem faciunt Pacem a Fabiano, qui eas conſtruxit Tarviſii, putat Tiraboſchius (2) Fabianum irrepſiſſe pro Fabriano, ex quo ille commigraverit ad dirigendas chartarias Tarviſanas. Hanc opinionem confidenter amplexæ ſunt Ephemerides Lit. Rom. (3) quæ dicunt inventorem hujus chartæ fuiſſe Pacem Fabrianenſem.

166. De hac obſervandum, quod quæ ſit candidior, qualis ſit in Hollandia concurrente ad hanc qualitatem telarum perfectione & aquarum natura pluris fere uſque ad hæc noſtra tempora æſtimabatur, quia nigros characteres magis conſpicuos reddit. Sed nunc minoris hæc habetur, quia moleſta accidit viſui, eaque præfertur, quæ colore violaceo aſperſa eſt. Opportuna profecto inventio pro chartis ad uſum ſcriptionis, minus vero opportuna aut ſaltem minus neceſſaria pro illis quæ typis ſubiiciantur; In his enim candor oculis objicitur ſatis jam temperatus ab ipſa nigredine ſpiſſorum verſuum, quos nos non exaramus, niſi forte quis ſequatur eorum ſententiam, qui ſine ulla probabili ratione tenent amplitudinem marginum qui omnino vacui ſint pertinere ad librorum ornamentum. Tunc enim vero hujusmodi inventio utilis etiam erit Typographiæ. Atque propterea credo olim ad typos adhibitam fuiſſe chartam prorſus violaceam, ſupra quam memini me vidiſſe opera Cornelii Muſſo impreſſa cum novo tamen incommodo characterum minus extantium ſupra hujusmodi fundamentum. Quare alius anno 1748. Baſileæ typographus quo nondum ſubalbida charta in uſum venerat, luteola uſus eſt in impreſſione cujusdam de Logomachia libri, cujus inferius meminero prout refert alias citatus Conſervator (n. 93.) ad menſem Decembris anni 1757.

167. De diverſis etiam in ſcribendo adhibitis liquoribus quæritur. Atramentum quidem antiqui & communis uſus eſt apud omnes gentes. Macquer in Dictionario Chemiæ (4) diſſerit de modo, quo illud nigri coloris optimum conficiatur, commemorans librum Petri M. Caneparii *de atramentis*, & obſervationes Lamberti in hac ipſa re inſertas in monumenta Academiæ Berolinenſis ad annum 1770. Referam ego unum & alterum modum, quos lego apud Io. M. de Turre (5). Primus eſt hujusmodi. Vas fictile obductum levi illa materia, quæ fortaſſe eſt ſandaracha Latinorum, continens quatuor ſextarios aquæ cum octo unciis olei therebintinæ, & libram gallarum orientalium contuſarum patiatur lentum ignem per octo dies,

(1) Eph. ann. 1787. n. 38.
(2) Ti. Lett. ital. to. 5 l. 1 c. 4 edit. Rom.
(3) Ef. ann. 1776 n. 7.
(4) Ma. ar. inchioſtro ordin. edit. ital.
(5) Tu. Elem. phz. t. 4 n. 1111.

dies, deinde ebulliat leniter ut aliquam tenacitatem acquirat: Tum remoto vaſe ab igne, in eo immiſceantur unciæ ſeptem pulveris vitrioli viridis agitando totam materiam, donec totum ſal fuerit in ea diſſolutum: Quieſcat jam vas per duos dies. Pellicula quæ tunc concreſcit detracta liquor leniter in aliud vas effundatur: Poſtquam duo ipſius digiti lento igne exhalaverint, habebitur optimum atramentum.

168. Alter modus ſic habet. Sume libram mellis, eamque ita concute ut fila producat, & primam amittat tenacitatem. Cum ea primo commiſce fuliginem ſenſim illam injiciendo, donec tota maſſa nigerrima evadat: deinde duas vel tres uncias ſpiritus vini depurgati: tandem parum gummi arabici in ſufficienti aquae copia ſoluti ſemper concutiendo maſſam in his infuſionibus, jamque habebitnr materia, cujus modica quantitas per aquam diluta erit nigerrimum atramentum.

169. Varii etiam colores ad hoc munus adſciti. Teſtis eſt S. Hieronymus (1) fuiſſe ſuo tempore ex ſacris libris aliquos *in membranis purpureis auro argentoque deſcriptos*, ejusque teſtimonium recuſari non poteſt, cum adhuc extent in regiis bibliothecis plura hujusmodi exemplaria, quæ de Anglicana commemorat David Casley, & ex illo Bibliotheca Britannica (2). Ars conficiendi hujusmodi colores, aureos argenteosque apud nos ab inventa typographia periit omnino. Quod etiam ſub Auguſto deſcripti fuerint libri variis coloribus non ſuadetur per illam Ovidii ad ſuum librum alloquutionem (3)

Non te purpureo velent vaccinia ſucco.
Non eſt conveniens luctibus ille color:
Nec titulus minio nec cedro charta notetur,
Candida nec nigra cornua fronte geras.

Nam hæc potius ſignificant externa voluminum ornamenta:

Quæri etiam ſolet de inſtrumentis ad ſcribendum adhibitis: ſed de his ſicut de ceteris ad artem ſcribendi ſpectantibus videri poteſt ſecunda pars tomi primi regiæ Academiæ humaniorum literarum Barcinonenſis, vel quem laudant Ephemerides Literariæ Rom. (4) librum anglice promulgatum typis Londinenſibus anno 1784. a Thoma Aſtle *Origo & progreſſus artis ſcriptoriæ*.

S E.

(1) Hi. in Iob. præf.
(2) Bi. to. 1 p. 1 ar. 5.
(3) Ovi. Triſt. li. 1 eleg. 1.
(4) Ef. ann. 1784 n. xi.

SECTIO IV.

De diverſis characterum ſpeciebus.

170. CHaracteres ſemel inventi facile potuerunt deinceps multiplicari in plures ſpecies. De duabus hic primariis meminero, de publicis, hoc eſt de iis, quorum ſenſum quivis ejus gentis apud quam communes ſint, prompte legat & intelligat, qui ſunt vel manuſcripti vel typis impreſſi, & de privatis, hoc eſt de iis, quorum ſenſum ſoli illi facile percipiunt, qui de illorum poteſtate antea inter ſe convenerint. De ſingulis aliquid diſtinctim dicam.

ARTICULUS I.

De characteribus publicis manuſcriptis.

171. EX publicis manuſcriptis characteribus ſunt Latini, quibus tota ferme Europa, & America nunc utitur, & Græci, qui de facie ſaltem ut ita dicam noti ſunt omnibus, qui literis humanioribus operam aliquandiu navaverint. Sunt & Bohemici ſive Germani, & Syriaci & Chaldæi, qui aliter dicuntur Syriaci antiqui, quia in Syria antiquati remanſerunt apud Chaldæos. Sunt etiam Arabici, Armenii, Georgiani ſive Iberii, Malabarici, Ruthenici, Coptici, Æthiopici. Horum omnium formam accuratam quivis videat in libris, qui Romæ a Congregatione de propaganda Fide identidem imprimuntur pro Catholicis harum regionum, ſingulorumque ſpecimen dedit etiam Cl. Thomas Mamachius, qui in unum locum congreſſit (1) ex hujusmodi libris deſumptam particulam ad articulum Fidei chriſtianae pertinentem de animabus juſtorum ante Chriſti mortem experſibus viſionis Dei.

172. Manuſcripti characteres cujusvis linguae commutari proceſſu temporis ſolent pro rerum humanarum conditione, quae nunquam in eodem ſtatu permanent, ut planum erit cuique qui aliquem ex auctoribus diplomaticis evolvat, ut inter recentiores Jo. Ludolphum Walterum, qui in *Lexico diplomatico* iterum edito Gottingae anno 1751. plura dedit *Alphabeta & ſcripturæ ſpecimina integra*, aut Danielem Eberhardum Baringium in cujus *Clavi diplomatica iteratæ editionis* Hannoverae anno 1754. tabulae ſeptem ſupra viginti ejusdem generis reperiuntur.

173. Atque hinc exiſtit ars ſeu ſcientia dignoſcendi cujus aetatis ſint ſcripti codices, de qua Burcardus Gotthlieff s Struvius dedit *diſſertationem de Criteriis manuſcriptorum*, & recentius Io. Chryſoſtomus Trombelli Italice

(1) Ma: de Anim. Iuſt. l. 1 c. 3 in fine pag. 385.

lice ſcripſit *de ratione cognoſcendi ætatem codicum latinorum & italorum*, quae pro his non indiget tot animadverſionibus & legibus, quot opus habet ea quae ad aliarum linguarum codices extenditur, quas proinde dum colligunt qui ipſam cum omni amplitudine voluerunt exponere, neceſſario artem ſatis longam & implexam condiderunt. Palaeographia [illegible] ars appellatur, eamque Pluche tomo ſui *Spectaculi* ſeptimo conſiderat in Gallicis ſcriptis a ſaeculo decimo ſexto adſcendens uſque ad ſaeculum quintum, & in Hiſpanis Stephanus de Terreros, qui ut referunt Trevoltiani (1) & Annales Typographici (2), edidit anno 1758. *Palæographiam Hiſpanam* quae tabulis etiam duodeviginti exhibet modos omnes ſcribendi ibidem a regno condito uſque ad hoc tempus uſitatos, inſerendam in verſionem Pluchiani operis hiſpanam loco Gallicae Palaeographiae.

174. Stephanus de Terreros, qui in civitate Fori Livii exul ab Hiſpania utpote e Soc. I. obiit valde ſenex, celebris jam propter ſuum gloſſarium de hiſpanis appellationibus inſtrumentorum cujusvis artis, & illis quas iisdem tribuunt Latini, Galli, & Itali, quod typis Matritenſibus prodiit anno 1786. Terreros inquam hanc palæographiam promulgavit profitens (3), ea quae proprie palæographia ſunt fuiſſe ſibi tradita ab Andrea Marco Burriel Soc. I. nato Bonachae oppido in nova Caſtella ex familia pluribus togae honoribus conſpicua, ibidemque anno 1762. aetatis ſuae 42. mortuo cum magno totius Hiſpaniae, & literatorum omnium moerore propter famam ingenii, & guſtus in omni literaturae genere admirabilis, cujus ſpecimen jam dederat tum in hiſtoria Californiae, quam anno 1755. publici juris per typos factam, Angli & Galli in ſuas linguas tranſtulerunt, & Trevoltiani per plures articulos commendarunt, tum in Commentario de ponderibus & menſuris hiſpanis maximi æſtimato, quod cum impreſſum fuerit ſine nomine auctoris, ut quis hic fuerit omnes in poſterum noſſent, Hiſpanum *Diarium curioſum, & eruditum*, quod hiſpanice imprimitur (4) illud patefecit proferens documenta, quæ occaſionem, qua hoc opus aggreſſus fuit atque perfecit, manifeſtant. Maximus vero de ejus morte luctus in iis fuit, qui conſcii erant de multis, quæ ad typos partim jam paraverat, partim meditabatur circa antiquitates Hiſpaniæ, quarum ampliſſimam cognitionem acquiſierat, dum plura ejus regni archivia, & illud præcipue Toletanæ Eccleſiæ ditiſſimum codicum ærardium excuteret juſſu Ferdinandi VI. curantibus Franciſco de Ravago, quo Rex utebatur animæ ſuæ moderatore, & Joſepho de Carvajal (n. 6.) ac Zenone de l'Enſenada primis adminiſtris.

175. Aliquando etiam characteres in tota aliqua regione ita deſueſcunt, ut ne veſtigium quidem illorum in iis appareat, qui deinde in uſum ibidem venerunt, fortaſſe quia ejus incolæ debellati, diſperſi, aut oppreſſi fuerunt a populis qui ex aliis longinquis regionibus in ſe irruentes totam

(1) Tr. ann. 1758 ar. 119.
(2) Ann. Janner. pag. 52.
(3) Te. Fale. pag. 159.
(4) Di. ann. 1787. n. 298.

reipublicæ formam mutarunt. Evidens id reddunt monumenta non manuſcripta, quæ ceteroqui ad eaſdem gentes ſine controverſia pertinent. Itaque quam multa ex his effoſſa ſunt in agris præſertim circa Cluſium, ſedem olim Porſenæ celebris Etruriæ regis, literis ac lingua veterum Etruſcorum exarata.. quæ jamdiu penitus eſt extirpata. Atque quæ in his extant pauca quædam ſcripta a ſiniſtra ad dextram more romano arguunt tempus,. quo jam ab illis debellati fuerunt, & multo magis alia quædam, quæ juxta Amadutium (1) *etruſca lingua & latinis characteribus elaborata* inveniuntur..

176. Huc pertinent literæ, quæ in antiquioribus Hiſpaniæ numis & inſcriptionibus apparent, in quibus interpretandis permulti deſudarunt, ut intelligi poteſt a Bimaro in notis *ad ſcientiam nummorum* Joberti, & ex Notitiis Liter. Tranſalpinis (2), & ex recentiore de his ſcriptore Ludovico Joſepho Delaſquez, de quo loquuntur Trevoltiani (3). Huc pertinent etiam literæ, quæ habentur in laminis plumbeis & Granatenſes appellantur, quia prope Granatam inventæ fuerunt tempore Joannis Pinedæ, qui octogenarius obiit anno 1637. earumque exemplum protulit exiſtimans (4) in Hiſpaniam allatas fuiſſe a S. Jacobo Apoſtolo, quod pluſquam falſum eſt. Nam præter alia argumenta alibi (5) propoſita eſt illud deſumptum a lingua arabica qua ſcriptæ ſunt, quæ tempore Apoſtolorum neque ab Hebræis, neque a Chriſtianis fuit uſitata..

Articulus II.

De characteribus typographicis in Germania inventis.

177. ARS typographica pertinet ad ſæculum Chriſti decimum quintum, de qua vix patior Io. Baptiſtam Roberti in italico libro ceteroquin anonymo *De lectione librorum metaphyſicorum* conſternatum a colluvie libellorum, qui contra religionem & bonos mores proximis temporibus eruperunt (6) dubitare, utilis ne an perniciosa inventio ſit; Nam imprimis ſcitum eſt (7)

Nil prodeſt, quod non lædere poſſit idem.

Deinde habeo præ oculis cujusvis temporis hiſtoriam, quæ majorem morum corruptelam nobis repræſentat in populis, qui libris carent, quam in iis, qui ipſis abundant. Sed quis ignoſcat Jo. Ja. Roſſeavio, quod hanc ſimul cum omni arte & ſcientia condemnet (8) tamquam probitatis expultricem; quia Hobbeſium & Spinoſam divulgavit, quaſi hos & alios malos libros viderit præ omnium manibus non ſecus ac diurnarum precum enchiri-

(1) *Am.* Alpha. n. 7 edit. 2.
(2) No. to. 2 p.1 ar 7.
(3) Tr ann 1753 ar.154.
(4) Pi. de Salomo, l. 8 c. 1 n. 73.
(5) De Mirac. n.835 edit. 3.
(6) Ro. to.2 pag.225.
(7) Ovid. l 2 Triſt.
(8) Rou. de reſtau. ſcient. ſub fin.

Digitized by Google

chiridia. Qui pro veritate loquitur & pacato animo cogitat, typographiam bene de omni arte & ſcientia meritam fatetur. Omnes enim hac via citius propagantur, cum operam his navare non ſit amplius paucis ſolum permiſſum, qui poterant ab antigraphariis adeoque magno pretio libros ſibi comparare. Facilius etiam perficiuntur ex promulgatis aliorum doctis circa ſingulas lucubrationibus quæ aliter ſolent vel perire vel diutius latere, & ex collato plurium ſtudio, quod exemplis inflammatur, & ex multitudine uniformium exemplarium, quæ per typos haberi poſſunt ſatis correcta, quod per venales ſcriptores, qui ſolam characterum formam noverant, cetera rudes, vix aut ne vix quidem poterat obtineri, ut de illis ſui temporis vehementer queritur Petrarca (1). Securius tandem conſervantur; Nam libri impreſſi utpote late ſparſi, ſi alicubi incendio aut caſu alio pereunt, alibi ſunt ſuperſtites.

178. Utinam hæc ars nota fuiſſet antiquis! Credo equidem quod per eam haberemus ab Hebraeis artem ſolvendi aurum ut potabile fieret, quae tempore Moyſis vigebat, qui vituli idolum aureum ſuis cultoribus propinavit ex dictis alibi (2), & a Romanis artem vitrariam, quæ majoris perfectionis tunc erat, quam nunc ſit. Per ipſam facile deveniſſent multæ ex illis cognitionibus, quas ultimis hiſce noſtris temporibus poſt ſummam animi & corporis contentionem aliqui acquiſiveruut, quando verum ſit veteres ipſis non caruiſſe, ſicuti contendunt Huetius de opinionibus Carteſii in ejus cenſura, Almeloveen de noviter deprehenſis in medicina & anatomia in ſuo libro *Inventa nov-antiqua*, Perilhe de inventionibus chirurgicis in hiſtoria hujus artis, & Regnaultius de aliis multis in libro *De origine antiqua recentioris philoſophiæ*. Nonne ſummi viri tempus & operam, quæ iu his vulgo ignotis excudeudis neceſſario impenderuut, ad alia transferentes literariam rempublicam mirifice ornatam & amplificatam nobis reliquiſſent?

179. Sed dicamus de epocha typographiæ, quo nomine communiter jam venit ars imprimendi in charta characteres mobiles ex fuſo metallo compactos, & atramento illitos. Metallum, quod in hunc uſum venit eſt ſtannum mixtum plumbo. Quare in prima editione S. Ambroſii in Lucam anni 1476., de qua ſermo eſt in *Excerpto italicæ nec non helveticæ literaturæ pro anno* 1760. (3), quod Bernenſe dicam, quia Bernae excerptum & impreſſum, typographus Antonius Sorg Auguſtenſis dicit ipſum a ſe impreſſum *ſtagneis characteribus artificialiter effigiatis*: Atramentum autem typographicum componitur ex reſina pellucida ad inſtar electri, qualis in Calabria abundat, quæ oleo lini primo coquitur, deinde incenditur non quidem uſque ad conſumptionem, ſed uſque ad opportunam purgationem, cujus argumentum eſt ita adhærere ligneo bacillo intra ipſam infuſo, ut eumdem ab ea ſublatum ſequatur, & tandem ſubigitur nigro

 fumo,

(1) Pe. Remed. fort. l. 2 dial. 43 Et Senil. l. 5 epi. 1.

(2) De Mirac. n. 583.

(3) Ex. to 2 pag. 44.

fumo, cujus pondus ſit triplum illo picis, pro characteribus nigris, pro rubris vero cinnabari, vel carminio, quod cum pluris ematur, typos cariores quidem reddit, ſed vivaciores.

180. Hanc autem artem certum eſt in Europa notam primum fuiſſe circa annum 1450. & in Germania inventam. Qui volunt multo etiam ante hoc tempus eam cognitam, in quibus ſunt Pomponius Lætus, Rabbi Joſeph, Hadrianus Moetjens, Hoſmannus, aliique apud Franciſcum Xaver. Lairem ex familia Minimorum in eruditiſſimo *Specimine hiſtorico typographiæ Romanæ XV. ſaeculi* Romæ impreſſo anno 1778. plane errant, vel ſumunt typographiam pro arte imprimendi in charta ſcripturam in ligno inciſam, quam dicam xylographiam. Hæc ſine dubio multis annis typographiam præceſſit. Nam teſte Anthologia Romana (1) extat in quadam bibliotheca Lugdunenſi liber cum una ex imaginibus, quæ videtur translata ex aliqua prius ſupra lignum inciſa, & repræſentat inconcinnas figuras ſenis & quorumdam animalium cum hac inſcriptione *Schotting Norimbergæ anno* 1384.

181. Ex hac igitur nota jam olim arte credi poteſt ut jam advertit Petrus Fournierus apud Trevoltianos (2) nonnullis veniſſe in mentem aliquot ante typographiam annis characteres inſculpere in ligneis tabellis, quibus deinde atramento illitis multiplicarent per chartas ſupra ipſas impreſſas exempla unius libri inciſi in totidem tabellis. Ex libris hoc modo excuſis unus cujus titulus *Speculum humanæ ſalvationis* habetur teſte Pluche (3) tum Harlemii, tum Pariſiis in bibliotheca Patrum Cæleſtinorum. In neutro tamen legitur nomen artificis, nec locus impreſſionis, quia ad majus lucrum eos vendebant tamquam manuſcriptos. De alio libro per tabulas pariter ligneas impreſſo mentionem faciunt Pluche, ejusque deſcriptor Terreros (4), qui inſcribitur *Catholicon*, & continet lexicon quoddam linguæ latinæ auctore Joanne Balbo Januenſi, qui vixit uſque ad annum 1298., ipſumque anno 1276. iam abſolverat. De hoc Balbo qui fuit ex Ord. Prædic. ejusque lexico Tiraboſchius (5) erudite diſſerit, & etiam Io. Hieron Gradenigus, qui cum dixit hujus lexici (6) *primam editionem factam fuiſſe Moguntiæ anno* 1450. intelligendus eſt loqui de editione non typographica, ſed xylographica. Sunt qui enunciant ejusdem lexici editionem anno 1460., atque hanc profecto factam credam per typos metallicos.

182. Hujusmodi ex metallo typi pro ſingulis alphabeti characteribus, & proinde mobiles, qui ex dictis pertinent ad notionem typographiæ, auctorem habuerut Petrum Scheffer, quo nomine Germani vocant opilionem, Gernsheimii in Alſatia natum, qui apud Ioannem Fuſt, ſive Fauſt divitem

(1) Ant. ann. 1783 n 47 ar. Belle arti.
(2) Tr. ann. 1758 ar 45.
(3) Pli. Spettac. to 7 Paleog.
(4) Te. Paleog. pag. 44.
(5) Ti. Stor. Lett to. 4 l. 3 c. 5 n. 17.
(6) Gr. Ragion. de la letter. gre, c. 9. in not.

Digitized by Google

tem Moguntiæ civem degens illos excogitavit & perfecit una cum apto pro ipſis atramento circa annum 1450. Hinc Athanaſius Kircher dicit (1) *Typographiam Moguntiæ primum per Joannem Fauſtum orbi innotuiſſe*, & quia cum Ioanne Fauſt conjunctus erat in quærenda hac arte Ioannes Guttemberg civis pariter Moguntinus, qui cum eo diu ſocietatem conſervavit, quam tandem ante annum 1455. diremit, & abiens Moguntia Argentoratum ibi cum Ioanne Mentel Argentoratenſi typographus aliquandiu fuit, inde autem Harlemium tranſiens eamdem artem ibidem exercuit cum Ioanne Coſtero Harlemenſi, factum eſt ut aliqui cum Ricciolio (2) & cum Schoepflin (3) typographiam Argentorati aut Moguntiæ natam dixerint auctore Guttembergio; alii vero natam Argentorati per Io. Mentel, & alii Harlemii per Coſterum. Tolerabiles ſunt horum opiniones, illa præſertim de Guttembergio, quoniam Laire dicit cum aliis ipſum feciſſe anno 1439. charactéres ligneos mobiles, quos *perforatos filo uno conjungebat ad opus imprimendum* (4).

183. Illa vero abſurda, quæ hanc gloriam tribuit cuidam Gensflevich Moguntino, qui vel nunquam extitit, vel idem eſt cum Guttembergio, cui aliqui utrumque cognomen tribuunt. Præclara Schefferi inventio merito adeo placuit Ioanni Fauſt, ut eum ſibi generum fecerit. Atque cum ſtatim operam dederint ad impreſſionem Sacræ Scripturæ per typos metallicos, qui charactetes referebant omnino ſimiles manuſcriptis, ea faciliter completa Pariſios ſe contulerunt cum pluribus ejusdem exemplis, quæ ibi tamquam manuſcripta vendiderunt. Sed cum brevi obſervata fuerit perfecta in omnibus ſimilitudo, in ſuſpicionem magiæ inciderunt, ut illinc fugerint, nolentes manifeſtare ea non eſſe ſcripta, ſed typis impreſſa.

184. Gherardus Meermannus, qui anno 1761. in publicam lucem emiſit *conſpectum originum typographicarum* laudatum a Tiraboſchio (5) poſt Trevoltianos (6) tamquam ſubtiliter diſtinctum, & anecdotis refertum, mentionem faciens de hac Sacræ Scripturæ editione dicit factam fuiſſe anno 1450., ejusque tria extare exempla, alterum in regia Berolinenſi bibliotheca, alterum in illa Benedictinorum Moguntina, tertium in Pariſina Collegii Mazarini. Poſt hanc S. Scripturæ editionem quae certe nec nomen typographorum nec annum habet, multi alii libri Moguntiæ prodierunt, in quibus legitur nomen typographorum Fauſti & Scheffer usque ad annum 1466., quo vita Fauſtus deceſſit. In his ſunt Pſalterium anni 1457., & Cicero de officiis anno 1465., & nova S. Scripturæ editio anno 1462. in duo volumina diſtincta, quæ propter elegantiam celebris eſt. Hujus exemplum extabat in bibliotheca familiae de la Valliere, qua extincta cum librorum auctio indicta fuerit anno 1784., hæc ut publici etiam nuncii referunt veniit ſcutatis romanis plusquam octingentis.

185. Quo-

(1) Ki. Arithmol. p. 1 c. 6 pag 51.
(2) Ri. Chronol. lo. 4. indic. 3.
(3) Sch. vol. 17 Acad. inſcri.
(4) Lai. ſpec. c. 1 pag. 2.
(5) Ti. Sto. lett. to. 6 l. 1 c. 4 n. 27.
(6) Tr. ann. 1761 ar. 85

Digitized by Google

185. Quoniam Pluche & Terreros (1) dicunt Fauſtum in exemplis Scripturæ ſacræ editæ anno 1462., quæ deferebat ad loca, quo nondum pervenerat notitia hujus artis non poſuiſſe paginam in qua ſuummet nomen impreſſum erat, ſed aliam quæ illo carebat, ut pro manuſcriptis majori pretio venderet, dubito an reapſe ea Scripturæ editio quam Meermannus dicit factam anno 1450. extet. Laudatus vero Laire (2) magni ponderis argumentis contendit eam nunquam revera extitiſſe, & originem hujus falſæ opinionis, quæ apud multos invaluit repetit ex Zellio auctore Chronici Colonienſis germanice impreſſi Coloniæ anno 1499., qui id primus affirmavit.

186. Quod Antonius del Corno in monumentis Feltriæ italice editis anno 1710. laudem inventionis typographiæ dicat convenire usque ab anno 1440. Pamphilo Caſtaldi Feltriæ nato, qui eam tunc amico Ioanni Fuſt communicavit, quoniam non habet alium auctorem niſi Bonifacium Paſolem, qui id in ſuis de eodem argumento manuſcriptis apud Feltrienſes notis affirmavit, id ipſi relinquunt credendum auctores Diarii Italici per Zenum (3). Primæ librorum impreſſiones carent numeris plerumque arabicis in principio uniuscujusque paginæ, quos circa annum 1470. illis appoſuit Pariſiis Ulricus Gering, nec literas habent ſecundum ſeriem alphabeti in fine primæ paginae cujusque ipſarum faſciculi, qui naſcitur ex iis plicaturis, quas unaquæque charta exiget pro pluribus vel paucioribus in ea impreſſis paginis. Signatura vocantur hæ literæ, quarum auctor dicitur idem Gering. Carent etiam cuſtodibus, quo nomine appellantur syllabae in fine cujusque paginae ſeorſim poſitae, quae indicant illas, quibus quæ ſequitur incipiat, quibus primus uſus eſt apud Venetos Ioannes de Spira in Taciti editione anno 1469. Sed eorum uſus nondum communis erat anno 1485. Hos enim Laire dicit non habere (4) *egregium artis typographicæ opus, ſermoni di Beato Leone Papa tradotti da Bartolomeo Corſini. impreſin Firenze M.* CCCC. *LXXXV. in fol.* Haec omnia proceſſu temporis acceſſerunt ad meliorem impreſſionis directionem & commodum bibliopolarum, eorumque maxime qui libros compingunt.

187. Elegantia etiam in primis typis deſideratur. Inter primos qui in hanc etiam incubuerunt ſunt juxta Lairem (5) Ulricus Han Ingolſtadii natus, qui quia Han in lingua germanica eſt latine gallus, ipſemet in aliquibus ſuis editionibus Gallum ſe appellavit. & Nicolaus Jenſon Han eodem tempore, ac duo alii Germani Sweynheim & Pannartz, de quibus inferius dicam, typographus Romae fuit circa annum 1469. Ienſon vero, de cujus vita vide Lairem (6) qui ad Galliam pertinet non ad Germaniam, ut non nemo per errorem dixit, Venetiis typographiam exercuit anno primum 1470., & de ejus pulchritudine ita ſollicitus fuit ut Omnibonus Leonice-

(1) Te. Paleogr. pag 50.
(2) La. Specim. c 1 pag 3.
(3) Gior. to. 3 ar. 33.
(4) Lai. Spec. c. 1 pag 7.
(5) Lai. Spec c. 4 pag. 72 & c 5 p. 105.
(6) La Spec, c. 2. pag. 41.

Digitized by Google

nicenus, quo correctore utebatur, ipſum dixerit *artis librariæ mirabilem inventorem* in præfatione Quintiliani ab eo editi anno 1471. Fabricius (1) laudat *de elegantiſſimo charactere*, & Oudinus (2) de *præſtantiſſimo*, Diogenis Laertii impreſſionem, in cujus fine legitur *Venetiis per Nicolaum Jenſon gallicum anno Domini 1475. die 13. Auguſti*, quemadmodum teſtatur citatum Excerptum Bernenſe (3). Conſtans tamen non fuit in hoc elegantiae ſtudio, & anguloſam typorum formam amplexus eſt, qua Zellius Coloniae uſus jam fuerat usque ab anno 1465., forte quia tunc eam peritiores amanuenſes adhibebant, ita ut qui nunc aperiat ab his perſcriptos codices, ut illos Bibliorum, qui extant Romæ in Bibliotheca Aræ Cæli Fratrum minorum, eos primo adſpectu impreſſos credat non manuſcriptos. Sed hac tandem gothica characterum forma relicta, in illam typographi conſpirarunt nunc uſitatam, quæ angulos abhorret, & ſtudioſe curat ut in ſingulis appareat quoddam quaſi corpus ſuis opportune diſtinctum membris qua gracilioribus qua craſſioribus per curvas lineas apte inter ſe connexis.

188. Quod Fournierus dicit hanc typos perfectionem obtinuiſſe in Gallia, equidem do quantum ad primum ipſius inſtitutorem, gallum ex dictis Ienſon, & quantum ad frequentiam & quaſi commune ſtudium gallorum artificum in ea procuranda, non vero quantum ad ipſam elegantiam, quaſi extra Galliam ab ipſo fere hujus artis initio viſa non fuerit. Laertius enim jam laudatus Venetiis impreſſus fuit, & Quintiliani inſtitutiones, aliosque libros, quos vulgavit Mediolani anno 1476 Antonius Zarotus Parmenſis, laudat Saſſius de *rotundo optimo charactere*. Celebres etiam ſunt ex hac quoque parte libri quos in Italia ſuis formis excuderunt Manutii, Iunctæ, Torrentini, Sermatelli, Ioliti, aliique multi de his laudati a Tiraboſchio (4). Hac autem noſtra ætate celebres propter typorum venuſtatem ſunt typographiæ Glaſcuae in Scotia, Parmæ in Italia per Io. Baptiſtam Bodonum, ceteroqui Salutienſem, & Matriti in Hiſpania per Ioachim Ibarram mortuum anno 1785., curante ut credo Emanuele de Santander, qui obiit anno 1783. ætatis ſuæ 71., præſes regiæ bibliothecæ Matritenſis, laudatus ab Anthologia Romana (5) de hac etiam ſollicitudine procurandi optimas formas pro characteribus non ſolum latinis, ſed græcis etiam hebraicis & arabicis.

189 Locus hic eſſet declarandi diverſas characterum typographicorum ſpecies, quarum ſingulis artifices ſua nomina impoſuerunt. Ita quos exhibent hujus noſtri libri paginæ, philoſophiam appellant, & parvum garamonem qui ſunt in earum calce, & ſilvium qui apparent in meo de Mundo commentario, Aliorum nomina noverit qui artifices conſulat, eorumque notiones opportune dabit, qui leges definitionum non ignoret.

Quod

(1) Fa. Bibl græ l 4 c.19.
(2) Ou. Scrip. eccles. to.3.
(3) Ex. to. 1 pag. 31.
(4) Ti. Lett. Ita. to.7 p.1 l.1 c.5 n.9.
(5) Ant. anno 1783. n.22 ar. Necrol.

Digitized by Google

Quod Nannius (1) dicatur demonſtraſſe deberi Aldo Manutio inventionem typorum qui ſimiles ſunt characteribus currenti calamo ſcriptis non componitur cum hiſtoria, quae nos docet primos typographos Fauſtum & Schefferum libros a ſe impreſſos vendidiſſe (n. 183.) tamquam manu ſcriptos. Credo itaque dicendum potius Aldum Manutium primum fuiſſe, qui in libris, in quibus auctores aliqua ab aliis deſcripſerint, hæc peropportune diſtinxerit per typos ſimiles characteribus manu factis ejusdem moduli cum aliis diſſimilibus, quibus ipſorummet auctorum propria verba propoſuit.

190. Illud certum eſt Chalcographiæ ornamenta addita operibus typographiae viſa primum fuiſſe Florentiae anno 1477., quo per Nicolaum della Magna, hoc eſt ex Alemannia impreſſus fuit Antonii Bettini Senenſis liber inſcriptus *Il monte ſanto di Dio*, ut ex optimis documentis dicunt Ephemerides Literariae romanae (2), qui liber perquam rarus eſt, ignotusque fuit Comiti Mazzuchellio, qui primam credidit ejus editionem Florentiae factam anno 1491., & ignotus etiam Baroni de Heineken, qui in ſua gallice ſcripta *Idea generali de collectione adæquata operum chalcographiæ*, Lipſiae publicata anno 1771. ſtatuit opus Dantis cum commentario Landini Florentiae typis mandatum primum eſſe, in quo opera chalcographica inveniuntur, quae videntur eſſe ejusdem artificis ac illa Bettini.

191. Dixi quae mihi viſa ſunt veriora in hac controverſia ſequutus Ladvocatum (3), Orlandum (4), Pluchem (5) & Terreros (6), qui jure volunt prae ceteris attendendum eſſe in hac re Trithemium, quoniam de ea loquens (7) profitetur ea ſe narrare, quae didicit per repetitas colloquutiones cum ipſo Petro Scheffero. Ceterum cum multi de hac inventione ſcripſerint quorum aliquos Derhamus (8), & alios citant Terreros (9) & Laire (10), quibus addo Albertum de Sallengre (11), completum ipſorum catalogum promiſerat ſe daturum auctor anonymus *Hiſtoriæ de typographia* gallice vulgatae Pragae anno 1740., qui aliunde ſcitur eſſe Proſper Marchand mortuus anno 1756. ut habet editor ipſius poſthumi *Dictionarii hiſtorici*, de quo Trevoltiani loquuntur ad annum 1758. ar. 99. Sed poſtquam pervenit ad finem primae partis hujus hiſtoriae, hanc & notas per decurſum indicatas omittit, quia inquit (12) *annus* 1740. *jam incoeptus hæc mihi non permittit*.

ARTI-

(1) Na. Vita Manutii.
(2) *Ef.* ann. 1784. n.6 ar. Parigi.
(3) *La.* Dizio. ar. Coſter *Lorenzo*, & ar. Fauſto Giovanni, & ar. Guttemberg, & ar. Scheffer, & ar. Mentel.
(4) Or. Orig. d. ſtampa.
(5) Pl. Spett. to. 7 la paleogr.
(6) Ter. Paleog. pag. 44.
(7) Tr. Chron. Hirſaugienſe to. 2.
(8) De. Phys. theol. p. 6 c. 1
(9) Te. Paleog. pag. 49 in not.
(10) La Specimen typogr.
(11) Sa. Mem. de Letter. to. 1 pag. 2.
(12) Ma. Hiſt. pag. 118

Digitized by Google

ARTICULUS III.

De characteribus typographicis per Europam propagatis.

192. Itali primi fuerunt ex omnibus nationibus, qui ex Germania typographiam receperint. Hoc accidit anno 1465., quo ex celebri Monaſterio Sublacenſi in Latio exierunt opera Lactantii, & deinde libri *de Civitate Dei* S. Auguſtini anno 1467. Typographi fuerunt ſine controverſia germani homines Conradus Swenheim, & Arnoldus Pannartz, qui ibi primo hanc artem ſtabiliverunt, quia tunc illic erant multi germani monachi teſte Card. Querino in appendice ad vitam Pauli II. Iidem deinde Romam artem ſuam tranſtulerunt, & quidem ipſomet anno 1467. nondum completa impreſſione librorum de Civitate Dei, quam dum per adminiſtros ibidem perfecerunt, ipſi Romæ Epiſtolas familiares Ciceronis excuderunt *in domo Petri de Maximo M.* CCCC. LXVII. in fol. Ibidem anno deinde 1472. impreſſerunt opera Nicolai de Lira, quorum quartum volumen habet dedicatoriam ad Sixtum IV. Papam, in qua primos ſe dicunt, qui typos in Italiam invexerint. Hoc teſtimonium eſt contra Thomam Garzonum, Io. Bapt. Natolinum, Floravantem Martinellum, & Fulvium Vrſinum, qui apud Lairem (1) affirmarunt Romæ fuiſſe typographiam ſub Nicolao V., adeoque ante annum 1455., quo obiit. Nihil autem dico de illis, qui ſermones Leonardi de Vtino in Vrbe impreſſos dixerunt anno 1446., & epiſtolas Philelphi Mediolani anno 1454., quia oſcitanter ſumpſerunt pro anno impreſſionis illum quo ſermones Leonardus compoſuit, & unam ex ſuis epiſtolis dedit Philelphus.

193. At inquiunt aliqui: Non Sublaci ſed Venetiis convenit ex omnibus Italiæ regionibus primatus de accepta hac arte; Nam ita teſtantur Thomaſinus in *Gymnaſio Patavino* Vtinæ impreſſo anno 1654., & poſt illum Petrus Iuſtiniani in *Hiſtoria rerum Venetarum*. Sed auctoribus, qui ipſo inventæ typographiæ tempore ſcripſerunt non poſſunt hi præferri longe poſteriores, omiſſis aliis contra ipſos argumentis, quæ Laire (2) adducit. Vrgent Michael Mattaire in ſuis Annalibus Typographicis ex editione antiquiori illa anni 1733., & deinde Iacobus M. Paitonus in libello italico, cujus titulus *Venetiæ primæ extra Germaniam typographos habuerunt* edito anno 1756. & iterum 1772., & nuper Petrus Ant. Crevenna in notis ad volumen II. de libris ſuæ bibliothecæ anno 1775. promulgatum urgent argumentum ex libro *Decor puellarum* Venetiis per Nicolaum Ienſon impreſſo anno 1461. Sed mendum eſſe in hoc numero conſentiunt critici apud Tiraboſchium (3), & Laire plane perſuadet Ienſon Venetiis notum non fuiſſe ante annum 1470.

(1) Lai. Spec. c. 2 pag. 19.
(2) La. Spec. c. 2 pag. 37.
(3) Ti. Stor. letter.

194. Inſtant alii. Extat Coſmographia Ptolomæi Bononiæ edita anno 1462. ergo in Italia ante Sublacenſes fuerunt typographi. At quoniam hæc Coſmographia dicitur impreſſa curante Philippo Beroaldo, qui extremam *emendationis manum impoſuit, & Plinii, Strabonis, reliquorumque geographiam cum Ptolomæo contulit*, cum hic natus fuerit an. 1453., opus eſt fateri erratum eſſe in eo numero, quoniam qui tunc erat novennis, ea præſtare non poterat. Inſtat Ioſeph Ant. Saxius Ambroſianæ bibliothecæ præfectus in ſua hiſtoria Mediolanenſi typographica. Eodem anno 1465. quo ſublacenſes typi apparuerunt habemus excuſam Mediolani Hiſtoriam Auguſtam: ergo Mediolanum admitti debet in ſocietatem gloriæ, quæ ex hac cauſſa tribuitur Sublaco. At nemo vidit hujus hiſtoriæ editionem Mediolanenſem antiquiorem illa, quæ ibidem facta fuit anno 1475. Omnia tandem quæ ex aliis auctoribus obiiciantur contra abſolutum typographiæ Sublacenſis primatum extra Germaniam habenda eſſe pro falſis & inconſiderate dictis luculenter Laire (1) demonſtravit.

195. Venetiæ habuerunt typos anno 1469., quo Ioannes de Spira protulit epiſtolas familiares Ciceronis dicens ſe eſſe primum, qui in eam urbem illos attulerit, quo teſtimonio confutantur Ioannes Arenaldus, & Godefridus Olearius, quorum primus (2) dixit epiſtolas Philelphi Venetis typis anno 1458., & ſecundus commentaria Thomæ de Argentina anno 1464. prodiiſſe.

Veronam eodem anno ac Venetias habuiſſe typographiam auctor eſt Scipio Maffeius (3) dicens vidiſſe ſe Homeri Batrachomiomachiam ibi impreſſam anno 1469., forte per Vindelinum de Spira Ioannis fratrem.

Mediolanum jure gloriatur de hac arte illuc introducta anno primum 1470. artifice Ioanne Zarotto. Neque enim attendi debent, qui dixerunt anno 1469. ibidem impreſſum Aratorem. Vera enim hujus auctoris impreſſio ibidem facta antiquior non eſt anno 1569., ut Laire (4) demonſtravit.

Trebia in Vmbria eodem anno 1470. protulit apud ſe impreſſum librum de Indulgentia pro Eccleſia S. Mariæ de Angelis, cujus exemplum extat in Bibliotheca Alexandrina Archygymnaſii Romanæ Sapientiæ, quod non immerito haberi poteſt pro uno ex argumentis, quo ipſius antiqua nobilitas comprobetur, qua cognita a regnante Pio VI. civitatis dignitatem eidem collata fuit vel reſtituta libentiſſime, nec amplius dici poteſt oppidum ut Laire de hoc ibidem impreſſo libro loquens (5) eam appellavit.

Fulginium pariter Trebiæ proximum anno 1470. typos habuit in domo Æmiliani de Orſinis, cujus laudes videſis apud illos quos citato nuper loco

(1) Lai. Speci. c. 2 a pag. 22
(2) Lai. Spec. c. 2 pag. 20 & 21.
(3) Ma. Veron. illus. par. 2.
(4) La. Specim. c. 2 pag. 57.
(5) La. Ibid. c. 5 pag. 98.

Digitized by Google

loco Laire nominat, ex qua prodiit hiſtoria Leonardi Aretini de bello adverſus Gothos.

196. Neapoli anno 1471. typographiam conſtitutam dicunt Petrus Neapoli Signorelli apud Ephemer. Lit. Rom. (1) & Franciſcus Roberti (2) dicit id factum fuiſſe opera Sixti Rüffinger Sacerdotis Argentinatis. Sed I advocatus eam ibi non admittit (3), niſi anno 1473. per Arnaldum de Bruſſel, hoc eſt dicet aliquis Bruxellenſem. Ex tot emunctæ naris criticis hactenus nominatis vana concluditur Iulii Negri conjectura apud Dominicum Manni (4) de quibusdam Antonii Panormitae libris editis Neapoli anno 1453.

Florentiae anno pariter 1471. Mehus (5) contendit viſam fuiſſe hanc artem. Sed Vincentius Fineſchi in *Notitiis hiſtoricis circa typographiam* italice impreſſus anno 1781. hanc transfert ad annum 1472. ſub artificibus Bernardo & Dominico Cennini.

Bononiæ dicit Laire (6) *Literati omnes Bononienſes ante annum* 1471. *nihil cuſum fuiſſe affirmant*.

197 Mantuæ anno 1472. tres typographiæ apertæ fuerunt, prima a Petro Adamo de Micheli hujus urbis cive, qui Boccacii decameronem inter alia opera impreſſit. Aliæ duæ auctores habuerunt germanos, altera campidonenſes, & altera moguntinos. Hos Orlandus dixit primos Mantuæ typographos, quia non vidit argumenta, quibus recentiſſime Ludovicus Camillus Volta (7) hanc laudem Michelio aſſeruit, quæ retulerunt etiam Ephemerides liter. rom. (8).

Mons Vici civitas Pedemontii eodem anno 1472 exhibet typis impreſſam ſummam S. Antonini.

Collis civitas Etruriæ dicta fuit ab aliquibus edidiſſe anno 1471. Oppianum, & vitas Sanctorum Iacobi de Voragine. Sed neutrum eſt verum. Solus Oppianus extat ibidem impreſſus anno 1478. Græcos quidem typos præter latinos vidi equidem ſatis elegantes in libris, qui ex eadem civitate proximis annis prodierunt.

Aeſium habuiſſe typos anno 1473. teſtatur liber qui extat Romæ in Bibliotheca Aracælitana, *Conſtitutionum S. Matris Eccleſiæ editarum per D. Ægidium Epiſcopum Sabinenſem* D. *N. Papæ Vicarium*, MCCCCLXXIII. *magiſtro Friderico Veronenſi earum impreſſore*. Hic Ægidius eſt celeberrimus Card. Albornotius Hiſpanus mortuus Viterbii anno 1367. Collegii Bononienſis pro Hiſpanis fundator.

Brixiæ anno pariter 1473. fuiſſe typographiam teſtantur impreſſæ ibidem Iuvenalis Satyrae, quarum editionem primam viſus eſt credere Hierony-

L 2

(1) Ef. ann. 1785. n. 4.
(2) Ro. Diſq. 7 in not. pag. 175.
(3) La. Dict. ar. Aragona Ferdin.
(4) Man. Promulgaz. de libri Firenze 1762.
(5) Me. Præf. ad Ambr. Camald.
(6) La. ſpec. c. 2 pag. 49.
(7) Vo. Sagg ſu la tipograf. Venez. 1786.
(8) Ef. ann. 1787. n. 26.

ronymus Faruſfaldus (1) neſcius ut advertit Laire (2) adeſſe Romanam anni 1469. vel 1470. cujus exemplum *extat apud S. Mariam de Populo Patrum Augnſtinienſum Romæ* .

198. Tarviſii anno 1474. Gherardus de Liſa aliter dictus de Flandria, aut Flandinus excudit verſionem e lingua gallica in italam , non in latinam ut per errorem dixit Mattaire , *Theſauri* Brunetti Latini , Florentini mortui anno 1294. , quam Bonus Giamboni ſub idem auctoris tempus perfecerat , operis ſcilicet quod divinum appellavit Ioannes Villani apud Tiraboſchium (3) in quo continentur hiſtoria utriusque Teſtamenti , & multa de philoſophia naturali morali & politica . Hic Brunettus a Dante ſuo olim magiſtro inventus ſive poſitus in inferno propter turpe neſcio quod ejus vitium hunc theſaurum compoſuit in Gallia cum illuc commigraverit expulſus a patria , quia Guelphus erat .

199. Quando aliæ Italiæ civitates plusquam triginta intra ſpatium viginti annorum ab hujus artis in ipſam adventu illam apud ſe conſtituerint , brevi docet Tiraboſchius (4) qui tamen conſulendus eſt juxta editionem Romanam , in qua ſunt emendationes eorum , quæ dum hæc circa typographiam ſcriberet anno 1775. , minus vera eſſe deinde deprehendit . Extra Italiam e Gallia quidem anno 1470. prodierunt primæ editiones e domo Sorbonæ juxta Trevoltianos (5). Et primas Lugdunum ad Rhodanum (6) anno dedit juxta eosdem 1476 . In Hiſpania Terreros (7) nullas admittit ante annum 1474. , qui fuit primus regni Ferdinandi V. & Iſabellæ ; Valentiæ autem primas habitas fuiſſe (8) anno 1475. teſtantur Ephemerides Lit. Romanæ . In Saxonia typos fuiſſe Lipſiæ uſque ab anno 1480. recentiores multi a Laire citati (9) comprobarunt contra Orlandum & Mattairem , qui nullos illi concedunt ante annnm 1484.

200. In Hibernia anno 1475. apud Caſſiliam ipſius civitatem fuiſſe typographiam dixit Marchand in ſuo Dictionario . Sed ſine dubio hallucinatus eſt , ut Ioſeph Vernazza (10) & Tiraboſchius (11) jam demonſtrarunt; Nam cum præ manibus habuerit *Pantaleonis de Conflentia Vitas Sanctorum Patrum per Joannem Fabri artificem in Caſellarum oppido impreſſas anno* 1475. , Caſſiliam credidit eſſe has Caſellas , quas non alias eſſe quam oppidum non longe diſtans ab Auguſta Taurinorum demonſtrat nomen typographi Ioannis Fabri , quem circa hæc tempora huiusmodi officinam in hac Auguſtæ civitate habuiſſe conſtat ex aliis ab eo eadem charta ibi impreſſis libris . Nec omittam inſignem alium ejusdem Marchandi in hoc articulo errorem , dum Conflentiæ nomine credidit ſignificari Germaniæ civita-

(1) Ba. Tipogr. Ferrareſe.
(2) Lai. Sperim. pag. 135.
(3) Ti. Stor. Lett to.4 l. 3 c. 5 n.22.
(4) Ti. Stor. Lett uoi ſupra n. 22.
(5) Tr ann.1749 ar.25 & ann.1752. ar.56 in fine.
(6) Tr. aun. 1758. ar. 58.
(7) Te. *Paleogr.* pag. 34
(8) Ef. anu. 1776. n.17.
(9) Lai. Specim. pag.136.
(10) Ve. Lez. ſopra la ſtampa.
(11) Ti. Sto. Lett. to.6 l.2 c.5 n.22.

vitatem Confluentes, cum non ſit niſi pagus prope Vercellas, unde erat hic celebris medicus Pantaleo, qui propterea dictus etiam fuit Pantaleon de Vercellis.

201. Certum autem eſt nec græcis nec hebraicis characteribus ullos ullibi impreſſos fuiſſe libros ante annum 1476. Loquor de libris; nam aliqua verba & etiam teſtimonia græcorum auctorum ſparſa in latinorum operibus reperiuntur græcis characteribus expreſſa longe ante hoc tempus, ut in Lactantio ex formis ſublacenſibus anni 1465., in quo hos videas ſatis concinne formatos in eo ipſorum ſpecimine quod exhibuit Cl. Io. Bapt. Audiffredi ad calcem ſui *Catalogi hiſtorico-critici Romanarum editionum ſæculi XV.*, quem Romæ publicavit anno 1783. Græcos interea ex integro auctores Saxius apud Tiraboſchium (1) & Laire (2) dicunt productos primum fuiſſe Mediolani per Dionyſium a Paraviſino anno 1476. in græca grammatica Conſtantini Laſcari. In libris autem majoris momenti ibidem typi græci apparuerunt anno primum 1481. Inde enim prodiit Pſalterium græcum, cujus exemplum habebat Bibliotheca Maphæii Pinelli auctore Iacobo Morello in ejus deſcriptione. Alia deinde ejusdem Pſalterii græca impreſſio Venetiis facta fuit ab Aldo Manutio anno 1486. teſtantibus Trevoltianis (3), qui ipſum a ſe viſum commemorant. Falſum igitur eſt quod Peregrinus Orlandi ait (4) typographiam Manutii incoepiſſe anno 1490., ipſique attribuit pſalterium græcum quod extat *ſine loco & anno editionis*. Florentiæ autem debemus juxta eosdem Trevoltianos (5) primam editionem Homeri pulcherrimam & celeberrimam curante Demetrio Cretenſi factam anno 2488., cui ſecunda iisdem teſtantibus (6) ſucceſſit anno 1503.

202. Hebraici typi primum viſi ſunt in paucis verbis ſparſis in libro edito Eslingæ anno 1475. In integris autem libris viſi primum in Italia, ubi anno 1476. juxta Io. Bernardum de Roſſi apud Tiraboſchium editionis Romanæ (7) Abraham Conath Mantuæ, & Abraham Ben-Chaim Ferrariæ hujusmodi libros protulerunt, & anno proximo 1477. (8) *Iudæi* inquit Laire *in urbe Piſaurenſi hebraice ediderunt commentarios R. Levi Gerſonidis in Job, & illos R. Kimchii in Pſalterium, quod ultimum opus extat Romæ in Bibliotheca Angelica*. Idem de Roſſi in Commentario de typographia hebraica Sabulonettæ apud Ephem. Lit. Roman. (9) dicit, *prima editio hebraica ſacri texus fuit Pſalterium anno* 1477. *prima autem hebraica Pentateuchi facta fuit Bononiæ anno* 1482. Quare manifeſtum eſt hebraicæ typographiæ primatum non convenire Soncino loco humili regionis Cremonen-

(1) Ti. Stor. ubi ſupra n. 31. & 33. & to. 6 p. 2 l. 3 c. 2 n. 19.
(2) Lai. Specim. c. 1 pag. 12.
(3) Tr. ann. 1750. ar. 107.
(4) Or. Orig. d. ſtamp. ar. Venezia.
(5) Tr. ann. 1749. ar. 2 & ar. 25.
(6) Tr. ann. 1750. ar. 96.
(7) Ti. Stor. Lett. to. 6 c. 4 n. 35.
(8) La. Speci. c. 1 pag. 12.
(9) Ef. ann. 1780. n. 45. ar. Parma

Digitized by Google

monenſis, ut Wolfius (1), Mattaire (2), Bartholoccius (3), Saxius & alii cenſuerunt. Hebræi enim Soncinates referente Orlando (4) primæ ſuæ editioni appoſuerunt annum mundi 5244., qui eſt æræ vulgaris 1484., & ab his poſt annos quatuor habemus impreſſionem hebraicam totius Teſtamenti veteris, maxime raram, ut ajunt Trevoltiani (5).

203. Arabici juxta Tiraboſchium (6) & Lairem (7) primum prodierunt ex Fano Fortunæ anno 1514., ubi Gregorius Giorgi Venetus, impenſis Iulii II. hanc typographiam conſtituit. Quod Romæ etiam antiqui characteres Chaldaici fuſi fuerint ad uſum hujusmodi impreſſionis ſub eodem Pontifice Iulio teſtatur idem Laire dicens (8) *ejus juſſu Romæ Jo. Potkens Præpoſitus Eccleſiæ S. Georgii Colonienſis curavit eos confici*, & refert haberi Romæ *in Bibliotheca Trinitatis de Monte Pſalterium impenſis Jo. Potkens Romæ per Marcellum Silbert alias Frank MDXII.* quin tamen dicat illud eſſe literis chaldaicis. Has certum eſt viſas fuiſſe Genuæ ann. 1516., quo ibi impreſſum fuit per typographum Petrum Paulum Porro Mediolanenſem juxta Saxium, ſpecimen primum Polyglottæ in Pſalterio octo columnis diſtincto, in quibus ſunt hebraica lectio, græca, arabica, & chaldæa, curante ut lego apud Trevoltianos (9) Auguſtino Iuſtiniano Ianuenſi Ord. Prædic. Epiſcopo Nebbienſi, cujus opera ſtudium linguarum Orientalium introductum fuit Pariſios, quo Galliarum Rex Franciſcus I. illum acciverat, & qui naufragio periit anno 1530., cum natus eſſet anno 1470.

Syriaci & quidem lineares (n. 145) qui nunc uſitati ſuut, alii viderint an apparuerint typographici ante annum 1556. quo juxta Finettium (10) Novum Teſtamentum Vindobonæ impreſſum fuit ſub auſpiciis Imperatoris Ferdinandi opera Vidmanſtadii. Poſtquam tot in tota Europa erectæ fuerunt typographiae, ceterae omnes orbis terrarum partes eas pariter ſtatuerunt. Apud ipſos Iapones eſſe luculentum teſtimonium habemus a Laire (11) qui ait *tractaſſe ſe librum in Bibliotheca Angelica cujus titulus ſic habet, Emmanuelis Alvarez Societatis Jeſu de Inſtitutione grammatices libri tres &c., accedit interpretatio Japponica impr. in Collegio Amacuſenſi Soc. Jeſu anno MDXCIII. Conſtat 170. foliis in 4. & eſt ex charta ſetina*. Non minor eumdem Lairem tractaſſe etiam alium librum impreſſum Manillæ eodem anno 1593., quem *mihi* inquit *communicavit Joh. Chriſtoph. Amadutius Præſes Typogr. S. Cong. de Propaganda Fide*, quoniam Manilla una ex præcipuis Indiae orientalis civitatibus in inſulis Maniolis pertinet ad imperium Hiſpanum, quod typographiam in omnia etiam Indiae occidentalis regna ſibi ſubjecta jam olim introduxit.

ARTI-

(1) Wo. Bibl. hebr. Vol. 1.
(2) Ma Annal. typog. vol. 1.
(3) Ba. Bib. rabbi. vol. 1.
(4) Or. *Orig.* d. ſtampa.
(5) Tr. ann. 1751 ar. 54.
(6) Ti. Stor. lett. to. 7 p. 1 l. 1 c. 5 n. 7.
(7) Lai. Specim. c. 1 pag. 13.
(8) La. Speci. c. 4 pag. 96.
(9) Tr. ann. 1751. ar. 14.
(10) *Fi* Ling. ebrai. c. 1 ſe. 4 n. 5.
(11) Lai. Specim. c. 1 pag. 14

ARTICULUS IIII.

De characteribus privatis.

204. DE privatis jam characteribus dico. Hi ſunt qui conflant artem, quæ græcis nominibus appellatur Cryptographia, & Steganographia, & ab Italis arabo nomine Cifera vel Cifra, hoc eſt ars occulte ſcribendi, ut vulgus nihil intelligat, ſed ille ſolum qui certior factus eſt de horum characterum poteſtate. De hac arte Jo. Trithemius, natus Tritenthe im prope Treviros, & mortuus anno 1516. ætatis ſuæ 57., Abbas coenobii benedictini prope Herbipolim, primus de ea copioſe ſcripſit, ſed ita ut creditus fuerit a Bellarmino (1) aliisque magiæ damnatas artes docere, quia cum ceteroqui fuerit vir optimus atque doctiſſimus, ut in ejus vindiciis ait Schottus (2) plerunque loquutus eſt tamquam Necromanta ut abſcondita eſſet indoctis ſua in hac re doctrina ad præcavenda homicidia proditiones aliaque ſcelera, quæ ſibi viſus eſt per ejus abuſum facile facturos malæ mentis homines, qui in imperito vulgo abundant, quaſi vero quando hoc verum eſſet; utentium malitia ſit artis vitium, & tritum non ſit illud Ovidii (3) *Nil prodeſt quod non lædere poſſit idem*. Sed hiſtoria criminationis, quam Trithemius ſubſtinuit propter a ſe excogitatam Steganographiam, quam docto homini, quem hoſpitaliter receperat, amice aliqua ex parte communicaverat, habetur in citato Schotti Syntagmate una cum defenſione, quam ipſemet pro ſe protulit. Sed quæ mihi videtur invicta, eſt ſuos de hac arte libros eſſe poſthumos. Alios multos qui deinde innocentiam Trithemii propugnarunt dabit ejusdem religios. Ordinis Benedictus Fejoo (4).

205. Poſt Trithemium permulti extiterunt, qui de eadem arte tractarunt, quos nominat laudatus Schottus (5), quibus addo Claudium Comiers Ebroduni natum & Pariſiis mortuum anno 1693., qui de eadem egit in ſecunda parte gallici ſui tractatus de loquutione & ſcriptione editi Bruxellis anno 1691. & M. Ludov. Henricum Hillerum, qui anno 1682. Ulmæ edidit *Myſterium artis Steganographicæ, ſcripta characteribus furtivis in omnibus linguis præſertim latina, germanica, gallica, italica, expedite ſolvendi pandens*, qui etiam aliqua ex iis, quæ Schottus docuit, refert cum quibusdam notis.. Kircherus (6) laudat Auguſtum Ducem Brunſuic & Luneburg. quod *innumeros modos invenerit arcane ſcribendi, quos mundo patefecit*.. Atque ex his unus ibidem dilucide exponitur.

206. Cum interea Cryptographia innumeris modis exerceri poſſit, aliquos placet indicare. Primus ſit cum mutatur uſitata poteſtas literarum alpha-

(1) Re. Scrip. eccl.
(2) Sh. Magi. p.4 l.1 synt 3 c.3.
(3) Ovi. Triſt. l.2.
(4) Fe. Theatr. to.2 di.5 a. n.38.
(5) Sc. Mag. p.4 l.1 proem.
(6) Ki. Arithmol par. 2 in fine.

Digitized by Google

alphabeti. Exemplo ſit novum alphabetum, quod apparet in characteribus hic ſubjectis vulgari alphabeto ad poteſtatem novi intelligendam.

a b c d e f g h i k l m n o p q r ſ t u x y z
b m r z t k f d i o g c ſ x n a q e h p u l y

Fac igitur duos inter ſe conſentire in hujus uſu jam hæc ſententia *Diliges proximum ſicut te ipsum*, pariet hanc ſcripturam Zigite nqkuicpe cirph ht inepe. Uſos hoc artificio Cajum Cæſarem & Octavianum Auguſtum habemus a Suetonio in eorum vitis, aliisque antiquis apud Jo. Nicolaum (1). Ipſum fuſe propoſuit Trithemius in libro quinto ſuæ polygraphiæ, & brevi, ac dilucide Schottus explicat in ſua Magia (2) & promovet in ſua Steganographia (3). De eodem multi alii loquuti ſunt ut Jo. Baptiſta Porta, Blaſius Vigenerius in gallico tractatu de Cyphris, Guſtavus Selenus, Hercules Sundt.

207. Huic ſimile artificium eſt illud in quo ſingulæ literæ communis alphabeti exprimuntur per numeros, vel per notas medicas, aut chymicas, aut aſtronomicas, aut alias ex arbitrio ſumptas, & etiam compoſitas, quod perquam multis diverſis modis verſat Schottus (4). In his ipſe habet aliquo modo illum, quem hic ſubjiciam. Igitur duo ad minimum ponantur hujusmodi alphabeta in numeris ex. gr. conſtituta, quibus alternatim quis utatur pro ſingulis literis, quibus vocabula conſtant, aliter ſecretum ex uno dumtaxat compoſitum ſagaces facile deprehendent, præſertim ſi noverint qua lingua ſcriptum ſit. Quando hoc ignorent difficultas quidem creſcit, non eſt tamen inſuperabilis. Nam ſingulæ linguæ habent quædam ſibi propria attributa, per quæ ab aliis diſcernantur, quibus animadverſis jam ſuperaddita difficultas evaneſcit ut palam fecit citatus Hillerus. Itaque juxta ipſum ſi ſcriptura habeat plures quam ſedecim characteres in fine diverſos, jam non eſt latina: ſi habeat characteres diverſos plusquam viginti, non eſt italica: ſi multos in fine verborum geminatos, non eſt germanica: ſi multos ſolitarie poſitos eſt vel latina, vel gallica vel itala: ſi multos congeminatos eſt itala.

208. Sed venio ad exemplum ſecreti per duplex alphabetum exarati. Atque primum ſit

1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.	9.	10.	11.	12.	13.	14.	15.	16.	17.	18.	19.	20.	21.
a	b	c	d	e	f	g	h	i	l	m	n	o	p	q	r	s	t	u	x	z

Secundum vero ſit

2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.	9.	10.	11.	12.	13.	14.	15.	16.	17.	18.	19.	20.	21.	1.
a	b	c	d	e	f	g	h	i	l	m	n	o	p	q	r	s	t	u	x	z

Velis itaque alteri qui eadem tenet alphabeta ſecreto ſcribere *Fuge cito*, accipe ex primo alphabeto pro f prima ſecreti litera numerum 6, & ex ſecundo pro u numerum 20: deinde ad primum rediens, numerum 7. habes pro litera g, & ſic deinceps alternatim procedens ſcribes 6. 20. 7. 6. 3.

(1) Ni. Sigiæ vet. c.6.
(2) Sc. p.4 c. 2 n.4.
(3) Sc. claſ 3 c. 3 & 4.
(4) Sch. Stegan. cla.3 a c.91

6. 3. 10. 18. 14. Sicuti per numeros literæ occultari poſſunt, ita per literas numeros occultant mercatores, qui auctore Wolfio (1) iis *utuntur ad deſignanda mercium pretia in ſchedulis affixis*, quas ipſi ſoli legunt, qui ſingularum literarum numericum valorem conſtituerunt.

209. Secundus modus ſit cum retinetur poteſtas literarum in ſolis literis quæ occupent certum locum in compoſitione arbitraria vocum nihil ſignificantium. Itaque conveniant duo in conſiderandis ſolis literis quæ ſecundum locum occupent in epiſtolii vocabulis nunquam auditis, ut alios lateat quod in eo ſcribitur, & unus alterum moneat *Cave virum*, ille hæc ſcribet, Echorach hanaſar ſtulay ſemalas furiel vimalo tropen tumeleck amaſar. Qui ignarus ſecreti hæc legat, vel credet hanc eſſe linguam peregrinam, vel quando ſuſpicetur de myſterio ibi abſcondito, fatebitur opus ſibi eſſe ad illud eruendum attenta meditatione, dum alter de eo conſcius deletis omnibus cujusvis vocabuli literis præter eas quæ ſecundo loco ſunt poſitæ ſtatim leget, *Cave virum*. Inventio & exemplum eſt Trithemii (2), quod Antonius M. de Reyta imitatus eſt, ubi agens de teleſcopiis (3) quædam ad ea perficienda ſua inventa hoc modo celavit ſimul & promulgavit.

210. Tertius ſit dum diſcerpuntur uſitati characteres perſcripti in Scytala Laconia. Scytala eſt baculus teres, Laconia dicitur a Laconibus inventoribus. Extenditur ſuper baculum ſpiraliter charta, & dein de characteres formantur ſupra limbos chartæ ſe contingentes ita ut una ſingulorum pars delineata ſit ſupra unum limbum, & altera ſupra alterum. Evoluta charta hoc modo ſcripta neceſſe eſt ut nihil legi poſſit, quia nullibi jam apparent uſitati characteres. Ad lectionem opus eſt chartam eodem modo ſpirali ſuperimponere eidem vel ſimili omnino Scytalæ. Scaliger (4) hoc inventum ſuperbe contemnit, ſed ipſum paſſim celebrant poſt Gellium (5) omnes Cryptographiæ ſcriptores teſte Schotto (6).

211. Quartus ſit cum verba integra cujuscunque linguæ ſive realis ſive fictæ conſtituuntur ſigna totidem literarum communis alphabeti. Trithemius hanc cryptographiæ ſpeciem docuit, quam Kircherius & ex illo Schottus in ſua *Schola Steganographica* perfecerunt, utpote quæ eſt maxime opportuna ad communicanda cum aliis per literas ea quæ non ſolum volumus ut aliis non innoteſcant, ſed ut ne illis quidem veniat in mentem ſuſpicari aliquid ſecreto per eas literas ſignificari. Ad hunc autem finem mirifice inſervit ſcriptura facta per talem liquorem, quæ viſibilis non eſt, niſi alio liquore illinatur. Ili liquores atramenta sympatica appellantur, quæ quomodo comparentur videſis apud Macquer Chimicum (7).

M S E-

(1) Vvo. Arithm. n. 53.
(2) Tr. Polygra. l. 4.
(3) Re. Ocul. Enoc. l. 4 in fine.
(4) Sca. Exerc. 326 in Card.
(5) Ge. l. 17 c. 9.
(6) Sc. Magi. p. 3 l. 3. c. 4 mach. 1 & p. 4 l. 1 c. 1.
(7) Ma. Diz. di Chim. ar. inchioſtri ſimpati.

SECTIO V.

D: characteribus ſignificationis certo cognitæ pro integris vocabulis.

212. SUnt pro quibusdam etiam integris vocabulis ſui quidam characteres, qui in eodem ſenſu ab omnibus accipiuntur, ut manifeſtum eſt ex uniformi reſponſione, qoam quisque interrogatus dat per proprias ſuæ linguæ dictiones. Itaque quæras a Latino quis numerus deſignetur per hunc characterem V., ille reſpondet quinque, Italus cinque, Gallus cinq, Anglus Five. Ex his characteribus ſunt qui adhibentur pro interpunctione, pro numeris, & aliis, de quibus aliqua jam diſtinctim dico.

ARTICULUS I.

De characteribus pro interpunctione.

213. QVemadmodum, inquit Emanuel Alvarus (1) *interſpiratione orationem loquendo diſtinguimus, ita interpunctione ſive interductu eadem ſcribendo diſtinguitur*, & quemadmodum interſpirationes diverſae ſunt pro varietate conceptuum, quos communicamus: ita etiam illi reſpondens interpunctio diverſis characteribus denotatur, quos paſſim grammatici exponunt, & ex profeſſo Aldus Manutius perſequutus eſt in ſuo *de interpungendi ratione tractatu*. Ilorum uſus tam apud græcos, quam apud latinos, vel incoepit longe poſt illum ſcriptionis, vel aliquandiu in deſuetudinem abiit, quod verius dicitur, quoniam Aloiſius Verneius (2) obſervat, Ariſtotelem advertiſſe Heracliti ſcripta carere interpunctis, quod non feciſſet, niſi in hoc quid ſingulare deprehendiſſet, & Gabriel Fabricius plura commemorat antiquiſſima monumenta interpunctis diſtincta in *Diatribe qua bibliographiæ antiquariæ capita aliqua illuſtrantur*, addita in quoddam opus Io. Bernardi de Roſſi circa ſingularem codicem bibliothecæ ſummi Pontificis Pii VI. de quo videſis Epheme. Romanas liter. anni 1782. n. 41.; Codices interea & magna inſcriptionum inſculptarum pars ætatis ſatis antiquæ nullis certe hujusmodi ſignis utuntur. Quare Montfaucon in ſua Palæographia ſtatuit, manuſcripta quæ ne unum quidem vocabulum ab alio ſeparant, præcedere ſæculum ſextum: & David Caslejus apud Bibliothecam Britannicam (3) eā in quibus non omnia omnino verba conjuncta inveniuntur, ad octavum ſaltem vult pertinere.

214. Signa interpunctionis, quibus nunc pleræque linguæ utuntur, maxime quæ ex latina originem habent cum evidenti lectionis emolumen-

to,

(1) Al. Gram. l.3 c 18.
(2) Ve. de orthog. c.7.
(3) Bi to.5 p.2 ar.5.

Digitized by Google

to, adeoque & intelligentiæ, hæc ſunt. Punctum quod ſignificat ſententiam abſolutam atque perfectam. Hoc habent etiam Orientales linguæ, de quibus quicquid affirmo novi ab homine in illis regionibus nato, ipſarumque peritiſſimo. Colon ſive duo puncta ſenſum denotant in ſe quidem completum, ſed cui aliquid, quod ſequitur ſuperadditur. Apud græcos in uſu non eſt hoc ſignum, ſed ejus loco unicum adhibent punctum altius poſitum & quaſi extra lineam totius verſus. Culti enim vero Arabes eo ad eumdem finem utuntur. Quare in ipſorum impreſſis libris tam unum quam duo puncta reperiuntur, nullæ tamen virgulæ.

215. Quando duo puncta uni imponantur ex duabus vocalibus ſibi in eodem vocabulo contiguis, quæ plerunque ſolent in diphtongum, adeoque in unam ſyllabam unumque ſonum coaleſcere, ſignificant eas ibi eſſe mutuo ſeparatas: Hoc ſigno utuntur etiam Græci, & nomine ab illis accepto diæreſis vocatur, quod communius ſecundæ imponitur vocali: Hiſpani tamen, qui eo in ſuis etiam vocabulis utuntur, malunt ex conſilio ſuæ Academiæ ſuper linguam (1) ipſum ſupra primam collocare.

216. Semicolon, ſeu punctum cum virgula apud græcos eſt nota interrogationis, apud alias gentes ſignificat ſententiam, quæ non ita abſoluta eſt, ut aliquid aliud ad eamdem pertinens non requirat. Datur itaque quædam in his ſignis gradatio. Punctum enim denotat diſtinctionem maximam antecedentis a ſequenti: duo puncta minorem prima: punctum tandem cum virgula minorem ſecunda. Comma ſeu virgula adhibetur ad diſtinctionem diverſarum partium ejuſdem ſententiæ, ſine qua minus clara eſſet ejus intelligentia. Quare ubi ſine illa clarus eſt ſenſus orationis, ut fortaſſe accidit in eloquutione linguarum orientalium, in quarum ſcriptis hoc ſignum non videas, virgulæ plane redundant, ipſique intelligentiæ quoddam quaſi impedimentum ſeu retardationem objiciunt. Certe enim ejus inſtitutio, ſicuti aliorum hujus generis ſignorum eſt ſervire claræ & promptæ apprehenſioni eorum quæ ſcripta ſunt, ut advertit Benedictus Rogaccius (2) poſt Danielem Bartoli, qui ſubtiliſſime de quatuor jam dictis interpunctionis ſignis diſſeruit in ſua Orthographia (3), non vero e t indicare, ubi vocem in ſermone vel mutamus vel ſuſpendimus, ut dixit Franciſcus Rainaldi in ſuis grammaticalibus animadverſionibus pro italica lingua quas alii tribuunt Cardinali Sfortiæ Pallavicino, ut alibi dicam; Fit enim vocis ſive mutatio ſive ſuſpenſio non ſolum ubi virgulæ occurrunt, ſed ubi etiam nemo unquam illas adhibuit.

217. Virgula altius poſita prope literam alicujus vocabuli ſive ſit prima ſive ultima ſignificat ipſum mutilatum eſſe. Hoc ſignum vulgo etiam dicitur apoſtrophus. Virgula ſuperpoſita græcis vocibus, quæ incipiant per diphtongum aut vocalem quamcunque ſignificat aſpirationem ſive ut ajunt Græci ſpiritum, quem tenuem ſive lenem vocant ad differentiam

 denſi

(1) Ac. Di. d. lin. Caſt. prob

(2) Ro. Pratica dell' ital. n.443.

(3) Bar. c. ultim.

denſi ſive aſperi, qui pariter per virgulam, ſed inverſo modo delineatam notatur. Lenis otioſe ponitur, quia ut ait Bonaventura Giraudeau (1) *jam non pronunciatur, cumque ſcribere etiamſi pronunciaretur, ſuperfluum eſt*. Spiritus aſper ejusdem valoris eſt ac latinum h, locumque habet ſemper quidem in vocabulis, quorum prima litera ſit y, vel r, & aliquando in aliis etiam vocabulis & diphtongis initialibus. Virgula, ſed per modum ſpiritus aſperi græcorum, ſubſcripta literæ c in lingua gallica, ab eaque pendens, mutat illius ſonum.

218. Sed de ſignis alicui ſolum linguæ propriis conſulantur ſingularum grammatici: illa Syriacæ diſtinctim obſervavit Amira (2), & de illis Gallicæ merito laudatur nuperus auctor Douchet, qui de his etiam ſubtiliſſime agit in ſuis *principiis generalibus gallicæ orthographiæ* Pariſiis gallice vulgatis anno 1762. Virgula longior cum puncto ſuppoſito eſt ſignum interrogationis, quod hodierni etiam Arabes adeptarunt. Punctum cum recta lineola ſuperpoſita affectum indicat interjectione aliqua declarandum. Parentheſis, hoc eſt duo ſemicirculi includentes ſententiam aliquam a re de qua agitur non alienam, ſignificant ſine ea ſtare poſſe integram comprehenſionem. Hoc ſignum recentiores Arabes in ſuam etiam ſcriptionem introduxerunt. Spatium quod inter unum vocabulum & aliud interponitur ad ſignificandum eorum numerum, ſive impediendum ne duo accipiantur pro uno vel pluribus, commune jam eſt omnium linguarum ſcriptoribus. Hujus omiſſio perturbat ſententias, certe quidem officit expeditæ intelligentiæ.

219. Huc referri debet diviſio longi ſermonis per capita, per articulos, per numeros, quemadmodum nunc fit, relicto veterum more, qui ſtilum eodem modo ducebant a principio ad finem orationis. Huc tandem pertinet accentus, qui ſupra certas ſyllabas ponitur ad dirigendam vocabulorum vel pronunciationem vel intelligentiam. Apud Græcos nullum pene verbum eſt ſine aliquo ex tribus notis accentibus acuto ', qui vocem elevat, gravi \`, qui deprimit & circumflexo ῀, qui ex duobus primis compoſitus vocem primo elevat & deinde deprimit. Grammatici magnam volunt haberi rationem horum accentuum, & multas tradunt pro illis regulas. At alii rurſus jubent illos negligere, I. quia non conſentiunt cum proſodia; producunt enim ſyllabas breves & longas perſæpe corripiunt, ita ut qui ſecundum illos legat græcos poetas, is naturam verſuum penitus deſtruat. II. quia ante ſaeculum ſeptimum ignoti fuerunt, tunc enim primo apparent in manuſcriptis teſte Montfaucon. III. quia haec accentuum diſciplina incertis regulis, & variis ſententiis ac opinionibus implicatur, ut Lipſius dixerit (3) accentus *Græci variant varia & vana ſæpe, ita judico, cauſſa*. Itaque quem ex. gr. Attici volunt in ultima ſyllaba, Æoles in priorem retrahunt, ut advertit tabella dialectorum, quæ eſt ad calcem Lexi-

(1) Gi. Intr. ad græc. l. 1 c. 5.
(2) Am. Gram Syria. l. 7.
(3) Li. de recta pronu. c. 20.

Lexici Schrevelii ex editione Patavina anni 1715. IV. quia nequit hac via reſtitui genuina pronuntiatio, quae erat apud veteres, & cui tribuunt Grammatici prorſus temere, eam fuiſſe, quae cum proſodia optime componeretur, qui eſt finis ut ipſi ajunt accentuum inſtitutionis. V. quia multi jam primae notae Doctores hujus linguae illos abiiciendos praedicant & contendunt.

220. In his Romanae Fphemerides Liter. (1) commemorant Richardum Dawes, qni in *Miſcellaneis criticis* iterum Londini editis anno 1782. de eorum inutilitate fuſe egit. Giraudeaus (2) jam antea ex iisdem rationibus luculenter ab eo expoſitis idem cenſuit, concludens retineri ſolum poſſe acutum in syllabis, quae longae pronunciari debent, gravem vero ad diſtinguenda adverbia, aliasque hujusmodi particulas, circumflexum tandem in contractionibus. Addo conſervandos etiam eſſe in vocibus, quarum ſignificatio diverſa eſt pro diverſis accentibus. Exemplum eſto in ους, quod cum accentu circumflexo ſignificat *aurem*, & cum acuto *quos*. Aliud eſto in εις, quod ſine accentu eſt *in*, cum circumflexo eſt *unus*. Tertium eſto in η, quod ſine ullo accentu, & cum ſpiritu aſpero, eſt articulus femininus *hæc*: cum accentu gravi eſt adverbium, quod modo ſignificat *quam*, modo *aut*, modo *an*: cum accentu circumflexo ſignificat *ſit*, ſi habeat iota ſubſcriptum & ſpiritum lenem, ſin autem habeat ſpiritum aſperum eſt vel dativus ſingularis femininus *cui*, vel adverbium *quomodo*.

221. Latini nunc opportune accentu notant vocabula, quae ſine ipſo in alio ſenſu accipiuntur. Itaque accentus ſupra ultimam syllabam ablativi ſingularis in nominibus primæ declinationis ſignificat hujusmodi caſum, & ſupra *qui* ſignificat non eſſe nomen, ſed adverbium. Supra alias voces nullus jam ponitur niſi in libris, qui Sacris inſerviunt, ne per ignorantiam, vel inconſiderationem commutetur nativa syllabarum quantitas in earum pronunciatione. Itali his indigent in vocibus, quae ſine illis habent alium ſenſum, ac cum illis. Itaque inquiunt Academici linguae etruſcae (3) in ſuo Lexico editionis 1729., E cum accentu ſignificat *eſt*, ſine illo *et*: Ne cum accentu eſt idem ac nec, ſine illo eſt pleonasmus: Paſſera ſine accentu in ultima eſt avis nota, cum illo valet latinum tranſibit. Plura de his agentes grammatici dabunt, ut Daniel Bartolus (4) & Rogaccius (5).

ARTI.

(1) Efe. ann: 1783. n.5.
(2) Gi. Introd. ad græc. l. 1 c. 11.
(3) Voc. d. Cruſca pref. n. 8.
(4) Ba. Ortogr. c. 2.
(5) Ro. Ling. ital. p. 5 c. 1.

Digitized by Google

ARTICULUS II.

De ſignis numerorum non literatis exceptis arabicis.

222. ALiqua pro numeris ſigna credi jure poſſunt præceſſiſſe artem ſcribendi, quam ſupra (n.104.) dixi veriſimilius ab Adam inventam, quandoquidem dubitari non poteſt arithmetica aliqua homines ſemper uſos fuiſſe, numerando annos vitæ ſuæ, & ſuorum, & filios, & foetus brutorum, de quibus curam habebant. Qui nuper confidenter ſcripſit (1) in nulla lingua Americana numerationem extendi ultra numerum tres, videtur exiſtimaſſe Americanos non eſſe homines, & ignorantem ſe prodidit omnium novi orbis linguarum. Fortaſſe generalem hanc propoſitionem effinxit ab illa particulari, quam Condamines in ſuo *itinere per Americam* apud Gilium (2) affirmavit de Jameis in Maranania, & aliis Braſiliæ populis, quos dixit non habere nomina numerorum niſi uſque ad numerum tres, quaſi vero teſtimonium hominis, qui per eas regiones pertranſiit, alicujus momenti ſit in iis, quæ poſtulant longiorem aliquam commorationem.

223. Audiendi igitur ſunt qui apud illos diu fuerunt religionis chriſtianæ promulgandæ cauſſa. Hi autem nos docent in linguis ſingularum gentium quantumvis ſilveſtrium ſe reperiſſe nomina pro unitatibus & denariis. Atque illæ quidem quæ repertæ ſunt in ſeparatis familiis vivere in perpetuo otio, quod non excutit niſi fames, quæ eos impellat ad venationem vel piſcationem, quoniam præter rude aliquod integumentum circa lumbos veſtibus non utuntur, & antra habent pro domibus, vel male compacta tuguriola, quæ alio commigrantes, de novo ſibi excitant, his quidem arithmetica, quæ digitorum numerum non excedat, eſt plusquam ſufficiens. Qui autem in tanta barbarie, quæ accedit ad vitam ferinam, inventi non fuerunt, hi alia habent diſtincta nomina pro altioribus numeris. Auctor eſt Hervas (3) a Zamucis & Vilelis Evangelii prædicatores audiſſe hæc nomina uſque ad numerum viginti, a quibus ſi petiiſſent definitum aliquem numerum ſupra viginti, tunc illi ipſis exhibebant grana leguminum, vel lapillos, quæ taciti ante numeraverant.

224. Idem de Jaruris gente Orinochenſi refert Gilius (4), qui credit harum nationum arithmeticam non traſcendere numerum centum, vel ad ſummum bis centum, quia propter ingenitum otii amorem non habent bona, quæ majori indigeant numeratione. Idem Hervas recitat nomina (5) uſitata a Guaranis, & a Lulis uſque ad numerum triginta, & utroſque dicit ſolitos eſſe res quæ ſuperant numeros pro quibus habent nomina, eos expri-

(1) Nuovo Riflen. filoſo. p. 5 ſe.v
(2) Gi. Storia. to.2 l.4 c.28.
(3) He. Idea. to.19 n.191 & 193.
(4) Gi. Stor. to.2 l.4 c.28
(5) He. Idea. to.19 n.189. & 192.

Digitized by Google

exprimere vel per actiones quas cum prolatione minoris numeri conjungunt, ut pro numero quadraginta oſtendendo manus & pedes, ſimulque nomen binarii proferendo, vel per verba, quæ ſignificant plura, vel multo plura, vel alia perquam multa, vel innumera. Qui tandem deprehenſi fuerunt in civiles ſocietates jamdiu congregatos vivere, ut Mexicani & Peruani, arithmeticam habent, quæ ſe extendit ad centenaria, milliaria, & alios quoscunque numeros, ut Hervas (1) demonſtravit.

225. Poſſe ſine ſcriptis characteribus exerceri arithmeticam neceſſariam ad vitam ſocialem, certum eſt. Nam ex hiſtoria novimus Americanos, qui ante adventum Hiſpanorum ignari omnes erant artis ſcribendi, non excluſis Mexicanis & Peruanis, in duo ampliſſima regna congregatis, deſignaſſe numeros per nodos factos in funiculis diverſi coloris pro diverſis rerum generibus, & aliquando per certas alicujus vel arboris vel vaſis figuras delineatas, quas quorumdam numerorum ſigna conſtituerant. Quotidie etiam videmus idem obtineri a ruſticis per puncta vel lineas ſupra parietes vel tabulas ducta aut inciſa. Uſum linearum pro unitate binario ternario & quaternario retinuerunt conſtanter Græci & Latini in ſitu verticali, & Sinenſes in horizontali. Quoniam tamen hujusmodi ſigna dum multa evadnnt, promptam impediunt definiti numeri cognitionem, ideo excogitata ſunt tam a rudibus, quam a doctis alia pro majoribus numeris ſigna.

226. Illud crucis pto denario etiam nunc in uſu eſt apud vulgus, & antiquiſſimum eſt, nec ab ipſis Latinis etiam poſtquam certas literas pro numeris adhibebant penitus omiſſum; Reperitur enim in quibusdam antiquis monumentis, de quibus meminit Hervas (2) & adſunt etiam quæ exprimunt numeros viginti & triginta per duas vel tres lineas quæ unam ſecant. Cum autem de ſingulis numeris præſertim altioribus diverſæ gentes diverſas excuderint figuras, illæ quas quædam Aſiæ nationes, & Mexicani ſibi ſtatuerunt, habentur ab Herva, qui eas in opportuna tabula unico obtutu couſpiciendas exhibuit in laudato jam volumine decimo nono ſuorum operum, quod eſt de Arithmetica nationum, ibidemque n. 113. de illis etiam meminit, quas Hebræi doctores appellantes ad traditionem dicunt excogitatas Adami temporibus ante inventas literas & artem ſcribendi. In his numerorum figuris celebres ſunt arabicæ, de quibus loquar, poſtquam aliquid dixero de uſu ſatis communi progreſſionis numerorum uſque ad decem, ejusque perpetua renovatione.

227. Omnes gentes dixit Montucla (3) eam ſequi, verius dixiſſet plerasque; Nam Hervas, qui de omnibus omnium gentium numeris diligenter inquiſivit, invenit decem nationes uti progreſſione non per decem, ſed per viginti (4), ex quibus quinque ſunt in America, qui tamen numerus redigi poteſt ad unitatem, quoniam una videtur eſſe in his quinque origo

(1) He. Idea. to. 19 n. 1 & 183. & 196., & 198.

(2) He. Idea. to. 19 n. 38.

(3) Mo. Hiſt. math. p. 2 l. 1 n. 2.

(4) He. Idea. to. 18 n. 215, & to. 19. n. 6.

go hujus conſuetudinis, quippe omnes ſunt in America Boreali, & ex illis Mexicana, Otomita, Cora, & Maya, ſive Jucatana habent quædam vocabula communia. Una autem eſt in Aſia, una in Africa, & tres in Europa apud gentem minoris Britanniæ, quæ eſt Celtica, & Hibernam quæ eſt Phoenicia, & Cantabram. Hujus numerandi moris veſtigium videmus in omnibus Gallis progenie Celtica, qui quater viginti *quattre-vingt* dicunt pro octoginta. & quater viginti ſupra decem *quattre vingt dix* pro nonaginta.

228. Montucla putat a numero digitorum utriusque manus natam eſſe conſuetudinem numerandi per decem. Quod jam olim ſignificavit Ovidius dicens de numero decem (1)

Hic numerus magno tunc in honore fuit,
Seu quia tot digiti per quos numerare ſolemus.

Atque quia digiti manuum ac pedum ſimul ſumpti ſunt viginti, ex his factum eſt ut aliquæ gentes numeraverint per viginti. Certe ſilveſtres quædam nationes Americanæ apud Hervam (2) pro numero viginti aliae quidem habent nomen, quod ſignificat manus & pedes, & aliae nomen, quod ſignificat unum hominem, & pro quadraginta nomen quod idem eſt ac duo homines. Atque cum idem acutiſſimus auctor olim dubitaverit, an hæc origo progreſſionis vicenariae poſſet de omnibus nationibus affirmari, quæ ea utuntur, iis etiam, quae perfectam habent poſt hominum memoriam arithmeticam, ut de Mexicanis, dubium tandem omne repulit, poſtquam conferens haec nomina decem & viginti cum nominibus, quae ipſae dant manibus, & homini, deprehendit haec eſſe illorum numerorum radices (3).

229. Idem tamen (4) credit progreſſionem quinariam natam ex numero digitorum unius manus praeceſſiſſe denariam, eamque aliquandiu uſitatam ab hominibus ante diluvium, cujus repetitione majores numeros ſignificarent, ut nos facimus repetentes decem in nominibus numerorum ultra decem. Inter plura argumenta, quae pro hac opinione perſequitur, ſunt haec. Apud plures nationes Americanas, quae quoniam cum aliis nunquam communicarunt, uſus & voces ſibi proprias melius conſervarunt, manus nomen tribuunt numero quinario, & per hujus repetitionem reliquos numeros deſignant. Hic mos eſt apud Orinochenenſes teſte Gilio (5) & apud Jaruros, Betojos, Guaranos, Vilelos, & Omaguos gentem in regno Quitoæ ſitam, ut videre eſt in nominibus ab Herva (6) productis, quibus ſuam numerorum nomenclationem condiderunt. Praeterea primae quinque unitates in pleriſque linguis habent nomina prorſus inter ſe diverſa, quod non accidit in reliquis quinque usque ad decem. quae apertam inter ſe affinitatem praeſeferunt.

230. Di-

(1) Ov. Faſt. l. 3.
(2) He. Idea. to. 19 n. 7.
(3) He. Idea. to. 19 n. 211.
(4) Id. ibid. n. 1.
(5) Gi. Stori. Amer. to. 2 l. 4 c. 28.
(6) He. Idea. to. 19 a n. 189

Digitized by Google

230. Dixi nomina pro primis quinque numeris ſimplicibus non reperiri ullis aliis affinia in plerisque linguis, non jam in omnibus; Nam lingua Moxa Americana nomen numeri quatuor deſumit ab illo binarii, ſignificans bis duo, idemque de aliquibus linguis Orinochenſium teſtatur Gilius (1). Lingua Lula quae pariter Americana eſt pro numero quinque adhibet nomen, quod idem eſt ac quatuor & unum. Credit tamen idem Hervas ante ipſam linguarum confuſionem, gentiumque diſperſionem invaluiſſe inter homines uſum decem unitatum diſtinctarum, ſive progreſſionem denariam, tum quia hujus uſus quaſi univerſalis id videtur ſuadere, tum quia in perquammultis toto caelo diverſis linguis, quas in tabula oculis ſubjecit, litera S in nominibus Sex & Septem, ſicut litera D in nomine Duo, & T in illo Ttes, & K, Ch, quibus aequivalet latina litera Q, in numero Quinque reperiuntur, & quidem plerunque in ipſo horum nominum initio, quaſi Deus conſervaverit aliqua in elementorum nominibus elementa, & modum numerandi in omnibus novis linguis ab eo infuſis, quoniam haec uniformitas non poterat ſeceſſionem familiarum retardare.

Quod in plerisque linguarum diverſiſſimarum nationibus Europae & Aſiae quaedam appareat affinitas in tota numerorum nomenclatura, quam Hervas advertit (2), hoc ille tribuit commercio, vi cujus ab una aliqua gente eam receperint illae, quae ſola contenti tenui & rudi arithmetica hauſta a digitis, carebant nominibus diſtinctis pro numeris altioribus, iis oblitae, quae forte in linguarum infuſione habuerunt ſibi propria.

ARTICULUS III.

De ſignis numerorum arabicis.

231. MAnifeſtum eſt notas numericas communiter in Europa nunc uſitatas non eſſe in ſignis numerorum literatis. Eae vulgo arabicae dicuntur non quia Arabes ipſas excuderint, ſed quia ab Indiae ſapientibus dum commercium cum ipſis haberent, didicerunt. Hiſpani primum ab Arabiis, & alii deinceps Europae populi eas acceperunt, ut docent Scaliger (3), Caramuel (4) & Kircher (5), qui ſtatuit hoc ſub Alfonſo X. Caſtellæ regæ, literarum, & potiſſimum Aſtronomiæ amantiſſimo contigiſſe anno 1252., quo publici juris fecit Ptolomæi tabulas, quæ deinde Alphonſinæ dictæ fuerunt, utpote ejus cura emendatæ a ſummis aſtronomis Arabiis & Judæis, quos ex Africa, ubi audierat reperiri, ingenti ſumptu evocaverat ab anno 1240. Earum fama ubique ſparſa effecit ut intra paucos annos multa extarent exemplaria non quidem typis impreſſa, qui nondum inventi fuerant, ſed manuſcripta. Cum hæc in Arithmo-

(1) Gi. Stor. Amer. l. 4 c. 28.
(2) He. Idea. to. 19 n. 187.
(3) Sc. Explic. num. Conſt.
(4) Ca. Math. biceps. præf.
(5) Ki. Arithmol. p. 1 c. 6.

logia dixerit Kircherus, ſatis jam retractavit, quod in Oedipo ægyptiaco (1) ſcripſerat *numeros quos Arabes indicos vocant ab Indiæ ſapientibus profectos, verius a noſtris latinis proceſſiſſe*.

232. Ante promulgationem tamen tabularum Alphonſi uno & amplius ſæculo notas fuiſſe hiſpanis hujuſmodi notas probavit Stephanus de Terreros (2), cui Io. Andres (3) & Hervas (4) conſenſerunt, quoniam illarum uſum Terreros teſtatur inventum fuiſſe in ipſorum manuſcriptis mathematicis uſque ab anno 1136., non tamen in aliis aliarum facultatum libris; In his enim uſque ad promulgatas tabulas alphonſinas inveniuntur romanæ numerorum notæ etſi aliquantulum deformatæ, quas Hiſpani vocant Caſtellanas. Italos quoque Arabum numeros cognoviſſe ab anno ſaltem 1202. ſuadent Franc. Ant. Zaccaria, & Joannes Targioni apud Tiraboſchium (5) & Hervam (6), quoniam eæ reperiuntur in codice Magliabecchiano, cujus titulus, *Incipit liber abbaci compoſitus a Leonardo Bonacci Piſano in anno* 1202. qui Leonardus referente Andre (7) hunc abbacum didicit ab Arabis in Africa, quo a parte miſſus fuerat.

233. Qui apud Tranſactiones philoſophicas ad annum 1735. has notas ſæculis etiam decimo undecimo & duodecimo adhibitas dicunt, auſcultari jam non poſſunt, poſtquam eorum monumenta ſeu argumenta nullius momenti cenſuerunt ipſaemet Tranſactiones, & laudatus Andres (8), & poſtquam Petrus Ramus teſtatus eſt has notas primum vidiſſe in libris celebris Angli Joannis a Sacroboſco, qui Pariſiis obiit anno 1256, adeoque quatuor annis a promulgatis tabulis Alphonſinis. Jo. Fridericus Weidlerus, qui eas voluit pertinere ad ſaeculum ſextum, quia dicit obſervaſſe ſe in geometria Boetii, hujus ſaeculi auctoris tabulam pythagoricam cum notis arithmeticis, quarum figura accedit ad eam, quam habent arabicae, uſus eſt argumento, quod ad ſummum ſuadet notas aliquas arithmeticas, quae romanae non ſunt, fuiſſe in uſu tempore Boetii, non vero ſuadet has fuiſſe quae nunc arabicae appellantur, ſiquidem quae ipſi viſae ſunt his valde ſimiles, aliis apud Trevoltianos (9) prorſus diverſae apparuerunt, & alii apud citatum Andrem dicunt gratis credi codicem Boetii accedere ad ejus aetatem.

234. Huetius qui eas repetit (10) ab ipſis graecis, jam longe antiquiores eas facit. In hanc ille ſententiam venit, quia viſus eſt ſibi videre earumdem originem ab ordine, quo jacent elementa graeci alphabeti. At alii ut Schottus (11) negant ullam eſſe inter haec duo ſimilitudinem, & Jo. Nicolaus (12) ac Jo. Andres (13) alias etiam invicti ponderis rationes contra Huetium

(1) Ki. to.2 cl.4 c.4.
(2) Te. Paleogr. pag. 102.
(3) And. Orig. d. lett. to.1 c.10 pag. 230.
(4) He. Idea. to.19 n.85.
(5) Ti. Lett. Ital to.4 l. 2 c. 2 n.10.
(6) He. Idea. to.19 n.65.
(7) An. Origine to.1 c.9 pa.193.
(8) An. ibidem c.10.
(9) Tr. ann.1726. ar 15.
(10) Hu. Dem. evan. pro. 4. c.3 n.9.
(11) Sc. Techn. l.7 c.5 n.2.
(12) Ni. Sigl. vett c.16 n.2
(13) An. Orig. to.1 c.10.

Digitized by Google

Huetium adducunt, cujus opinio eſt ſingularis; Nam Scaliger, Gruterus, Kircher, Papebrochius, aliique communiter auctores tenent græcos ab arabis notas numerales accepiſſe. Adde quod ſi eas Græci habuiſſent, Romani Græcorum diſcipuli & æmuli in omni diſciplinarum genere iis antiquitus non caruiſſent. Atqui utique veteres Romani iis non caruerunt, reponent quotquot Franciſcum Ginannium ſequantur, qui eas paris antiquitatis cum notis, quæ vulgo romanæ appellantur, contendit eſſe in *diſſertatione mathematico-critica de numeralium notarum minuſcularum origine*, quæ extat in volumine quadrageſimo octavo collectionis Callogerianæ, de qua cum laude meminit Trombellius in libro *De arte codicum dignoſcendorum*. At falluntur profecto, quia certum eſt Stephano Ant. Morcello auctore locupletiſſimo (1) *latinos in titulis ſuis alias omnino quam iſtas arabicas conſtantiſſime obtuliſſe*.

235. Aliis qui pro hac Ginannii opinione in medium proferunt inſcriptiones ſequioris plerunque ævi, in quibus ſparſæ reperiuntur aliquæ hujusmodi notarum figuræ, præſertim 3, 7, 9, Hervas (2) ex optimis auctoribus monet eas non eſſe ibi notas numericas, ſed compendia syllabarum & verborum, atque illas 3, & 7 ſæpe ſignificare centuriam vel centurionem, & per illam 9 indicari terminationem vocabuli in us vel es, vel aliud ſcripturæ compendium colligendum a literis, quibus conjuncta ſit. Literæ pariter ſunt non numericæ notæ, licet his ceteroqui ſimillimæ, quæ reperiuntur in operimentis cadaverum ab Ægyptiis aromatum vi conſervatorum, ut concluſit Buttner in ſuis obſervationibus, quas de his Gottingæ anno 1771. publicavit. Idem dicendum de illis, quæ ſunt in quibusdam numis in Hiſpania erutis, & certe ante Chriſtum cuſis teſte Aldrete, qui de iis egit in libro de variis Hiſpaniæ antiquis monumentis. Idem tandem manifeſtum eſt de aliis ſimilibus, quæ ſunt in quarumdam linguarum alphabetis.

236. Excluſis hujusmodi opinionibus reſtat ut Indos eſſe harum notarum auctores dicamus ex argumentis, quæ Hervas (3) perſequitur deſumptis ab auctoritate ſcriptorum, qui circa tempora regis Alphonſi eas indicas appellarunt, & ab earumdem uſu communi apud orientales nationes. Pro Indis in hac re eſt illud etiam argumentum, quod Hervas alibi (4) obſervat, certum eſſe Arabes antiquitus uſos fuiſſe literis alphabeti ſui pro numeris ad inſtar aliarum gentium ipſis finitimarum, ſicuti jam olim affirmavit apud Nicolaum (5) Kirſtenius in ſua grammatica arabica, nec notas numerorum, quæ arabicæ dicuntur, reperiri in ullis ipſorum nummis ante finem ſæculi duodecimi. Præterea obſervo in tabula, in qua laudatus Hervas (6) oculis ſubjecit *characteres numerales* diverſarum gentium, illos Perſarum, qui ab Indis non admodum diſtant, nihil differre ab illis,

(1) Mo. Stil. inſcri. l. ſ2 p. 3 c. 9.

(2) He Idea. to. 19 n. 70.

(3) He. Idea. to. 19 n. 64.

(4) He. Idea. to. 19. n. 124.

(5) Ni. Sigl. c. 15 n. 8 & c. 26 n. 4.

(6) He. Idea. to. 19 in princ.

Digitized by Google

quibus utr nunc Arabes novi ex Kirchero (1) & aliis recentiſſimis. Atque in his manifeſte apparent hæ notæ dictæ arabicæ etſi diverſo modo collocatæ, ac nunc fit, præterquam in numero quinque, & numero 8, Quid plura? Ipſi Arabes apud Ioannem Andrem (2) ſe ab Indis eas accepiſſe fatentur.

237. Singulæ autem quæ ſunt pro decem primis numeris, & notæ ſimplices dicuntur, differunt inter ſe, ceteræ vero pro majoribus quibusvis numeris factæ ſunt ex illis inter ſe ſecundum certas leges compoſitis. Kircherus (3) ſequutus auctorem Arabem ſingulas figuras ſimplicium invenit in circulo ſecto duabus diametris ad angulum rectum poſitis. Wachterus alias citatus eas putat natas eſſe a diverſa digitorum poſitione. Nonne inquit qui pugno clauſo extollat unum digitum, format notam arabicam 1, & qui duos primos ſiniſtræ manus horizontaliter poſitæ extendit, proponit notam 2, & qui ſolo pollice elevato totum pugnum tantiſper laxat, notam 6, & ſic de reliquis. Sed cum obſervo totum alphabetum latinum ipſismet digitis exprimi, ut ipſi pueri norunt, qui hoc modo in ſcholis furtim ſe alloquuntur, diverſæ digitorum poſitiones, quæ ſimiles ſint hujusmodi notis, videntur mihi poſt illas iam vulgo receptas excogitatae.

238. Verius dici credam Indos primitus diverſos numeros per puncta deſignaſſe, quæ deinde degenerarunt in lineolas utpote magis viſibiles, quibus proceſſu temporis datæ ſunt figurae, quas nunc habent, quae ſunt quaſi conjunctio omnium lineolarum, quae primos novem numeros componebant, ad quas deduxit uſus calami magis expeditus, quando ſine interruptione decurrit. His autem poſitis fundamentis reliquos altiores numeros effectus dicam meditationis, quae certas regulas ſtabilivit ad eos deſignandos per primorum combinationem. Ipſa hujusmodi notarum figura mihi videtur quodammodo ad hanc cogitationem deducere cum qua certe non repugnat, quoniam apud alios etiam, ut Marium Bettinum (4) eamdem ex parte inveni.

ARTICULUS IIII.

De literis factis ſignis numerorum.

239. POſt inventionem artis ſcriptoriae, quae alphabetum ſupponit, literae in quibus illud conſiſtit, aſſumptae ſunt a multis gentibus pro notis arithmeticis. Atque hic ſtatim occurrunt literae latini alphabeti I. V. X. L. C. D. M. etiam nunc uſitatae, quas proinde in claſſe literarum, quae factae ſunt ſigna numerorum, commemoro. Ceterum

(1) *Ki.* Oedi. ægy. to. 2 cla. 4 c. 4 & arithmol. p. 1 c. 6.
(2) *An.* Orig. d'ogni let. to. 1 c. 10 pag. 117.
(3) *Ki.* Arithm. par. 1 c. 4.
(4) *Be.* Apiario 11. progy. 11 c. 3.

terum Hervas (1) de iis accurate differens plane demonſtrat ex antiquis etiam monumentis eas primitus non fuiſſe literas. ſed lineas ad varios angulos diſpoſitas, quae occaſionem lapſu temporis praebuerunt ad eas literas ſtabiliendas, quae tempore Auguſti communes evaſerant. Illarum poteſtas juxta ordinem quo propoſitæ ſunt, eſt unum, quinque, decem, quinquaginta, centum, quingenti, mille. Nota quingenarii eſt etiam IↃ, & milliarii CIↃ, vel CXↃ, vel ∞. De earum origine plures differuerunt, ut Priſcianus, Pierius Valerianus, Scaliger, aliique apud Kircherum (2), & Gaſparem Schottum (3), qui eorum diverſas opiniones referunt.

240. Equidem legens apud Hervam (4) primas tres literas ſignificare eosdem numeros etiam in aliarum nationum, ipſorumque Ægyptiorum arithmetica, ut conſtat ex illarum obeliſcis, monumentis omnium antiquiſſimis, non repugnabo iis, qui cum Wachtero dicant notas numerorum primæ decadis ſaltem apud romanos ortas eſſe a uumero digitorum, quibus ipſi pueri, & rudes ſolent numeros ſignificare, adeoque eſſe totidem hieroglyphica. Itaque putant I indicari ab uno digito ſupra ceteros elevato: II. a duobus: IIII. a quatuor. In V. vident figuram extenſionis omnium digitorum, quorum quatuor ſimul juncti diſtent a pollice: in X. autem apparet decuſſatio manuum ad exprimendum omnium digitorum numerum per illorum extenſionem. Sed alii intercedunt, qui dicunt literam V. pro quinario aſſumptam, quia hæc quintum locum habet inter vocales in alphabeto latino, & literam X. factam eſſe ſignum denarii, quia decima eſt ex conſonantibus in alphabeto græco; vel quod verius viderur ex more antiquo & vulgari (n. 226.) deſignandi denarium per crucem. Piget referre, quæ dicunt de origine reliquarum literarum. quas latini conſtituerunt ſigna numerorum, & habentur apud Kircherum (5), quia nihil certi in illis eſt.

241. Alia ſigna, quibus pro majoribus numeris uſi fuerunt Romani, & occurrunt in antiquis eorum monumentis videſis apud Kircherum in Arithmologia quam Romæ edidit anno 1665. (6), aut apud Joann. Nicolaum in *Siglis veterum* Lugduni Batavorum anno 1703. impreſſis (7), aut apud recentiores Morcellum (8) & Hervam ordinatim diſpoſitas & explicatas. Mos invaluit denotandi quatuor per notam V., quam præcedat I. eodemque modo quadraginta poſito X ante L.. Uno verbo nota numeri minoris poſita ante illam majoris, quæ non ſit M., ſignificat minorem detrahendum eſſe a majori. Ante M enim exprimit numerum milliariorum, ut advertit Matthæus Hoſtius (9). Barbarus non eſt hic mos, cum etiam literis florentibus eo uſi ſint Latini Morcello teſte (10), etſi antiquio-

(1) He. Idea. to. 19 n. 35.
(2) *Ki.* Arithmol. pa 1. a c. 4.
(3) Sc. Techn. l 7. c. 5.
(4) He. Idea. to. 19 a n. 36.
(5) Ki. Arithm p. 1 c. 4 & 5.
(6) Ki. p. 1 r. 5.
(7) Ni. c. 15 n. 13 & c. 31 ſub fin.
(8) Mor Stil. inſcr. l. 3 p. 1 c. 10.
(9) Ho. de numerat.
(10) Mo, Stil. l. 2 p. 3 c. 9.

Digitized by Google

tiquiores ſoliti erant ſcribere IIII. VIII. XIIII. XXXX. CCCC. Non raro etiam ultimam notam ceteris majorem faciebant, ut clarius appareret numeros ibi deſignari non meras literas, ad quem pariter finem lineam toti etiam numero aliquando ſuperinducebant.

242. Quando in antiquis auctoribus latinis numeri romani inveniuntur diſtincti in plures claſſes per puncta, ſi prima ad dextram non enunciet centenaria pertinet ad unitates, ſecunda ad centenaria, tertia ad milliaria, quarta ad centum milliaria. Itaque Budæus apud Kircherum (1) hanc numerorum ſeriem XVI. XX. DCCC. XXIX. interpretatur 1600000. 20000. 800. 29. hoc eſt 1620829. Sin autem prima claſſis ad dextram ſit de centenis, ſecunda erit de millenis, & tertia de centum millibus. Bene proinde Carolus Arbuthnot (2) hanc ſeriem LXII. LXXV. CCCC. dicit ſignificare 6275400. Ceterum numeri romani uſitati amplius non ſunt niſi in latinis inſcriptionibus & in iis, quæ quis ad normam politioris latinitatis perſcribat.

243. Hebræi longe ante Latinos literas ſui alphabeti aſſumpſerunt pro notis numerorum. Atque primas decem ſtatuerunt eſſe ſigna unitatum uſque ad denarium numerum, qui cadit in literam Jod, ſequentibus autem literis uſque ad Koph tribuerunt valorem decadis ordinatim multiplicatæ per primos unitatum numeros, ita ut Koph ſit ſignum centenarii, reliquæ quæ ſuperſunt quatuor literæ ſunt valor totidem centenariorum, quare ultima litera Tau ſignificat quater centum. Hebræi igitur diviſo in tres partes ſuo alphabeto, in prima ponunt unitates, in ſecunda decades, in tertia centenaria. Pro intermediis numeris a prima ex. gr. decade ad ſecundam, ut pro undecim duodecim & reliquis utuntur litera ejuſdem claſſis denaria vel centenaria, cui præponunt illam unitatum, quæ denunciantur eſſe ſupra decem vel centum. Quare undecim indicant per literam Iod cum prævia Aleph, & quadraginta duo per literam Mem cum prævia Beth, ita ut legas unum & decem, duo & quadraginta. Eodem modo numerum quingenteſimum, qui non habet ab illorum alphabeto exhauſto literam ſibi propriam denotant per He hoc eſt quinque cum Koph hoc eſt centum, & ſic reliquos deinceps uſque ad milleſimum.

244. Milleſimi ſignum faciunt Aleph cum duobus punctis ſuperpoſitis: reliqua ordinatim milleſima eadem Aleph cum ſubjuncta litera unitatis, quæ milleſimum multiplicat. Itaque Aleph & Beth conjuncta ſignificant mille bis ſumptum, & ſic de reliquis. Iidem alio etiam modo deſignant numerum 500., & qui ſequuutur uſque ad 900., nempe per eas figuras literarum Caph, Mem, Nun, Phe, Tſade, quas adhibent ſolum in fine ſuorum vocabulorum, quam rationem Hervas (3) credit poſt alteram fuiſſe excogitatam, Apud eumdem invenies hebraica nomina numerorum, ubi (4) illa linguarum centum ſeptuaginta quinque proponit. Quando Hebræi

(1) Ki. Arithm. par. 1 c. 5 in fine.
(2) Ar. Tabu. num. c. 3.
(3) He. Idea. to 19 n. 118.
(4) He. ibid. n. 187.

Digitized by Google

bræi incoeperint uti literis pro numeris incertum eſt. Calmet hoc non credit factum a veteribus, quia inquit (1) *nullum ejus rei indicium in Scriptura. Integrum ſcribunt non delineant numerum ſacri ſcriptores.*

245. Animadverti debet valorem literarum pro numeris apud Hebræos, quando hæ plûres ſunt, diverſum eſſe ab illo quem notæ arabicæ exprimerent; in his enim ultima ad dexteram nota pertinet ad unitates, proxima ad decades, & aliæ deinceps in decupla progreſſione, ſecus vero in hebræis numerorum notis Coptis in uſu literarum pro numeris ultra decem uſque ad viginti auctore Herva (2) conveniunt cum Hebræis ponendo unitates ante decades, ita ut ſi eas legas, dicas unum vel duo vel novem & decem: poſt numerum vero viginti ſequuntur morem græcorum, gothorum, arabum vulgo cognitum, qui decades præponit unitatibus. Æthyopes, qui copticas literas teſte Herva (3) in ſuam arithmeticam introduxerunt, etſi ex aliqua parte deformatas eosdem Coptos imitantur præponentes decades unitatibus uſque ad numerum centum: deinde vero unitates quidem ponunt ante notas numerorum centenario majorum: Sed hæ unitates non ſignificant quid addendum ſit numero majori, ſed ſignificant quoties major numerus ſumendus ſit. Itaque pro numero tercentum ſcribunt literam cópticam g, cujus valor eſt ter, & deinde literam r, quæ valet centum: pro numero mille ſcribunt jota coptum, quod valet decem, & r: pro numero 10000. ſcribunt *j* r r, ſignificantes decies ſumendum eſſe ultimum r, & decies numerum *j* r. In nominibus numeralibus plurium linguarum obſervo modo præponi, modo poſtponi majorem numerum minori. Exemplo ſit Italica, quæ a numero *diciaſette* præponit majorem minoribus, cum antea poſtponeret dicens *undici* &c. Exempla ſimilia in aliis linguis videſis apud Hervam (4).

246. Syri & Chaldæi & Iberi, qui aliter dicuntur Georgiani præcipua ex parte imitantor Hebræos in uſu literarum pro numeris. Ex grammaticis harum linguarum, & ex Herva (5) patebit, in quo hæ gentes in hac re differant ab Hebræis. Arabes etiam antequam ab Indis novas notas addiſcerent, deſignabant numeros in progreſſione decupla per literas, ut ſupra (n. 236.) adverti, ſed non ſecundum ordinem quem habent in eorum alphabeto. Nam ex. gr. quartam literam conſtituerunt ſignum numeri 8, & octavam numeri ſex. Singularum valorem videſis apud citatum Hervam. Hæc ipſa perturbatio ordinis alphabetici obſervatur apud Illyricos, & apud Coptos, qui tamen in eam incidunt poſt literam decimam ſeptimam, & pro numero 800. & 900. notas quasdam adhibent, quæ non ſunt ex ipſorum literis fortaſſe quia in his retinuerunt uſitatas a ſuis majoribus, qui cum parcius alphabetum haberent, non poterant ſine exteris notis per literas tot numeros deſignare.

247. Græ-

(1) Ca. Dict. ar. Litera.
(2) He. Idea. to. 19 n. 137.
(3) He. Idea. to. 19 n. 185.
(4) He. Idea. to. 19 a n. 188.
(5) He. Idea. to. 19 n. 121.

247. Græci literis pro numeris uti coeperunt poſt Coptos., quos ita imitati ſunt, ut cum in alphabeto Copto ſexta litera ſit So., quam non habent Græci, hujus figuram adoptaverint ad eumdem numerum exprimendum, ut cum coptis in jota haberent ſignum numeri 10., & in literis quæ ſequuntur ſigna pro viginti & triginta, aliisque deinceps uſque ad centum. Atque quia Copti pro centenario ſtatuerunt literam P, hoc eſt Rho, ut hanc pariter retinerent Græci in hac ſua arithmetica, uſi ſunt ante illam pro numero 90. litera copta, qua pariter caret græcorum alphabetum. Si Montucla noviſſet græcas notas ſex primorum numerorum, & illam numeri 90. eſſe easdem cum coptis dixiſſet (1) græcos in hac re imitatores fuiſſe coptorum & non hebræorum.

248. Reſtant in alphabeto græco poſt P ſignum numeri centum aliæ literæ, atque hæ pertinent ad totidem centenaria, adeoque omega ultima litera alphabeti græci valet 800. Pro numero qui ſequitur 900., aliam ipſi excuderunt notam. Deinde pro milleſimo & aliis deinceps repetunt alphabetum apponentes accentum vel ſupra vel infra ſingulas literas. Sic Alpha cum accentu eſt mille & Bita bis mille, & ab Iota cum ſimili accentu incipit novenarius numerus 10000, qui deſinit in Literam Lambda cum accentu, ſignum numeri 90000., & a Rho incipit novenarius 1000. millenariorum, ita ut Omega cum accentu ſignificet mille octingenties ſumptum ut diſtinctius videre eſt in citato Kirchero (2).

249. Alio etiam modo Græci per literas denotant numeros, ſed ſolum uſque ad 24:, quot habet ipſorum alphabetum, cujus unamquamque literam ſtatuerunt ſignum illius numeri, quem indicat locus, in quo ea eſt Ita celebris grammaticus Ariſtarchus qui floruit ſecundo ante Chriſtum ſæculo diſtinxit ſingulos Homeri libros tam Iliados, quam Odyſſeæ. Iidem tandem Græci certas literas majuſculas ſui alphabeti arithmeticæ applicarunt more Romanorum, quos fortaſſe imitati ſunt, niſi quis malit Romanos in hoc fuiſſe græcorum imitatores. Hæ autem literæ ſunt I, Π, Δ, H, X, M, quæ eodem ordine acceptæ ſignificant unum, quinque, decem, centum, mille, decies mille. Atque ex harum compoſitione & repetitione quemcunque in infinitum numerum exprimunt. Ita per incluſum Δ, vel H, vel X, vel M intra Π ſignificant quinquaginta, quingenties, quinquies mille, & quingenties mille.

250. Communis ſententia eſt circa harum literarum originem pro numeris, primam quidem literam I venire a linea, qua unitatem notarunt, quemadmodum per ejus repetitionem ſequentes numeri uſque ad quinarium, cujus ſignum deſumpſerunt a prima litera græci nominis Πέντε, latine quinque, & literam denarii ſignum a prima nominis Δέκα, & ſignum pro mille ab initiali nominis, Χίλια & ultimam pro decies mille a prima græci nomini Μύρια. Reſtat litera H ſignum cente-

(1) Mon. Hiſ. math. p. 1 l. 2.

(2) Ki. Arithmo. pa. 1 c. 2.

Digitized by Google

centenarii, quod dici poterit cum Kirchero (1) eſſe duplex Π unum rectum, & aliud ſupra ipſum inverſe poſitum, & compendii cauſſa omiſſum eſſe ſignum Δ in utriſque incluſum, quod qui mente ſuppleat jam legit duo quinquagenaria. Qui hoc centenarii ſignum H repetunt ab initiali græci nominis ἑκατον, vel quia habet ſpiritum aſperum, qui a latinis per H exprimitur, vel quia alicubi pro ἑκατον ſcribitur ἡκατον profecto falluntur; Nam apud græcos H non ſignificat aſpirationem, ſed e longum, & teſte citato Kirchero *ἑκατον vox in omni græcorum dialecto nunquam cum H ſcripta reperitur.* Quod Hervas (2) nolit ſequi circa originem omnium horum ſignorum communem opinionem, quia Δ non ſolum eſt initialis in voce Δέκα ſed etiam in δυο, latine duo, non eſt opportunum argumentum contra illam, quæ dumtaxat dicit initialem numeri Δέκα eſſe Δ, quod eſt veriſſimum.

251. Uſus harum literarum pro numeris reperitur in ſexcentis græcis monumentis. Quoniam autem hæ literæ unum valorem habent ſumptæ more copto. & alium ſumptæ more romano hinc factum eſt ut auctores perſæpe hæc monumenta quantum ad numeros diverſo modo interpretentur: Ita in Π aliqui vident quinque, alii vero octoginta, & in Δ hi quatuor, & illi decem, & ſic de aliis.

252. Præter prædictas numerorum notas vulgo ipſi communes, aliæ ſunt a philoſophis arithmeticis paſſim jam uſitatæ. Tales ſunt + ſignum additionis: − ſubtractionis: × , vel unicum punctum multiplicationis. Si multiplicatio unius quantitatis fit ſemel per ſe ipſam, ponitur ſupra ipſius latus dexterum numerus 2, qui ſignificat ipſius ut ajunt potentiam ſecundam, ſive quadratum: ſi bis fiat, ponitur numerus 3, ſignificans ejuſdem tertiam potentiam, ſive cubum: & ita deinceps. Duo puncta alterum ſupra alterum ſunt ſignum diviſionis, quæ etiam ſignificatur ſcripto numero dividendo ſupra diviſorem cum lineola quæ alterum ab altero ſeparat. Signum æqualitatis ſunt duæ rectæ horizontaliter una ſupra alteram poſitæ, ſive =. Hoc communiter invaluit poſt Hariotum Anglum, qui eo primum teſte Wolfio uſus fuit (3). V jacens cum acuta parte ad dextram, ſive > eſt ſignum majoris quantitatis, cum ea vero ad ſiniſtram, ſive < ſignum eſt minoris. Character numeri 8 proſtratus, ſive ∞, ſignum eſt quantitatis infinitæ. Litera S horizontaliter poſita, ſive ∽ nota eſt ſimilitudinis. √ radicis quadratæ. Et literæ alphabeti aſſumptæ ſunt ab Algebra in ſignum quantitatis, primæ quidem ut, a, b, c in ſignum quantitatis notæ, ultimæ vero ut x, y, z in ſignum earum quarum valor inquiritur. Hoc tandem ſignum ÷ inſtitutum eſt ad

O deno-

(1) Ki. Arithmol. p. 102.
(2) He. Idea. to. 19 n 58.
(3) Wo. Arith. n. 19.

denotandam proportionem arithmeticam, & ∺ ad proportionem geometricam in numeris, quorum ſeriei præponantur.

Articulus V.

De characteribus Aſtronomorum, Chymicorum, Interpretum S. Scripturæ, ponderum, aliorumque.

253. Aſtronomi pro integris vocabulis in eorum diſciplina frequentibus plura excogitarunt ſigna. Hujuſmodi ſunt, quæ Planetas ſignificant, ☉ Solem, ☽ Lunam, ☿ Mercurium, ♀ Venerem, ♂ Martem, ♃ Jovem, ♄ Saturnum: & quæ diſtinguunt duodecim Zodiaci partes, quæ juxta ordinem quo nominantur ſunt ♈ Aries, ♉ Taurus, ♊ Gemini, ♋ Cancer, ♌ Leo, ♍ Virgo, ♎ Libra, ♏ Scorpius, ♐ Arcitenens, ♑ Caper, ♒ Amphora, ♓ Piſces. Originem characterum pro ſingulis Zodiaci partibus erudite Kircherus (1) declaravit. Ipſa autem nomina harum partium ſatis clare ſignificant ea quæ horum nominum inſtitutores videbant ſingulis menſibus ſupra regionum ſuarum terras contingere. Itaque prima duo nomina ſignificant ſucceſſivam armentorum renovationem, quæ verno tempore habetur. Tertium nomen Gemini ſubſtitutum eſt antiquo nomini Haedorum, quod pariter ad greges pertinebat. Aeſtatis initium eſt cum Sol a ſua altitudine incipit oblique deſcendere, quod per cancrum denotatur, inſectum oblique ſe movens. Caloris augmentum videas in ſymbolico terribilis Leonis nomine. Collectio meſſis completa apparet in Virgine ſpicarum faſciculo ornata. Succedit Autumnus, qui ſuum curſum inchoat per æqualem horarum diſtributionem pro diei & noctis tempore, quam per libram concipias, eumque proſequitur ubique ſpargens morbos aut longos aut lethales, quos Scorpius venenato timendus telo adumbrat. Sed hoc ipſo tempore venatio fervet, cujus ſymbolum eſt Sagittarius. Succedit hyems, cujus initium eſt Solis ad ſuperiores Cæli partes aſcenſus, quem Caper ad altiores crepidines tendens ſignificat. Interea ingruunt pluviæ, quas Aquarius portendit, & tempus diſponitur omnium aptiſſimum ad piſcationem abundantem per Piſces indicatam.

254. Aſtronomorum pariter ſunt ſigna quæ denotant Planetarum aut Cometarum motum, vel ſecundum ordinem ſignorum Zodiaci, ſive in Ortum, vel contra illum ordinem, quorum primum ſignificatur, per SSS h. e. ſecundum ſignorum ſeriem, & ſecundum per CSS h. e. contra ſignorum ſeriem. Et quæ exprimunt duos Planetarum nodos, puncta ſcilicet, in quibus ipſorum orbitæ ſecant Eclipticam, quorum forma eſt inſtar

(1) Ki, Oedip. ægyp. to. 2 claſ. 7, c. 3.

ſtar urnæ anſatæ, quæ pro nodo aſcendente Boream verſus inverſe ponitur ☊, pro deſcendente vero in Auſtrum in recta ponitur poſitione ☋. Et quæ denotant quinque ſitus, quos Aſtologi in corporibus cæleſtibus maxime obſervant, & aſpectus aut radiationes appellant. Horum unus vocatur conjunctio, quando duo illorum ſunt ſub eodem puncto cæleſtis circuli ut Zodiaci, & ſignificatur per orbiculum cum linea ſuperpoſita ☌: alter dicitur oppoſitio, cum diſtant inter ſe per integrum ſemicirculum, ejuſque ſignum ſunt duo orbiculi alter ſupra alterum ☍: tertius aſpectus eſt ſextilis, cum invicem diſtant per ſextam circuli partem ut per duo zodiaci ſigna, ipſumque ſignificat ſtellula ✱; Quartus eſt quadratus, cum diſtant inter ſe per quadrantem circuli ut per tria zodiaci ſigna, & parva figura quadrata denotatur: quintus tandem dicitur trinus cum diſtant per quartam circuli partem ut per quatuor zodiaci ſigna, & exprimitur per triangulum △.

255. Chymici aſtronomicos Planetarum characteres fecerunt ſigna metallorum, uſurpantes ſignum Solis pro auro, Lunæ pro argento, Veneris pro cupro, Martis pro ferro, Jovis pro Stanno, Saturni pro plumbo, Mercurii pro *hydrargyro*. Primi harum appellationum auctores fuerunt ex illis, qui credebant metalla produci per actionem planetarum, & ſolem ſtatuebant eſſe cauſſam, quæ in omnium productionem influeret, & definite in illam auri: ſingulos vero reliquos planetas habere præcipuam partem in procreatione eorum, quæ ab ipſis nomen habent per opinionem omnino abſurdam, utpote quæ ſupponit vim planetarum penetrare terræ viſcera, in quibus metalla lapideis perſæpe ſcopulis contecta, & in magna a ſuperficie terræ diſtantia plerunque ſunt collocata, cum conſtet experientia in antris non amplius quam decem pedes profundis ſolis ipſius vim nullam eſſe.

256. Poſtquam inventum eſt novum metallum, & detectus novus Planeta, jam ſignum quod Aſtronomi pro hoc planeta ſtatuant, Chymici pro illo metallo poterunt adhibere. Novum metallum nomen Chryſargi obtinuit. Hinc juxta horum metallorum nomenclationem factum eſt diſtichon quod eorum pondus ſignificat,

Sol, Chryſargum, Hermes, Saturnus, Luna, Venus, Mars
Juppiter, hac ſerie decreſcit ponderis ordo.

Juvat hic primo novi Planetæ detectionem declarare: deinde vero aliquid de Chryſargo diſtinctius dicere, quam alibi (1) feci.

257. Itaque de novo Planeta qui octavus eſt, & ſupra Saturnum poſitus multi jam loquuntur, ut videre eſt apud Ephemerides Liter. Rom. (2), quæ etiam referunt (3) Aſtronomos Mediolanenſes in anniverſariis ſuis ephemeridibus aſtronomicis illi impoſuiſſe nomen Urani juxta paganam

(1) De Ideis n. 878 edit. 2
(2) Lt. ann. 1782 n. 46, & 1785 n 18.
(3) Eſ. ann. 1786 n 8.

Theologiam patrem Saturni. Federicus Guillelmus Hertschel natus Hannoveræ anno 1738., teſte Bode in libello circa hunc Uranum germanice ſcripto juxta laudatas Ephemerides (1) eum detexit Martio anni 1781. vel 82., ope teleſcopii Neutoniani ſeptem pedum a ſe conſtructi, qui in hoc etiam artificii genere inſignis eſt. Cum illud adhiberet in contemplandis quibusdam ſtellis fixis vidit inter ipſas unam, quæ aliquam in diametro extenſionem haberet, quæ major etiam apparebat perfectiori teleſcopio obſervata contra id, quod accidit in fixis, quæ ſemper ut puncta lucida a quovis teleſcopio repræſentantur. Vidit hoc caeleſte corpus eſſe intra zodiacum, moveri ab occidente in oriens, omni conſtanter cauda aut coma carere, & habere exiguam eccentricitatem, qui ſunt characteres diſtinguentes a cometis planetas.

258. Inſignem hanc detectionem Rex Angliae ejus Dominus remuneravit annua penſione, & Academia Londinenſis eximiis laudibus, aureoque numismate, quod conferre ſolet in præmium novi alicujus inventi. Orbita hujus planetæ oculo nudo vix conſpicui eſt fere circularis juxta Joſephum Slop de Cadenberg in Piſana Academia Aſtronomiæ profeſſorem, qui anno 1782. publici juris fecit *Novi planetæ obſervationes & theoriam*. Idem deinde teſtatus eſt Orianus in *Ephemeridibus aſtronomicis pro an. 1785. ad meridianum Mediolanenſem ſupputatis*, qui etiam ejus a Sole diſtantiam determinavit eſſe majorem illa terræ vicibus 18, vel 19. Et alii eam ſtatuunt eſſe duplam illius, quam a terra habet Saturnus.

259. Venio ad Chryſargum. Hoc nomen græcum latine idem eſt ac aurum album. Hoc metallum circa annum 1741. primum innotuit per Hiſpanos qui illud appellarunt *Platina del Pinto*, Platina quidem, quia argentum vocant *Plata*, cujus diminutivum eſt *Platina*: ex Pinto autem quia ex loco hujus nominis in America meridionali erutum fuit. Aurum album ab aliis dicitur, quia per colorem quidem diſtinguitur ab auro, vix vero per pondus & alias plures proprietates. Aurum etiam laminoſum alii appellarunt, quia lamellis conſtat. De hoc novo metallo diligens examen inſtituit Wilielmus Levvis inſertum in Tranſactiones philoſophicas (2), & a Jo. M. de Turre translatum in ſua phyſices elementa (3), in quibus ſicut etiam in Anthologia Romana (4) alii de eo ſcriptores recenſentur. His addantur Buffonius, cujus de hac re commentarium deſcripſit Abbas Rozier in tertio ſuarum obſervationum volumine Pariſiis vulgato anno 1774., de quo loquuntur Ephemerides Lit. Rom. (5): Et Gulielmus Bovvles, qui *in Introductione ad hiſtoriam naturalem Hiſpaniæ*, ſcripta hiſpanice de eo diſſertationem habuit, quam eædem Ephemerides (6) Buffonio & aliis multis præponunt: Et Theodorus Scheffer, qui de eodem egit in Actis Academiæ

(1) Ef. ann. 1785. n. 4.
(2) Tran. ann. 1754 n. 86.
(3) Tur. to. 4 n. 947.
(4) Ant. ann. 1775 n. 20.
(5) Ef. ann. 1774 n. 38.
(6) Ef. ann. 1776 n. 1.

Digitized by Google

demiæ Svecicæ, & ex his Anthologia Rom. (1): Et Comes de Sickingen ac Crell, qui multas circa illud chymicas operationes inſtituerunt ab eadem Anthologia (2) relatas.

260. Annales typographici (3) referunt Margraafium conatum fuiſſe ſuadere Chryſargum, eſſe permixtionem mercurii ferri arsenici & auri, ſed in Rom. Anthologia (4) excluditur hæc ſententia tamquam falſa. Illud funditur quidem ab igne qui in foco ſpeculi uſtorii, vel opportunæ alicujus lentis habetur, non tamen ab illo qui cetera metalla diſſolvit, niſi cum aliis quibusdam rebus commiſceatur, de quibus meminit Anthologia Rom. (5). Anonymus apud Trevoltianos (6) nos docet a pluribus jam artificibus illud tractari, idque confirmat eadem Anthologia, quæ ad annum 1786. (7) dicit non deeſſe qui ipſum reddiderint malleabile & ductile, minus tamen quam aurum: ad annum vero proximum 1787. (8) certiores nos facit ſub chymici Chavanneau manibus ipſum evadere aptum omnibus artificiis, quæ per aliud quodvis metallum fiunt: ſed qua ratione id faciat, nondum publicaſſe. Ab eadem praeterea dicitur illud ſemper inveniri in auri fodinis cum eo mixtum, & in collibus ac campis prope altiſſimos Cordellieriae Americanae montes ex ruina aliqua ipſorum enatis, & nondum conſtare an ſit aliqua ipſius fodina diverſa ab illis auri, & negligi hujus ſeparationem, quoties impendio minor ſit fructus.

261. Habent Chymici etiam pro quatuor vulgaribus elementis igne, aere, aqua, & terra. & pro ſingulis mineralibus, ſingulisque ſuis operationibus, quin etiam pro inſtrumentis frequentioris uſus ſua ſigna, quorum vidi amplum catalogum in Lexico Chymico Gulielmi Johnſonii ex editione anni 1660., & video citari characterum chymicorum interpretationem Oſwaldi Crollii (9), & Georgii Philippi Harſtorfferi (10), quibus addo Io. Nicolaum, quia has pariter tamquam *Siglas Medicorum* (11) ordinatim producit, & explicat. Per hujusmodi ſigna ſoliti erant chymici inter ſe de ſuis operationibus quas volebant eſſe arcana, communicare.

262. Alia ſpecies characterum pro integris vocabulis ſignificandis eſt illa quæ jamdiu ceſſavit interpretum Sacræ Scripturæ, qui notas quasdam ſtatuerunt propriis ſingulas nominibus appellantes, quarum aliæ ſunt literæ alphabeti græci, unde notae literatæ vocantur: aliæ vero alterius novi generis figuræ, & notæ illiteratæ dicuntur, ut per eas appoſitas ſacris verbis indicarent ſenſum in iisdem latentem. Ita crucis figura præfixa verbis alicujus prophetæ ſignificabat in iis contineri prophetiam de Chriſto, & illa anchoræ ſermonem de Evangelio, Sixtus Senenſis collegit ex Epiphanio, Stratenico:

(1) Ant. ann. 1776 n. 26.
(2) Ant. ann. 1787 n. 42.
(3) Ann. vol. 5 ann 1670. pag. 96.
(4) Ant. ann. 1781 n. 45 ar. Mineraloy.
(5) Ant. ann. 1786 n. 17.
(6) Tr. ann. 1758 ar. 56 pag. 1313.
(7) Ant. ar. 16 & 45.
(8) Ant. n. 16.
(9) Cr. Baſilic. in fin.
(10) Ha. Delic. math. to. 1 p. 14 q. 10
(11) Nl. Sigl. c. 13.

Digitized by Google

nico: Suida, & Iſidoro triginta duo ex hujuſmodi ſignis, ſingula exponens in ſua *Arte interpretandi Scripturas*, prout vidi in editione Colonienſi anni 1557., quin etiam advertit illorum uſum frequentiſſimum fuiſſe apud antiquos Veteris Teſtamenti interpretes præſertim græcos.

263. Excogitati etiam ſunt quidam characteres pro ſignificandis certis ponderibus, menſuris, & valore numorum. Morcellus aliqua ex his dedit (1) propria veterum Latinorum, quæ locum habere etiam nunc poſſunt in inſcriptionibus eorum lingua contextis: pro aliis apud antiquos uſitatis jubet adire Io. Nicolaum, qui abunde (2) loquutus eſt de iis quibus Romani & Græci utebantur. Ad horum normam colligi poterunt, quæ eorum locum jam occuparunt. Notae etiam muſicae ad hunc articulum pertinent: Sed de his ſatis jam ſupra dixi. Huc tandem ſpectant Sigla, de quibus mox dicam, & Monogrammata, quae ſunt characteres quidam ita compoſiti, ut ſin minus omnes præcipuas ſaltem alicujus nominis litteras ſub unica figura complectuntur, quibus Regum & Principum diplomata munita inveniuntur.

SECTIO V.

De characteribus ſignificationis partim certæ partim controverſæ pro integris vocabulis.

ARTICULUS I.

De Siglis profanis.

264. IN ſignorum claſſe, quam titulus hujus ſectionis enunciat, ſunt Sigla, quo nomine appellantur paucae literae ſolitariae poſitae in epiſtolis, in edictis, in aedificiis, in ſtatuis, in ſepulcris, in vexillis, in operibus cujusvis artis, & univerſim in quibusvis inſcriptionibus, quae ſignificant integra vocabula vel ſacra vel profana. Atque aliquid primo dicam de ſiglis profanis. Horum uſus eſt frequentiſſimus apud omnes politiores gentes. Romana ſigla paſſim occurrunt in omnibus regionibus, quae Romanum imperium olim componebant. Hebraea collegit Ioannes Buxtorfius ſenior in libro *De abbreviaturis Hebræorum*, quem Zanolinius linguarum Orientalium profeſſor in Academia Patavina iterum protulit in ſuo *Lexico Chaldaico - Rabbinico*, cui per quam opportune dicit Finettius (3) addidiſſet copioſum ſupplementum quod Wolfius inſeruit in ſuam *Bibliothecam hebraicam*. De Graecorum ſiglis teſtes ſunt tabulae numismatum Graeciae univerſae, quas habemus ab Huberto Goltzio, & ex

(1) Mo. Stil. inſcr. l.3 c.10 §.2
(2) Ni. Sigl. c.24.
(3) Fi. Ling. ebrai. c.11 ſe.2 n.4.

Digitized by Google

ex libro *De ſiglis veterum Graecorum*, quem Romae promulgavit anno 1758. Gregorius Placentinus, & ex alio de Notis Graecorum Eduardi Corſinii, qui Matthaeo Iacutio judice (1) viſus eſt rem hanc exhauſiſſe.

265. Noſtra hac aetate ipſae privatae domus ſigla imprimunt in ſingulis ferme domeſticis inſtrumentis ut facilius revocentur, ſi forte diſtrahantur. Olim propter eamdem cauſſam ſervorum fronti ſolere inuri ſigna dominorum ſuorum habemus a Varrone (2) Seneca (3) & Plinio (4), ſicuti fit equorum boumque lateribus ex antiqua conſuetudine; de equis enim eſt illud Anacreontis, *Equi ſolent inuſtum coxis habere ſignum*, & de bobus illud Virgilii (5). *Continuoque notas & nomina gentis inurunt*. Sigla quibus recentiores alicujus nominis pictores & caelatores uſi fuerunt, copioſe exhibentur cum ſuis interpretationibus a Lexico ſaepius edito Pictorum Peregrini Ant. Orlandi Carmelitae ſaltem ex editione, quam ipſemet protulit Bononiae anno 1719. poſt primam anni 1704. De hoc autem auctore videſis *Bibliothecam Carmelitanam* Cosmae Villiers editam anno 1752. Aliqui etiam Typographi appoſuerunt ſuis operibus ſigla. De illis dumtaxat meminero, quae habentur in fine celebris editionis factae Sublaci (n. 192.) librorum de Civitate Dei S. Auguſtini, & ſic habent GOD AL, quorum ſenſus juxta Lairem (6) eſt *Gratias Omnipotenti Deo A Laudenbachio*. Nam aliunde ſcitur Ioannem a Laudenbach fuiſſe adminiſtrum typographorum Sublacenſium Sweynheym & Pannartz, qui Romam proficiſcentes curam illi demandarunt terminandi hanc editionem. Qui hac notitia caruerunt, mirum non eſt illorum ſenſum non potuiſſe determinare.

266. Siglis aequivalent ſtemmata, quae familiae etiam plebejae noſtra aetate ſibi aſſumunt. Romae quidem quisque videat in atrio templi quod olitores, & ſalſamentarii in honorem Deiparae beatiſſimae magnifice conſtruxerunt, ornarunt, & ditarunt poſita ſtemmata ſexprimorum ex illis, ſub quorum praefectura facta fuerunt jubente vel annuente Pontifice nova aliqua decreta in poſterum ſervanda circa reddituum uſum & adminiſtrationem. Stemmata autem primitus propria fuerunt familiis, quae in civitatem alicujus conſpicuae Reipublicae receptae eſſent, quorum uſus incoepit circa dimidium ſaeculi undecimi ſub Henrico I. Imperatore, qui ludicras equitum pugnas ſtudioſe promovit, quas armati clypeis ad arbitrium figuratis gerebant. Sed intelligentia ſiglorum atque ſignorum, quae ad privatas familias pertinent eos ſolum juvat, qui de ipſis ſunt: ſecus vero ſe res habet de illis, quae a pluribus vel omnibus in aliqua regione aliquando ſaltem uſitata ſunt. Quare harum cognitionem quis negligat? Hujusmodi ſunt quae quotquot liberaliter fuerint educati, a pueris norunt Ciceronem cum aliis latinis adhibuiſſe in epiſtolis, quibus initium dabant per ſalutationem

eaun-

(1) Ia. Syntagm. c. 5.
(2) Va. de Rep. l. 1.
(3) Se. de benef. l. 4 c. 37.
(4) Pl. Hiſt. l. 18 c. 3.
(5) Vi. Georg. l. 3.
(6) La. Spec. c. 3. pag 69.

Digitized by Google

enunciatam ſolis literis S. D. *Salutem dicit*, easque claudebant per augurium bonæ valetudinis ſignificatum per V. vel B. V. hoc eſt *Vale*, aut *Bene Vale*.

267. Huc pertinent A. C., & N. L. literæ in tabellis deſcriptæ, quas judices in Rep. Romana apud ſe habebant, dum cauſſas de reis cognoſcebant, quarum prima ſignificabat Abſolvo, ſecunda Condemno, tertia Non Liquet, atque ex his unam prout quisque cenſebat, injiciebant in urnam ad eas colligendas præparatam, ut novimus ex multis, qui de his egerunt apud Io. Nicolaum (1). Omnis generis ſigla uſitata a veteribus Latinis collegit & explicavit citatus Nicolaus Tubingenſis in *Tractatu de Siglis veterum* impreſſo Lugduni Batavorum anno 1703., & etiam Adamus Fridericus Kirschius ad calcem ſuæ *Cornucopiæ* ex editione anni 1741. Ratisbonæ. Quæ in his frequentius occurrunt habemus a Nieupoort in fine ſui libri *Rituum Romanorum explicatio*. Franciſcus etiam Ant. Zaccaria in *Inſtitutione antiquo-lapidaria* aliam dedit (2) collectionem & explicationem eorum, quæ in lapidibus inveniuntur, & in lucem emittens italice anno 1772. *Inſtitutionem antiquo-nummariam* protulit iterum cum opportunis animadverſionibus catalogum Froelichii de ſiglis numorum. Recentiſſime Morcellus ea propoſuit (3), *quorum veram certamque ſignificationem tenemus* in quibusvis inſcriptionibus ſive ſacris, ſive hiſtoricis, ſive honorariis.

268. Hæc certitudo naſcitur ex iis cujusvis temporis monumentis, in quibus ſine ulla contractione tota diſtinctim leguntur, quæ per paucas vel per primas ſolum vocabulorum literas plerunque indicantur. Ita Senatus Populusque Romanus rotunde ex integro inſculptus proſtat in epiſtilio templi Concordiæ, quod adhuc extat cum octo columnis ad radices Capitolii, & in arcu Tito Imperatori erecto, & in baſi columnæ Trajani, omiſſis ſiglis ubique cognitis S. P. Q. R. quæ vidi in atrio Coenobii Capitolini Fratrum Minorum pie ſic expoſita Salva Populum Quem Redemiſti. Ita etiam hæc D. N. M. Q. E. ſine dubio ſignificant Devotus vel Devoti. Numini. Majeſtati. Que. Ejus, quæ explicate habentur in inscriptione, quæ Romæ legitur in pariete viæ ad radices Quirinalis prope ædes Nervæ, & in alia apud Terreron (4) legitur Devotiſſimi. Numini. Majeſtati. Que. Ejus.

269. Quare errant qui putant Latinas inſcriptiones, quæ nunc fiant, poſtulare ſigla, ita ut ſine his inornatæ ſaltem dicendæ ſint, & a veterum uſu recedentes. Immo contra iſtos ſic ſentientes pene iraſcitur Ioannes Frain de Tremblay Andegavenſis, nepos vel fortaſſe filius ſororis celebris Ægidii Menagii, in docto tractatu *de linguis* gallice ſcripto, qui poſt primam editionem anni 1700. aliam habuit quam præ oculis habeo Amſtelodami anni 1719. Ignotus fuit hic tractatus Ladvocato, quoniam de eo non

(1) Ni. Sig. l. c. 11.
(2) Za. l. 3 c. 4.
(3) Mo. Stil. Inſcr. l. 3 c. 9.
(4) Te. Paleogr. pag. 131.

non meminit alia ceteroqui ejus opera commemorans, ubi de illo loquitur in nova ſui dictionarii editione Pariſiis facta anno 1764., certiores nos faciens ipſum unum fuiſſe ex primis triginta membris regiæ Academiæ Andegavenſis anno 1685. erectæ, & defunctum anno 1724. qui ejus vitæ erat octogeſimus quartus. Articulus de hoc Frain eſt unus ex multis qui deſiderantur ut ſupra (n. 117.) adverti in Veneta italica editione licet facta anno 1774. Uſus autem ſiglorum in inſcriptionibus Fraino diſplicet quia oppoſitus fini propter quem ponuntur ſcilicet ut cuivis etiam viatori quovis tempore innoteſcat, quod in illis ſcribitur, quandoquidem ex multis, qui eas legant, quæ ſigla habent, profecto plusquam pauci ſunt, qui ea prorſus intelligant, & ipſis antiquariis aliquando opus erit diligenti conſideratione, ut eorum ſenſum determinent, quæ eumdem conſtanter non habent, ut accidit in his P. I. S., quæ modo ſignificant *Pius In Suos*, modo *Ponendum Juſſit Sibi*, modo *Poſteris Item Suis*, modo *Publica Impenſa Sepultus*.

270. Equidem non dubito laudabile eſſe abſtinere a ſiglis, quae ſunt vel minus nota, vel æquivoca, vel omnino nova. Hæc enim videntur poni ad torturam ingenii, quam quis velit ſuſtinere, atque cum poſſint plures interpretationes ſuſcipere, nulla erit certa, ſed omnes probabiles, quæ opportunis conjecturis innitantur. Exemplum eſto in tabellis, quas in petitione conſulatus Scauri & Rutilii Cicero narrat per populum diſſeminatas cum his literis A. F. P. R., cumque illas Scaurus diceret ſignificare (1) *Actum Fide Publii Rutilii: Rutilius autem, Ante Factum Poſt Relatum*, C. *Caninius exclamavit neutrum illis literis declarari, ſed Æmilius Fecit, Plectitur Rutilius*.

271. In vita Æſopi aliud habetur ſimile exemplum in trina interpretatione diverſa, quam dicitur Æſopus dediſſe ſeptem literis græcis, A. B. Δ. O. E. Θ. X., quæ repertæ fuerunt inſculptæ ſeparatim in columna marmorea inter rudera jacente; Primo itaque illas ſic hero ſuo *X*antho, eſt interpretatus, Ἀποβὰς Βήματα Δ Ὀρύξας Εὑρήσεις Θησαυρὸν Χρυσίȣ, h. e. deſcendens gradus quatuor, fodiens invenies theſaurum auri, in qua explicatione videas literam Δ ſumptam pro nota numeri quemadmodum & Latini fecerunt: Sic V ſumitur pro quinque in his D. P. M. V. hoc eſt dies plus minus quinque, & *X* pro decem in his M. I. F. P. *X*., h. e. Monumentum in fronte pedes decem. Cum *X*anthus facta effoſſione potitus theſauro, nihil ex eo offerret Æſopo, hic herum monuit in iisdem literis hanc etiam ſignificationem contineri Ἀνελόμενοι Βαδίσαντες Διέλεσθε, Ὃν Εὕρετε Θησαυρὸν Χρυσίȣ, h. e. qui auferetis, diſcendentes dividite quem inveniſtis theſaurum auri. At cum ne hac quidem via partem ullam obtinuiſſet Æſopus, tunc hero ait, ſi obſurdeſcis iis,

(1) Ci. de Orat. l. 2 n. 280.

quæ ultimo audiſti mandari per has literas , cogeris exequi , quod tandem in iisdem prædicatur , Ἀποδος Βασιλεῖ Διονυσίῳ Ὃν Εὗρες Θησαυρὸν Χρυσίν , h. e. redde regi Dionyſio quem inveniſti theſaurum auri .

272. Prudens itaque erit , qui ſigla indefinitæ interpretationis negligat . Certe Juſtinianus laudatur , qui poena , quam reis falſi leges imponunt , obnoxios ſancivit eos , qui in cauſſis pertractandis (1) *ſignis in ſcriptura uterentur , quæ ſigna ſinglas vocant* . Singlas tam græce quam latine lego in Codice repetitæ prælectionis ex editione Vignonii anni 1580. cum interpretationibus celebris Iulii Pacii . In veterum dumtaxat ſiglis omnino novis & ſingularibus , quæ aliquando occurrant , Antiquarii cum laude inquirent ſenſum . Hoc enim quaſi obſequium eorum antiquitas expoſcit , quod poteſt etiam vel hiſtoriam illuſtrare , vel intelligentiam aperire aliorum , quæ in poſterum eruantur . Itaque hæc E. P. E. quæ in quodam ſatis raro Domitiani numo habentur , cum Cl. Thomas Gabrini , cui plurium debeo propter honorificum ſuffragium , quod meis opellis conceſſit , interpretatus fuerit *Ex poteſtate Exercitus* ſcilicet creatus Cæſar quoniam Cæſar ibi ſolum inſcribitur , placuit ſummopere eruditis hæc explicatio , quia optime deducta ex obſervatis ſingulis numi attributis , illiusque temporis hiſtoria , ut ipſe declaravit per literas inſertas in Novellas Literarias Florentinas (2) quas qui legat ſtatim aliam interpretationem *Electo Prætori Exercitus* ab alio propoſitam repudiabit , quia ex iisdem apparet præturam tempore quo hic numus excuſus fuit nondum fuiſſe collatam Domitiano .

273. Minus antiqua in ſiglis eſt litera D , quæ Dominum ſignificat , atque quia poſtquam doctoris nomen evaſit nota honoris collata ab Academiis ſuis alumnis , ſola D poterat ſignificare Doctorem , ad effugiendum æquivocum conjungitur cum N : & ſcribitur DN , vel DOM. Alii viderint , an hinc originem habeat Don præpoſitus nomini nobilium primi ordinis , monachorum , & presbyterorum . Sigla etiam ſunt , quæ habentur in Waltheri *Lexico diplomatico abbreviationis ſyllabarum & vocum in diplomatibus & codicibus a ſæculo VIII. ad XVI.* Gottfriedus Leonardus Bandis jam antea ſimile opus dederat *Monogrammatum Imperatorum ac Regum Germanicorum a Carolo M. usque ad exceſſum Conradi III. analyſis* . De multis aliis ejusdem generis monogrammatis extat abundans collectio apud Mabillonium , Baringium , aliosque de re diplomatica agentes .

A Re-

(1) Cod. l. 1 ti. 17 de veteri jure.

(2) No. ann. 1769. n. 25.

Digitized by Google

ARTICULUS II.

De ſiglis ſacris.

274. EXemplum de hujusmodi ſiglis antiquiſſimum habemus ab Hebræis juxta Calmet (1) & pleroſque Sacræ Scripturæ interpretes in his quatuor literis M. C. B. I., quae ſunt initiales horum hebraicorum verborum Mi Camoca Be-elohim Jehova, hoc eſt Quis Similis in Diis Domino, ex quibus factum creditur nomen Machabaeorum, quia horum aetate ſigna in bello gerebant cum hujusmodi ſiglis.

275. Inter ſigla ab ipſis primis aerae Chriſtianae temporibus habet locum Venerabile nomen Jeſus, expreſſum a Graecis per ſolas literas primam & ultimam, quarum prima eamdem figuram habet tam in majori, quam in minori ipſius forma: at ultima in minori eſt eadem cum latina, non vero in majori. Huc autem nomen non eſt ex ſua origine græcum, ut videntur exiſtimaſſe SS. Cyrillus Hieroſolimitanus (2), & Baſilius (3) qui ipſum deducunt a verbo ἰάομαι, medeor mutato in ejus futuro ἰάσα a in η & dicunt ſignificare medicum: ſed eſt nomen hebraicum ſignificans Salvatorem (4) *a verbo jascha*, ut ait Salmeron, *quod eſt ſalvavit* juxta etymologiam, quae in evangelio legitur (5) *vocabis Jeſum; Ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum a peccatis eorum*. Quare optimo jure jam olim S. Irenaeus natione graecus, & inter graecos ſcriptores a S. Hieronymo apud Bellarminum (6) numeratus, etſi latini ſunt ipſius libri ſuperſtites reprehendit (7) Valentinianos, qui Jeſum pro græco nomine habent.

276. Græcos imitati ſunt aliqui ex latinis antiquioribus, qui pariter ſigla hujus ſancti nominis voluerunt eſſe ſolas quidem literas I & S, ſed cum interpoſita cruce. At aliis placuit tres primas literas hujus nominis ad idem munus deſumere ab alphabeto graeco vel majusculas I H S, vel minusculas ιης, cum ſuperpoſita lineola in ſignum contracti nominis. Hæc reperiuntur in latinis manuſcriptis. Kircherus (8) eadem ſigla invenit etiam in ſcriptis coptis, in quibus tamen ultima litera eſt C, quæ etiam in alphabeto græco, ut notum eſt, eumdem valorem habet ac S. Ex his ſiglis derivatae ſunt imagines nominis Jeſu pervulgatae apud catholicos, quibus ſolet jam ſubjici figura trium clavorum, qui in ſola ipſorum parte acuta inter ſe conjunguntur ad clariorem ſignificationem. Quisque etiam videat Romae in templo quod Jeſus nomen habet, ſuperadditam tribus clavis figuram cordis in argenteo oſtiolo aediculae erectae ſupra aram maximam, in

P 2

(1) Ca. Dict. ar. Machabai.
(2) Cy. Cathe. 10.
(3) Ba. Aſcet.
(4) Sa. de infan. Chr. to. 3.
(5) Matt. c.1 v.21.
(6) Be. Scrip. Eccle.
(7) Ir. l 2. c.40.
(8) Ki. Prodr. copt. c.6.

in qua Venerabile Sacramentum aſſervatur, quod noſtra aetate certe fa-ctum non eſt, ſed elapſo fortaſſe ſaeculo utique ad exprimendum divinum in homines amorem ab J. Chriſto demonſtratum in inſtitutione Euchariſtiae, quoniam ſicuti cor eſt organum quo anima pro ſtatu ſuae unionis cum corpore indiget ad actus ſui appetitus, in quibus eſt amor, ita idem eſt obvium amoris ſymbolum, & propter hanc rationem hæc corporis J. Chriſti pars jure facta eſt objectum illius cultus, quem ſummus Pontifex Clemens XIII. 6. Februarii anni 1765. approbavit, jam antea *per omnes fere catholici orbis partes faventibus earum Epiſcopis propagatum*, ut ait S. Rituum Congregatio in voto eidem Pontifici in hac cauſa exhibito 26. Januarii ejusdem anni, idemque promovit concedens Miſſam & Officium ipſi propria. Eadem cordis effigies una cum clavis ſub hoc Jeſus nomiue habetur in anaglyphis, quibus ante tempus eorum, qui nunc ſunt ſenes, ornatæ fuerunt feneſtrae ejus loci, qui ſub ejusdem templi ſacrario ſacer eſt Nativitati B. Virginis, quo mercatores conveniunt ad feſtos dies in ſanctis exercitiis tranſigendos.

277. Sigla hujns Sancti nominis nunc uſitata auctorem habuerunt S. Bernardinum Senenſem, qui Aquilae obiit anno 1477. aetatis ſuae circiter 64. Ille enim primus fuit, qui hoc ſignum extulit, ejusque cultum ſtudioſiſſime propagavit Florentiae primum, & in multis deinde Italiae civitatibus, ipſaque Urbe, in qua Vadingo referente (1) ſuperatis feliciter opera S. Joannis a Capiſtrano, qui ad hunc finem Romam venit, graviſſimis contradictionibus apud Pontificem Martinum V. delatis a multis, qui hunc novum cultum etiam per libellos ubique ſparſos impugnabant & condemnabant, inter quos fuit ipſi coaevus Poggius Florentinus apud Tiraboſchium (2), juſſu tandem ejusdem Pontificis ſacra pompa hoc ſignum per publicas vias circumductum fnit in tela expreſſum, quod aliqui volunt inquit Caſimirus Romanus (3) eſſe illud quod proſtat affixum parieti prope portam principem templi capitolini Fratrum Minorum de Urbe, ubi etiam in cornu evangelii arae maximae erecta conſpicitur S. Bernardini ſtatua, in cujus baſi legitur *figuræ SS. nominis Jeſu primus inventor*, & ex altera parte illa S. Joannis a Capiſtrano in qua dicitur *SS. nominis Jeſu inclitus propugnator*. In hac ipſa ara quotannis die 13. Januarii hora veſperi exponitur tabula, in qua hoc SS. nomen depictum eſt eo modo, quo S. Bernardinus uſus fuit, quoniam Clemens VIII. anno 1530. iisdem Fratribus conaeſſit ejus feſtum celebrare die Ianuarii 14., qua contigit prædicta ſupplicationis pompa, quem morem ad hanc diem retinet teſte Flaminio Annibali (4) univerſus S. Franciſci ordo praeter Conventuales, qui cum Romana Eccleſia illud non multis ab hinc annis in ſecunda poſt Epiphaniam Dominica ſtatuerunt.

278. Primas duas literas graecas majuſculas hujus ſacri ſigni retinuerunt

(1) Va. to. ro. ad ann. 1427.
(2) Ti. Lett. ital. to 6 l. 3 c. 6 n. 4.
(3) Ca Chieſa d'Araceli Roma 1736
(4) An. Manuale. c. 12.

ſunt latini antigrapharii, ſed alii deinde poſt inventos parvos characteres commutarunt in ihs, in quo palam fecerunt ſe literam H credidiſſe latinam notam adſpirationis, qualis non eſt ſaltem in hoc ſigno, quandoquidem auctore Giraudeau (1) adſpiratio etiam a græcis per H aliquando expreſſa reperitur. In hoc igitur ſigno græca litera eſt H, quæ valet E longioris pronunciationis, ejusque minor forma non eſt h ſed eſt η, in cujus formatione videas majuſculæ imitationem. Cum his errant quotquot eas literas interpretantur *Jeſus hominum ſalvator*, quo ipſæ modo lectæ jam dici nequeunt repræſentare nomen Jeſus, ſed ejus etymologiam, quam Chriſtiani plenius denotant per ſigla ι. Χ θ. υ. ς. hoc eſt Ιησυς Χριστος Θεου Υιος Σωτηρ, *Jesus Chriſtus Dei Filius Salvator*, quæ celeberrima ſunt, quippe ex iis nata eſt appellatio piſcis, quam majores noſtri ex teſtimonio Tertulliani & Auguſtini apud Maldonatum (2) Chriſto J. tribuerunt, quia ſimul junctæ nomen græcum ιΧθυς piſcis componunt. Bene autem piſcis factus deinde eſt hieroglyphicum ſignificans chriſtianum tum propter ipſius fidem in Chriſtum, tum propter parabolam J. Chriſti qui Evangelii prædicationem comparavit (3) *ſagenæ ex omni genere piſcium congreganti*.

279. Loquenti mihi de Sancto Jeſus nomine per ſigla expreſſo in mentem venit Labarum, militare inſigne celeberrimum, poſtquam uſurpatum fuit a Coſtantino M. De cujus nominis etymologia erudite diſſerit Dominicus Magri (4). In eo nomen Chriſti viſebatur deſignatum per primas literas *X* & *P* alteram alteri ſuperpoſitam, quam figuram vulgo Monogramma Chriſti appellatum, paſſim deinde veteres Chriſtiani uſurparunt tamquam ſuæ religionis teſſeram, quemadmodum teſtantur multa diverſi generis monumenta, & præſertim epitaphia, quæ abundanter referunt Antonius Boſius in Roma ſubterranea, & italicum Specimen exteræ literaturæ (5), in quibus aliqua ſunt etiam temporis ipſo Coſtantino longe anterioris, eorumque copioſam ſegetem jam collegerat Matthæus Jacutius (6), ſed omnia propria ſolis chriſtianorum temporibus & uſibus. Erant enim primævi Chriſtiani pleni fiducia impetrandi in nomine Jeſus quæcunque opus haberent & vellent, memores ejus amantiſſimæ invitationis & promiſſionis (7) *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos*, quas ſæpius apud Joannem renovavit & amplificavit dicens (8) *Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam*.

280. Quare audiendus non eſt Jacobus Basnages mortuus anno 1723, qui (9) contendit hanc figuram fuiſſe ante Coſtantinum Paganiſmi notam per

(1) Gi. Inſtit. græ. l. 1 c. 5.
(2) Ma. in Matt c 4 v. 19 & in Ezech. c. 47. v. 5.
(3) Mat c. 13 v. 47.
(4) Ma. Vocab. eccl. an. Labarum.
(5) Saggio. to. 1 a. 30 & 31.
(6) Ja. Syntag. c. 5 pag 96.
(7) Matt. c 11 v. 28
(8) Jo. c. 14 v 13 & 14 & c. 15 v. 16 & c. 16 v. 23
(9) Ba. Hiſt. judai. edit. a

Digitized by Google

per inſignem hallucinationem , ut luculenter jam demonſtravit laudatus Jacutius , ſicuti Menckenius (1) ſimili cenſura perſtrinxit Licetum , qui pariter eamdem notam ad gentilium ſtemmata cenſuit revocandam , niſi circa ejus latera ſint A & Ω , quæ appellant ad illud revelatum Apoſtolo Joanni (2) *Ego ſum a & ω principium & finis , dicit Dominus Deus , qui eſt , & qui erat & qui venturus eſt* . Hæ literæ cum interpoſito monogrammate Chriſti inveniuntur uſitatæ etiam ante exortam Arianam hæreſim teſte Antonio Lupi (3) qui hoc modo convellit opinionem *eruditi cujusdam ſcriptoris , qui putavit eas non conſueviſſe ante invectam ab Ario nefariam hæreſim appingi Chriſti monogrammati* , & illud dumtaxat vult dici veriſſime, eas crebrius poſt Arianum dogma fuiſſe a Chriſtianis in ſuis monumentis uſurpatas . Etiam Jacutius deinde (4) prædictum errorem advertit nominatim in Laurentii Ramirez notis ad Luitprandi chronicon . Eas literas cum Sancto monogrammate quisque jam videat in pluribus ſepulchralibus elogiis hac noſtra ætate Romæ poſitis , quæ locum occuparunt , quem olim in iisdem habebant D. O. M. Finem imponam huic articulo repetendo hæc vulgo jam cognita ſacra ſigla A. M. D. G. hoc eſt Ad Majorem Dei Gloriam , quam S. Ignatius Lojola volebat omnes præ oculis perpetuo haberent ad optimam quarumvis operationum directionem .

ARTICULUS III.

De Notis compendiariis .

281. SPecies quædam ſiglorum ſunt characteres, quos compendiarios appello , proprios ſcribarum , qui ut pares eſſent deſcribendis quæ quis etiam pro concione diceret , excogitarunt quasdam notas , per quas non ſolum ſingula verba , ſed frequentiores etiam verborum colligationes expoſuerunt , qui proinde a Latinis appellati fuerunt Notarii & etiam Exceptores , a Græcis autem Tachygraphi h. e. celeres ſcriptores , & Semiographi h. e. per ſigna ſcribentes . Ennius inquit Card. Pallavicinus (5) ex Petro Diacono compendiariam hanc ſcribendi viam primus invenit pro vocabulis centum ſupra mille . Sed huic Petro anterior duobus ferme ſæculis Euſebius Cæſarienſis in Chronico apud Tiraboſchium (6) inventam dixit a Tullio Tirone Ciceronis liberto . Utrumque autem quem placeat ſequi intelligas de inventoribus latinis ; Nam Juſtus Lipſius in epiſtola ad Belgas (7) eam a græcis fuiſſe jam olim inventam , & nominatim a Xenophonte contendit. Atque plerique jam qui græcas grammaticas ſcribunt ,

(1) Me. Diatrib. de Monogr. c. 1 n 5
(2) Apo. c. 1 v. 8
(3) Lu. Epitaph §. 4 pag. 142.
(4) Ja. Synt. c. 5 pag. 90
(5) Pa. dello ſtile c. 18 n. 9
(6) Ti. Stor. lett. to. 1 pa 3 l. 3 c. 2 n. 29.
(7) Li. Centur. 1 Epi. 27 ad Leſſium.

Digitized by Google

bunt, ſolent poſt ipſum alphabetum proponere tabulam notarum frequentiorum apud græcos, quas nexus vocant cum ipſorum explicatione.

282. Hanc artem promoverunt Aquila Mæcenatis libertus, & Perſannius Philargyrus, ita ut ætate Senecæ junioris, qui de illo meminit (1) harum notarum numerus pervenerit ad quinque millia. Quovis deinceps tempore inveniuntur, qui hanc artem excoluerunt. Etenim a M. Manilio, quem male Gaspar Gevarzius a ſæculo aureo ad illud Theodoſii deprimit, ut poſt alios oſtendit Tiraboſchius (2) habemus, quod (3)

Scriptor erit felix, cui litera verbum eſt.
Quique notis linguam ſuperet, curſumque loquentis.
Excipiens longas nova per compendia voces.

Per has notas dixit deinde Seneca (4) *quamvis citata excipitur oratio, & celeritatem linguæ manus ſequitur*. Martialis de quodam ait (5).

Currant verba licet manus eſt velocior illis.
Nondum lingua, ſuum dextra peregit opus.

Auſonius notarium ſuum ſic laudat, *Vix dictum jam ceris tenes, tu me loquentem prævenis*: & S. Hieronymus apud Dominicum Magri (6) loquitur de iisdem notis, quas vocat furta verborum.

283. In Eccleſia romana uſque a tempore S. Fabiani, qui fuit ſummus Pontifex ab anno 233. ad annum 251. mentio fit de notariis eccleſiaſticis ut oſtendit Franc. Antonius Zaccaria in italica de his diſſertatione, tamquam de dignitate quadam, cujus munus erat geſta martyrum colligere. Hoc fortaſſe ipſi nomen datum, quia per notas ſcribebant interrogationes, quas in cauſſis martyrum audiebant fieri a paganis magiſtratibus una cum reſponſis, quæ a ſanctis reddebantur. Confirmat hanc ſive opinionem ſive conjecturam quod lego apud Magrium (7) hujusmodi hominum collegium appellatum fuiſſe *Scholam notariorum*; Schola enim dicitur de his, quæ pertinent ad artem. Poſſidius in vita S. Auguſtini (8) teſtatur ejus conciones tam avide auditas ut multi adeſſent conducti ad eas per notas excipiendas ne perirent. In conventu Carthaginenſi anni 411. ad tollendum ſchisma Donatiſtarum celebrato, ea quæ ab Epiſcopis utriusque partis dicebantur in controverſiis, de quibus agebatur, excipiebantur notis ab hominibus ad hoc munus electis referente Fleurio (9), quibus aſſiſtebant Epiſcopi ex utraque parte deſtinati, ut fideliter omnia per notas ſcriberentur, quæ deinde ab illis liberabantur die proxima, qua proinde conventus vacabat. De S. Epiphanio Epiſcopo Ticinenſi, qui obiit anno 496. ab eodem Fleurio habemus (10) ipſum de his notis peritum ſub deceſſore ſuo S. Criſpino munus notarii exercuiſſe.

284. Tri-

(1) Sen. epi 90.
(2) Ti. Stor. lett. t. 1 p. 3. l. 3. c. 11 n. 45
(3) Man. Aſtron. l. 4.
(4) Se. ep 90.
(5) Ma. l. 14. api. 119.
(6) Ma. Vocab. Eccle. ar. Signum.
(7) Ma. Vocab. art. Notarius.
(8) Po. c. 7
(9) Fl Hiſt. l. 23
(10) Fl. Hiſt. l. 30 n. 33.

284. Trithemius meminit de Pſalterio Davidis, aliiſque libris per notas ſcriptis, quos ipſe vidit. In vita Card. Petri Bembi legimus interpretatum ab eo feliciter fuiſſe antiquiſſimum librum notis compendiariis exaratum ex Dacia miſſum ad Romanum Pontificem Julium II. Quæ extant typis impreſſæ conciones Hieronymi Savonarolæ oratoris ſuo tempore celeberrimi, permultæ teſte Tiraboſchio (1) non ſunt quales ipſe ſcripſerit, ſed quales habuit quæ notis exceptæ fuerunt.

285. Auctor diſputationis *de diſcidlina arcani*, hoc eſt de occultatione myſteriorum Fidei a primævis Chriſtianis ſtudioſe ſervata, quæ habetur ad calcem libri *Exercitationes liturgicæ* Emmanuelis de Azevedo, exiſtimat hoc modo per notarios ad nos perveniſſe, quam in libris SS. Patrum legimus apertam de illis doctrinam qualis eſt in Catecheſibus S. Cyrilli Hieroſolymitani. Patres enim perquam ſæpe ſignificarunt hæc ſcriptis non eſſe mandanda. Itaque in eodem S. Cyrillo hæc legimus (2) *Symbolum meminiſſe vos volo, & apud vos ipſos omni ſtudio recitare, non chartis mandantes. Cavete ne catechumenorum quiſquam, quæ vobis tradita ſunt exaudiat*. Et iterum, *non declaramus gentili myſteria, neque catechumenis de his palam loquimur, ſed multa tecte dicimus, ut qui norunt fideles intelligant, qui vero neſciunt non lædantur*. Mitto alia quæ in ipſa præfatione ad ſuas catecheſes in hanc rem ſimiliter dicit. Tempore etiam S. Auguſtini diſciplina arcani in Africa vigebat; ait enim S. Doctor (3) *Si dixerimus catechumeno, credis in Chriſtum, respondet credo, & ſignat ſe cruce Chriſti. Interrogemus eum, manducas carnem filii homini, & bibis ſanguinem filii hominis, neſcit quid dicimus*. Notariorum itaque induſtria jure creduntur extare, quæ Patres dicebant Fidelibus circa ſymbolum, ſacrificium Miſſæ, aliaque Sacramenta.

286. Inter rationes igitur Patrum, dum ſacra religionis chriſtianæ volebant ut fideles docerentur viva dumtaxat voce non ſcriptis, una erat, quia ſi forte ſcripta inciderent in manus paganorum & catechumenorum, eos læſiſſent potius quam juvaſſent, cum non poſſent eorum intelligentiam habere quam affert baptiſmi ſacramentum, cujus capax non eſt, qui aliquo modo ſuam in J. Chriſtum fidem non profiteatur, Ex hac diſciplina arcani fuit fabula apud Paganos referente Minutio Felice pervulgata de chriſtianis, qui in ſuis conventibus puerum occiderent, & panem in ejus ſanguine infuſum comederent, in qua apparet illorum ſcandalum deſumptum ab aliqua notitia de Sacramento corporis & ſanguinis J. Chriſti quo Chriſtiani veſcimur. Ipſa interea Evangelia quæ hoc Sacramentum vocant fractionem panis, quoddam præbent exemplum eorum, quæ non clare ab ipſo eccleſiæ exordio dicebantur. Atque adhuc divinum hoc Sacramentum in tota Eccleſia tecte dicitur euchariſtia vel communio a Latinis, ſynaxis a Græcis, vel eulogia myſtica ut loquitur S. Cyrillus Alexandrinus,

(1) Ti. Stor. to. 6 p. 2 c. 7 n. 13
(2) Cy. Catech. 5
(3) Au. in Ioa. tr. 11

nus, & myſteria appellantur præcipua eccleſiæ catholicæ dogmata;

287. Rediens ad tachygraphos, commemorabo quos novi de eorum arte ſcripſiſſe. Iacobus Coſſard Gallice edidit Pariſiis anno 1651. *Methodum ſcriptionis quæ æquet loquutionem*, ex cujus epiſtola quam legi in *Conſervatore* ad annum 1758. pro menſe Martio apparet hominem ſubtiliter cogitaſſe de compendio non ſolum in vocabulis & ſyllabis, ſed etiam in ſingulis characteribus, quorum forma longe minori tempore abſolvatur. Idem habuit præ oculis Thomas Schelton in ſua *Tachygraphia nova* edita Latine anno 1660. poſt aliam Anglicam ante aliquot annos in lucem emiſſam & commemoratam ab Harsdorffero in Deliciis Mathematicis (1). Hujus epitomam dedit Schottus (2). Propius noſtra tempota plures Angli hanc artem ſtudioſe excoluerunt, ut Ioannes Angeli, qui anno 1758. eam, quam ipſe per annos plusquam triginta exercuit, Anglice expoſuit libro, quem apte inſcripſit *Stenographiam*, hoc eſt arctam ſcripturam, in cujus præfationem inſeruit hiſtoriam eorum qui de hac re jam antea tractaverant, Et Annet iterum Anglicam editionem ſuæ Artis de compendioſa ſcriptione renovavit: Et Swaine ac Simms collato ſtudio Anglice pariter anno 1762. de eadem egerunt ſub nomine *Cryptographiæ*, quod proprie ſignificat occultam ſcribendi rationem, quæ cum fieri poſſit etiam per redundantem characterum copiam ex dictis (n.211.), eam non declarat quæ fit per eorum contractionem vel omiſſionem. Eodem anno 1762. David Lyle de eodem argumento eadem lingua librum protulit.

288. Omiſſis horum meditationibus qui velit noſſe quales fuerint apud veteres hujusmodi notæ, plures illum docebunt, qui eas collegerunt, ut Janus Gruterus, cujus extat liber, *Notæ Romanorum veterum, quibus litera verbum facit*: & Elias Putſchius, in cujus collectione antiquorum grammaticorum ſunt tres libelli, primus *de Notis Romanorum* auctore Valerio Probo, grammatico ſub Nerone, quem Io. Nicolaus in ſuum tractatum de Siglis (3) inſeruit, ejusque accuratior editio illuſtrata variis obſervationibus Henrici Ernſtii, & Frederici Tiliobrogæ data eſt anno 1751. in primo tomo *Novi theſauri juris civilis & canonici* Gerardi Meermanni. Alter liber eſt Magnonis, *Notæ Juris*, quem ipſe dedicavit Carolo Magno. Hunc quoque Nicolaus tamquam rarum iterum protulit (4), legem ſimul commemorans Iuſtiniani ſupra (n. 272.) relatam, qua ſiglorum uſum vetuit in iis quæ pertinent ad Iurisprudentiam, quam paulatim neglectam omnino fuiſſe palam faciunt opera Bartoli, Baldi, aliorumque typis impreſſa cum notis compendiariis perpetuis. Tertius eſt liber Petri Diaconi De Notis pariter Romanorum ab eodem dicatus Conrado Imperatori. Recentius de iisdem ſcripſit Carpentierus Benedictinus in ſuo Alphabeto Tironiano laudato a Trevoltianis ad annum 1774. ar. 75.

289. Siquis per ſimiles notas dicat perſcriptam Homeri totam Iliadam

Q in

(1) Ha. t.2 p.1 q.9.
(2) Sc. Techn. l. 7 c.4.
(3) Ni. c.6 & ſeq.
(4) Ni. Sigl. c.12.

in tenui membrana, quæ referentibus Plinio (1) & Solino (2) poſt Ciceronem in nucis putamine continebatur, & per easdem notas integrum diſtichon ſcriptum a Myrmecide Mileſio, & Callicratide Lacædemonio circa ſeſamum minutiſſimum ſemen, ut narrat Ælianus (3) minus incredibiles reddet hujusmodi narrationes.

ARTICULUS IIII.

De Hieroglyphicis.

290. Hieroglyphica ſunt ſpecies quædam ſcriptionis. His abundant antiqua monumenta præſertim Ægyptiaca. Illorum originem vel præcipuum uſum in rebus ad Religionem pertinentibus fuiſſe, ipſum nomen declarat, ut ſupra (n.112.) adnotavi, quod confirmatur ex illis quæ in obeliſcis inſculpta ſunt, quandoquidem eos Ægyptii dicabant ſuis Diis, & circa ipſorum templa erigebant, arasque etiam Deorum nuncupabant. Quare Lucanus dixit, *Votaque pyramidum celſas ſolvuntur ad aras*. Ex obeliſcis quorum ſingulæ facies ab imo ad ſummum hieroglyphica cuique exhibent conſpicienda, plures ſtant Romæ, & dum hæc ſcribo anno 1787. baſis conſtruitur ad alterius, qui hieroglyphicis pariter abundat erectionem in monte Pincio juſſu magnificentiſſimi Pontificis Pii VI. qua ratione dum alimentum datur artificibus, & cultura bonarum artium promovetur, civitates vigent creſcunt ornantur. Opus commiſſum eſt Ioanni Antinorio Camerti, architecto ubique jam celebri propter alium, ſed ab hieroglyphicis vacuum, quem omnes admirantur ab eo erectum in monte Quirinali inter duas magnæ molis maſſas, quas cum binis coloſſis ſupra ſingulas poſitis juſſit eſſe ad angulum, cum eſſent parallelæ, quin eas e ſuo loco dimoveret.

291. Permulta igitur ex his hieroglyphicis ſunt totidem ſymbola, quæ Ægyptiorum religionem continent in iis legitimam, quæ juxta ductum rationis conſtituerunt, in aliis vero perquammultis a morum corruptela introductis deteſtabilem, in ſexcentis ſcilicet & probroſis etiam idolis, rituque ea colendi ſane in non paucis ridiculo, & in omnibus abominando. Itaque oculus in baculo repræſentabat Deum, qui omnia perſpicit dirigit ſuſtentat: Cubum eſſe hieroglyphicum terræ, & pyramidem ignis Kirchero judice (4) *docte demonſtrat Pierius*: Serpens intra os habens ſuam caudam ſignificabat annum, cujus finis quaſi cauda conjungitur cum principio tamquam capite anni proximi: Columba ſignum erat quinarii, & Gallus ſeptenarii (5) *quia* inquit Kircher *columba ſemper quinque tantum ova parere ſolet, & gallus ſingulis ſeptem intervallis diei ſolem ſalutat cantando*: Papilio erat ſymbolum animae ex communi opinione, cui nuper contradixit Adamus

(1) Pl. Hiſt. l. 7. c. 21.
(2) So. c. 6.
(3) Ael. Hiſt. 11.
(4) Ki. Oed. ægyp. to 2 cla. 7 c. 3.
(5) Ki. ibid. c. 3. in fine.

Digitized by Google

mus Febbroni contendens (1) eſſe ſymbolum voluptatis; nihil autem de eo dicit Henricus Farneſius, quem alii Furnium appellant in tractatu *de verborum interpretatione*, in quo multa explicat hieroglyphica per alphabetum diſpoſita. De hoc tractatu licet habeatur in aliquibus Calepini editionibus ut in Veneta anni 1689. ſumptibus Combi, quam prae manibus habeo, non meminit Ladvocatus, ubi (2) de aliis loquitur hujus Rhetoris lucubrationibus mortui Ticini anno 1607., cum eſſet Eburo ex ipſius frequenti teſtimonio, hoc eſt ut ipſemet alibi (3) ait natus in dioeceſi Leodienſi.

292. In monumentis veterum Chriſtianorum reperiuntur plura vera hieroglyphica, ut cervi boves oves columbae pavones galli anchorae palmae olivae vites coronae, aliaque, quorum ſignificationem erudite protulit Ioannes Severanus ad illuſtrationem Romae Subterraneae Antonii Boſii. Inſigne Hieroglyphicum eſt piſcis figura quae ſignificat chriſtianum ibi reconditum. Chriſtiani enim dicti fuerunt piſces, tum quia in neophytorum veſtibus ſiglà ι Χ. θ. υ ς. plerunque apponebantur, propter quas Chriſtus ipſe ex dictis (n. 278.) piſcis fuit appellatus: tum quia homines ex aquis baptiſmi Chriſtiani emergunt.

293. Hieroglyphica ſcriptionis nomen habent juxta legitimam Wachteri obſervationem (4) apud illos tantum, quibus nota ſit conventio jam inſtituta de eorum ſignificatione: apud alios autem ſi pauca excipias, quæ ſymbola dici poſſunt ſeorſim conſiderata, ſunt vera aenigmata, quæ illi melius interpretantur, qui explicationem proferunt, quæ magis congruat eorum temporum & populorum hiſtoriæ. In his celebrantur quaſi totidem Oedipi Kircher, Pluche (5). & Gulielmus Warburton, cujus commentarium de Hieroglyphicis ex anglico gallicum fecit Leonardus de Malpeines, doctisque diſſertationibus ſupra etiam primam Sinenſium ſcripturam cumulavit. Ante hos Cælius Calcagninius mortuus anno 1541. juxta Tiraboſchium (6) ætatis ſuæ 62. in libro *de rebus ægyptiacis*, & Pierius Valerianus Beluni natus anno 1477., Patavii mortuus anno 1558. in libro *Hieroglyphica*, eorum quæ ſibi nota fuerunt interpretationem protulerunt.

294 Qui haec noverit accuſabit Kircherum falſæ jactantiæ, quando in ſuo *Prodromo*, quem in lucem emiſit Romæ anno 1636., dixit (7) *Linguæ antiquæ ægyptiacæ una cum hieroglyphicæ diſciplinæ inſtaurationem melior, in quo ſatisfeciſſe cenſebor primus hanc glaciem tentaſſe, aliisque viam monſtraſſe*. Sed ipſemet ſe defendet, qui in Oedipo ægyptiaco, quem publici juris facere incoepit Romæ anno 1652. dicit (8) ſe jam perfeciſſe opus hieroglyphicorum interpretationis *a multis inchoatum, a paucis penetratum, atque adeo ob impenetrabiles difficultates veluti derelictum*. Maximi faciendas eſſe Kircheri interpretationes plane demonſtrat Gaspar Schottus ejus in

(1) Fe. Farfalla, Firenze 1783.
(2) La. Diz. ar. Farneſe Arrigo.
(3) Fa. de verb. interp. ar. Liliam.
(4) Wa. Nat. & art. concord.
(5) Pl. Hiſto. du Ciel.
(6) Ti. *Lett.* ital. to.7 p.2 l.3.
(7) *Ki.* c.8 pag. 184.
(8) Ki. Oedi. to.1 propyl. c. 1.

re literaria ſocius, qui refert (1) *repertum cum admiratione fuiſſe* veriſſi- me Kircherum aſſeveraſſe certum ſibi eſſe ex toto contextu hieroglyphica quæ ipſe ſuppleverat in obeliſco erecto in foro Agonali alia in re eſſe non potuiſſe, quando tandem *omnia ad unum fragmenta illius obeliſci* eruta fue- runt.

295. Quæ autem gens invenerit obſcuram hanc per hieroglyphica ſcriptionem incertum eſt. Æthiopis eam tribuit Fourmontus (2), aliique apud Trevoltianos (3): Ægyptiis Tacitus, quem ſequitur Wachterus: omnibus tandem gentibus uſque ad diluvium communem facit juxta Trevol- tianos (4) Hartleius, qui ſcripturam proprie talem, hoc eſt per diſtinctos characteres poſt diluvium ſtatuit incoepiſſe. Opinionem Hartleii veram judicabit, qui obſervet in America hieroglyphica fuiſſe uſitata, antequam ab Europæis diſcerent artem ſcribendi per literas. De Mexicanis ſaltem hoc affirmat Acoſta (5), & ex profeſſo propugnat Clavigerus (6) impu- gnans inter alios Kircherum, qui ex leviſſimo argumento hæc ipſis nega- vit in ſuo Oedipo Ægyptiaco. Sed argumentum ex hac obſervatione pro arte ſcribendi nata ſolum longe poſt diluvium vidimus ſupra (n. 106.) elevari ab iis qui dicant Americanos eſſe progeniem hominum qui ſcriben- di artem non didicerant.

296. Ad hieroglyphica videntur mihi ſpectare inſignia coetus litera- torum hominum compoſita ex figura alicujus rei vel naturalis vel artificia- lis, & ſententia aliqua, quæ ad figuram referatur. Præteritis ſæculis ſin- gulæ Academiæ ad certum literaturæ genus excolendum incumbentes hæc ſibi condiderunt, ut ab aliis ſe diſcernerent: immo ſinguli etiam illarum academici ſuum ſibi inſigne ad ejus ſimilitudinem ſtatuerunt. Exemplo ſit illud Academiæ Florentinæ pro lingua Itala quod eſt cribrum farinarium cum hac ſententia, *Il più bel fior ne coglie*, hoc eſt florem decerpit pul- chriorem. Satis mihi eſt de hac hieroglyphicorum ſpecie meminiſſe. Vi- detur enim jamdiu deſueviſſe illius ſtudium, de quo majores noſtri, quan- tum ſolliciti fuerint, docebit Kircherus (7), qui regulas etiam tradit, quas ſequi neceſſe eſt in illis condendis. Atque una ex his eſt. Inſignia Acade- mica non ſint obſcura, ut Oedipo ad interpretationem ſuam indigeant, neque ita clara, ut indoctis etiam ſtatim innoteſcant, ſed ea conſtent ar- gutia, ut cum profunda quadam mentis reflexione a ſolis eruditis intelli- gantur, quæ, dum eam legi, conſilium meum confirmavit omittendi de hac re plura dicere. Sunt qui ad hieroglyphica revocent ſcriptionem Si- nenſium, characteres aſtronomicos, chymicos, medicos, muſicos, alios- que ſupra commemoratos.

PARS

(1) Sc. Epi. præmiſ. to. 1 Oepi. ægyp. *Kirch.*
(2) *Fo.* Acad. inſcri. vol. 5.
(3) Tr. ann. 1753 ar. 35.
(4) Tr. ann. 1756 ar. 30.
(5) *Ac.* Sto. del Ind. *l 6* c. 7.
(6) Cl. Sto. del Meſſ. to. 4 di. 6 n. 4.
(7) *Ki.* Oed. ægy. to. 2 cla. 1 c. 2.

Digitized by Google

PARS II.

De origine Linguarum.

297. QUæſtio de origine linguarum maxime agitata eſt etiam inter antiquos. Sed quid hi in hac re ſenſerint, videri poteſt apud Gaſſendum (1). Maupertuiſius plura recentius ſub hoc titulo *de Origine Linguarum* ſcripſit, quæ tamen poſtquam legi intellexi vix aliquid quod ad rem pertinet continere. Interea ut quæſtio expediatur, incipiam ab hac propoſitione.

PROPOSITIO I.

Nulla eſt lingua naturalis homini.

ARTICULUS I.

Declaratio propoſitionis.

298. PRopoſitio quæ minus univerſaliter affirmaret nullam linguam ex iis, quæ tam ab initio hujus noſtri mundi, quam in confuſione primæ linguæ extiterunt, eſſe naturalem, eſſet extra controverſiam. Nam omnes ſunt largitio divina, quantum ad vocabula ſingulis propria & neceſſaria, ut homines inter ſe ſocietatem haberent. Lingua enim primorum hominum demonſtratur divinitus ipſis infuſa, & quæ natæ ſunt in confuſione linguarum infuſæ pariter evincuntur, ut inferius oſtendam. Inventio humana ſupervenit linguis jam infuſis, per quam earum vocabula ſucceſſu temporis plura incrementa & diverſas mutationes acceperunt. Controverſia igitur cadit in poſitam ſine ulla limitatione propoſitionem, quoniam de ea aliqui dubitant, aut eam omnino negant etſi pauci hi revera ſint, communiter enim approbatur Jo. Conradi Ammani dictum (2) *loquendi artem non adeo facilem, nedum naturalem eſſe*.

299. In his qui linguam aliquam homini crediderunt eſſe naturalem, ſunt qui ulterius hanc determinarunt eſſe hebraicam. Sed eos vulgus ipſum jam

(1) Ga. Operum to. 2 l, x1 memb, 1, ſc. 3 phy. c. 4.

(2) Am. de loquela pag. 46.

jam irridet, quos jam olim Franciſcus Valeſius, & Hallbaverus (1) impugnarunt. Aulus Gellius apud Tremblajum (2) meminit de antiquo grammatico, qui ſtatuit verba non eſſe ſigna *poſitiva ſed naturalia*. Sed hic nobis non opponitur, quia ipſe ſigna poſitiva appellavit verba, quæ determinata eſſent ad unam potius ſignificationem, quam aliam per quamdam quaſi legem, quam plures ex inito inter ſe conſilio ſanciverint, & rurſus ſigna naturalia dixit verba, quæ determinata eſſent ad unam ſignificationem ſine ullo hujuſmodi conſilio atque decreto, in quo vera doctrina continetur, quæ dicit verba ab hominibus introduci in linguas non per leges a magiſtratu latas, ſed per uſum qui paulatim ſerpit & fit communis.

300. Eximenus enim vero nuper nobis contradixit (3). Ipſius fundamentum placet ſubito exponere & convellere quoniam pertinet ad declarationem propoſitionis. Illud hoc complectar argumento. Tam naturale eſt homini ſentire, quam reflectere ſupra ſuas ideas & ratiocinari: ergo ſi ſigna quibus ſenſationes declarantur ut riſus gemitus ululatus contorſiones ſunt ſigna naturalia, etiam linguæ quibus reflexiones noſtras & ratiocinia aliis communicamus ſunt ſigna naturalia.

Reſp. I. *nego ans.* Cum naturale plures diverſos ſenſus habeat ut alibi (4) adnotavi, hic ſumitur non pro eo ad quod natura hominis inclinat, eique eſt conforme, ſed pro eo quod non eſt in hominis arbitrio. Solæ autem ſenſationes ſunt hoc modo naturales. Hinc quicunque doloribus corripiatur etiamſi ſolus ſit clamat & contorquetur. At reflexiones & ratiocinia ſunt homini libera. Reſp. II. *omitto ans*, & *diſt conſeqs.* Verba quibus homines ſuas ideas aliis communicant ſunt ipſis naturalia, h. e. ſecundum inclinationem ipſorum naturæ, quæ pro arbitrio quo prædita eſt, hæc potius verba ad illarum ſignificationem determinavit, quam alia quæ æque poterat ad idem propoſitum excudere, *conc. conſeqm*, ſecus *nego conſeqm*.

301. Inſtat. Ex eo quod ſingulæ fere gentes utantur modis ſibi propriis in ciborum præparatione non infertur non eſſe homini naturale uti aliquo cibo: ergo ſimiliter ex eo quod diverſæ nationes diverſis utantur linguis non infertur non eſſe homini naturale uti aliqua lingua.

Reſp. I. *conc. ans*, *& nego conſeqm*. Hanc nullam eſſe ſtatim intelliget qui obſervet cibum aliquem ita eſſe naturalem homini, ut ſit etiam ad ejus vitam neceſſarius: loquutio autem hoc modo naturalis certe non eſt homini, ut evidens eſt ex infantibus & mutis.

Reſp. II. omitto totum, quia non eſt ad rem; Non enim auctores concludunt loquelam non eſſe homini naturalem ex diverſitate linguarum, ſed ex aliis argumentis, quæ jam proponam. Adde inſtantiam probare loquutionem eſſe conformem naturæ hominis, non vero probare eſſe ab ejus arbitrio independentem, immo oppoſitum ex hoc ipſo objecto exemplo ſic conclu-

(1) Ha. Var. ling. n. 12.
(2) Tr. Trait. des lang. c. 2.
(3) Ex. Muſic. l. 2 c. 3 n. 1.
(4) De mirac. a n. 2 edit. 3.

Digitized by Google

concluditur, Ex eo quod ſingulæ fere gentes utantur modis ſibi propriis in ciborum præparatione, ſicuti etiam in forma veſtium & domorum, bene infertur omnes & ſingulas ex particularibus ciborum & domorum præparationibus eſſe ab arbitrio, non a natura: ergo ſimiliter ex diverſis gentium linguis bene infertur nullas eſſe a natura, ſed omnes ab arbitrio.

302. Inſtabis. Quotidie audimus loqui pueros longe adhuc per ætatem remotos ab uſu rationis, & vi reflectendi, & ipſos fatuos alioſque omnino ineptos ad exercitium cujuſcunque artis & diſciplinæ: ergo loquutio eſt homini naturalis. Reſp. *conc. ans*, *& diſt conſequens*, loquutio ex inſtructione aliquo modo habita eſt naturalis, hoc eſt conformis naturæ quæ etiam ſine uſu rationis eſt aliquarum actionum docilis, ut patet etiam in psittacis *conc.*, ſecus *nego conſeqm*.

ARTICULUS II.

Rationes propoſitionis.

303. I. JAm propoſitio probatur cum citato Valeſio (1) & Calmet (2) Siqua eſſet lingua naturalis homini eam omnes poſſiderent, nec per aliam quamcunque evelli a mente noſtra poſſet, ſicuti quia naturale eſt riſu excipere quae delectant, & luctu quae cruciant, nemo eſt qui ridendi & lugendi rationem neſciat aut dediſcat, & quia etiam lingua a parentibus & nutriciis hauſta ſit quodammodo naturalis, nemo eſt qui ejus ita obliviſcatur extra patriam vivens ut ſaltem qui ea utantur ſtatim non intelligat, quando forte ipſe ad ejus expeditum uſum minus aptus propter longam deſuetudinem evaſerit. Atqui nullus eſt aut unquam fuit qui aliam linguam poſſideat niſi illam in qua educatus eſt aut illam quam ſtudio ſibi comparavit: ergo nulla lingua eſt homini naturalis.

304. II. Cum Conimbricenſibus (3) cum Tremblajo (4) & Trevoltianis (5), Ratio quare omnes qui ſurdi ſunt a nativitate, ſint etiam muti, eſt ipſamet ſurditas quæ impedit cujuſvis linguæ informationem. Nullum enim plerunque in his mutis impedimentum apparet neque in mente neque in gutture neque in ore, ex quibus repeti poſſit impotentia loquendi. Quod plane demonſtrant qui proceſſu temporis acquiſito auditu, quo ab infantia caruerunt, loquutionem etiam paulatim ſibi compararunt, cujus rei exempla, & unum præ ceteris inſigne alibi (6) attuli, idemque confirmant, qui perpetuo excluſi ab uſu aurium, nihilominus per ſeriam attentionem ad motus oris & partium oris & vultus gutturiſque varias agitationes, ſine quibus voces non eduntur nec vocabula pronunciantur, didicerunt per eoſdem motus in

(1) Va. Sacra phil. c. 3.
(2) Ca. Dict. ar. Lingua.
(3) Con. de Anim. probl. de audit. ſe. 2.
(4) Tr. des langu. c. 3.
(5) Tr. ann. 1748. ar. 8.
(6) De ide. n. 361 edit. 2.

in iisdem circumſtantiis balbutire, ut ii præſertim quibuscum vivunt eosdem ſtatim intelligant.

305. III. Quod homines habere non poſſunt niſi per ſtudioſam & diuturnam meditationem, naturale ipſis non eſt. Omnis enim meditatio, & multo magis ſeria ac diuturna iisdem eſt arbitraria. Atqui homines ſecluſa conſuetudine cum iis, qui linguam aliquam loquuntur, quæ eſt quædam inſtitutio habere non poſſunt ullam linguam niſi per ſtudioſam & diuturnam meditationem; Ergo nulla illis lingua eſt naturalis. Minor probatur, quia ad linguæ cujusvis conſtitutionem opus eſt animadvertere ſpecificam diverſitatem omnium idearum, quæ occurrunt enunciandæ, easque digerere per totidem etiam ſpecies vocabulorum, quæ a grammaticis rediguntur ad octo, nomen, verbum, aliasque ſupra (n.95.) nominatas, quarum ſingulæ poſtulant multas ſibi proprias obſervationes. Itaque in nomine opus eſt diſtinguere genera, caſus, numeros, & in verbis perſonas numeros modos & tempora.

Præterea homines ſine ulla adhuc lingua, quonam modo in promptu habebunt inventionem tot vocabulorum, quæ linguam componunt, cum videamus doctos & eruditos diu cogitare & conſulere de nomine quod tribuant iis, quæ deprehendantur a majoribus noſtris non animadverſa, & ſæpe effingere hujusmodi novas appellationes ex obſervatis ipſorum præcipuis qualitatibus componendo per harum nomina unum pro his novis rebus, ut videmus fieri a philoſophiæ ſeu hiſtoriæ naturalis ſtudioſis, dum nova aliqua detegunt præſertim in genere plantarum & animalium. Plerunque vero uſurpantur quæ aliis omnino rebus jam olim impoſita fuerunt, quorum proinde nova ſignificatio determinatur a loco tempore aliisque adjunctis, quæ illorum uſum comitantur. Exempla horum nominum antiqua & nova abundant. Itaque novimus phyſicos mutuatos eſſe a diverſis artibus nomina articuli claviculæ acetabuli tibiae, aliaque, quibus certas humani corporis partes diſtinguunt communiter. Si petas a florum cultoribus nomen hujus vel illius floris, cujus pulchritudinem admiraris, audies nomen ipſi tributum alicujus qui insignis fuit in literis vel armis. Vade per aestatem, quo multi conveniunt ut gelidis potionibus recreentur, & audies ab hoc poſtulari papparium, ab illo auroram, ab alio laterculum, quae cum deferuntur, agnoſces quid iam per haec antiqua nomina veniat in hoc deliciarum genere. Ingrediens officinam in qua ſunt eſculentae merces ex ſubacta farina diverſae formae ſciſcitor ſingularum appellationes, nec audio niſi vermiculos, ſtellulas, cruſtula, parva ſemina, & alia deſumpta nomina a rebus toto caelo diverſis.

306. Nomina quae facilius homines excudant, inquit Hervas (1) ſunt quae onomatopeja appellantur, hoc eſt formata ad ſimilitudinem vocis animalium. Itaque mirum non eſſet, ſi homines conſentirent in nomine Muu pro bove, ſed hoc facto adhuc reſtat invenire modum, quo diverſi hujus nominis caſus, & numeri, quibus omnis lingua indiget, ab invicem diſtin-

Digitized by Google

diſtinguantur : reſtat etiam invenire verbum , ejusque conjugationem , quod vocem bovis præſentem aut præteritam aut futuram ſignificet , Sit in hujus beſtiæ voce naturali fundamentum excuſi nominis ad ejus diſtinctionem ab omnibus animalibus exprimendam , at in ea nullum invenitur pro ceteris omnibus quæ obſervavi . Horum igitur inventio , & multo magis illa nominum & verborum pro iis , quæ ne remotam quidem occaſionem præbent ad hujusmodi formationes eſt quid ſuperans humanæ mentis conatus , ut univerſim concludatur nullam dari linguam quæ ſit homini naturalis .

307. IIII. Cum Benedicto Feijoo (1) ſic arguitur. Inventio artis ſcribendi eſt difficillima , ut teſtis eſt tota America , cujus omnes gentes inventæ ſunt omnino expertes hac arte , vel quia nondum inventa fuerat , quando illarum progenitores illac poſt diluvium transmigrarunt , vel quia ex illis erant , qui eam non didicerant : ergo plusquam difficillima eſt ars loquendi . Hanc conſequentiam ſuadet argumentum proxime factum , & hæc præterea ratio , quod in arte ſcribendi obſervatur quædam proportio inter lineas factas a calamo , & motus linguæ , quibus fit loquutio , cujus tacitum ſignum ſunt illæ literæ , cum tam lineæ quam motus linguæ ſint quid materiale : contra vero nulla ſit hujusmodi proportio inter motus linguæ in quibus conſiſtit loquutio , & conceptus animi , quorum ſignum eſt loquutio , cum conceptus ſint quid ſpirituale , adeoque toto genere diſtent a materiali linguæ motu . Nec ſit qui obiiciat etiam a ſcriptis declarari conceptus animi , ſicuti a loquutione . Declaratio enim conceptus per loquutionem eſt proxima & ſine medio , non vero per ſcripturam , quæ ſupponit præviam cognitionem loquutionis , cujus ipſa vices gerit .

308. V. Cum Trevoltianis (2). Homines ſine mentis contentione , & quidem plerunque magna non addiſcunt linguas , in quibus nati & educati non ſunt , ut quotidiana conſtat experientia : ergo multo magis homines ſine mentis contentione non poſſunt linguam ullam conſtituere . Indigere autem hac contentione idem eſt , ac non eſſe naturale .

309. VI. Cum pluribus . Infantes nutriti procul ab hominum qui loquerentur conſortio , ut poſſet conſtare an aliqua eſſet homini naturalis loquela , muti inventi ſunt , vel inconditis ſolum & inarticulatis vocibus clamantes . De duobus infantibus , quos Pſammeticus rex Ægypti ſex circiter ſæculis ante Chriſtum paſtori tradidit alendos per capram , quin nec ipſe nec quisquam alius hominum coram illis ne unum quidem verbum proferret , narrat Herodotus (3) nullum aliud verbum unquam ab illis auditum niſi Bec , quod non verbum eſt , ſed imitatio quædam caprini balatus , qui unice illorum auribus perſonuerat . Alia plura ſimilia exempla ex Quintiliano, Stephano Morino , Nicolao Tulpio , Bernardo Connor referunt Calmet (4) , Hervas (5) & Carpovius (6) qui obſervat brutorum conditionem

R

(1) Fe. Theatro to. 6 dis. 7 n.23.
(2) Tr. ann.1748 ar.8.
(3) He. Euterpe. c. 2.
(4) Ca. Dict. ar. Lingua. & diſſ. de lingua primi.
(5) He. Idea. t. 18 n. 195.
(6) Ca. de perſ. ling. n 40,

Digitized by Google

nem ex hac parte præſtantiorem videri, quæ etiamſi procul ab omni commercio cum animalibus ſuæ ſpeciei educentur, opportuno tamen tempore horum voces & cantus exacte exprimunt, & cum primum in ſocietatem venerint ſibi ſimilium, iisdem utuntur ſignorum variationibus in vocibus, ac ſi ſemper inter ſe ſocietatem habuiſſent. Hæc Carpovii obſervatio opportuna eſt ad declarandum ſenſum & vim hujus argumenti, poſtquam Eximenus (1) illud elevavit dicens fruſtra inſtitutum hujusmodi experimentum, quia defectus omnis linguæ in puero, cui nullum permiſſum fuit cum aliis commercium, eſt effectus neceſſarius ſolitudinis.

310. Sed demus unum puerum, qui ſemper fuit inter adultos voluntarie ſecum mutos, mutum pariter fore propter hanc quaſi ipſius ſolitudinem, reſtant alia exempla de pluribus ſimul pueris educatis a mutis voluntariis, vel in ſilvis inter feras adultis, qui pariter ſine ulla loquela inventi ſunt, quamvis propter perpetuam inter ſe ſocietatem, & quidem gratiſſimam, qualis eſt inter æquales ætate pueros, ſolitarii non fuerint. Qui reponeret, illos ſine loquela inventos, quia ad ducendam vitam, quæ in ipſis diſſimilis non videtur ab illa beſtiarum, ſatis erant ſigna naturalia (n. 93.), concedam ſi placet hanc rationem, ſed ex ea concludam non ſolum nullam loquelam eſſe hominibus naturalem, ſicuti eſt cantus avibus hinnitus equis, latratus canibus, aliæque inconditæ voces, quibus diverſa animalia ubique eodem modo perſtrepunt, ſed ne hanc quidem cognitionem, quod lingua materialis poſſit ad uſum loquelæ adhiberi, eſſe naturalem.

311. Excluſa omni lingua hominibus naturali reſtat ut ſolam illis dicamus datam facultatem conſtituendi ſibi linguam aliquam, quando multi conveniant in vitæ ſocietatem. Hoc enim, juxta S. Auguſtinum ex dictis (n.101.) infertur ex data hominibus ratione, & ex neceſſitate loquutionis ad vitam ſocialem habendam atque tuendam. Quamobrem ſcite Dantes cecinit (2)

Opera naturale e, ch' uom favella
Ma così o così, natura laſcia
Poi fare a voi, ſecondo che v' abbella.

Atque credo equidem totidem linguas naſcituras in diverſis terræ regionibus, quot ibi ſocietates formarentur ab hominibus, qui ibidem omnis linguæ ignari paulatim ab aliis penitus ſegregati multiplicarentur. Nam ſi in iis quæ ceteróqui diverſis modis limitata ſunt, videmus tot eſſe inter homines ſententias, quot ſunt capita, putamusne unam ullibi extituram linguam, quæ ab aliis minus differret, quam nunc Italicam ab Anglica ſentiamus diverſam?

PRO-

(1) Ex. d. Muſic. l. 2 c. 3 n. 1 in fine. (2) Da. Parad. c. 26.

Digitized by Google

PROPOSITIO II.

Linguæ conſtant verbis quæ habent ſolum ex arbitrio ſignificationem doctrinalem.

312. VErborum ſignificatio doctrinalis appellatur ea quæ determinatas ideas excitat apud illos, qui horum uſum habeant, quas contendimus per alia verba potuiſſe eodem modo excitari. Doctrinalis dicitur ad diſtinctionem ſignificationis naturalis, quæ quibusvis verbis ſeu vocibus ex dictis (n.20.) ineſt. Propoſitio habuit olim aliquos adverſarios, in quibus eſt Cratylus ſectator Heracliti, & Plato, qui quædam ſaltem rerum nomina ea eſſe voluerunt ut alia eſſe non poſſint. Quod dum dixerunt credo habuerint præ oculis nomina, quæ ab aliis cognitæ jam ſignificationis originem habent, quorum ſenſum qui teneat, ſtatim videt ea quæ ab ipſis deſumpta fuerint pro aliis certis rebus ſignificandis ita huic muneri ſatisfacere ut alia quaecunque nomina idem aeque bene non efficerent. Quod concedi poterit, quia hujusmodi derivata nomina non dicuntur abſolute eſſe omnium maxime opportuna, ſed ex ſuppoſitione de ſtabilita antea & recepta aliorum ſignificatione, quae ipſorum radices vulgo appellantur. Cum autem dicamus radicum ſignificationem ſtabilitam eſſe ex arbitrio, jam ex arbitrio etiam eſt eorum ſignificatio, quae ex illis quovis modo naſcantur. Cratylo ſe oppoſuit Hermogenes diſcipulus Parmenidis, qui proinde noſtrae propoſitioni plauderet, propugnans ut ipſemet Plato refert ab Hermogene declinans (1) *nulli rei natura nomen ineſſe, ſed uſu illorum qui ſic vocare conſueverunt*. Rabbinis etiam quibusdam placuit venditare nomina Hebraica appellativa habere ſignificationem doctrinalem nullo modo ex hominum arbiteio dependentem, quae rite pronunciata ipſam rerum naturam exprimunt & declarant. Quicunque inquit unus ex his Rabbi Kimchi apud Diarium Literat. Ital. (2) audiat haec hebraica nomina ahahath, maſtimah, tahanung, chil, quamvis penitus ignarus linguae hebraicae, ſtatim fatebitur ea nomina non habere aliam ſignificationem, quam amoris, odii, voluptatis, doloris.

313. I. Jam probatur propoſitio. Quod unum vocabulum ut ignis ſignificet eam potius ideam, quae reſpondet noto apud Latinos objecto, quam aliam, neque eſt quid intrinſecum huic vocabulo, quoniam nec idea ignis nec rei cujus eſt idea ſunt ſonus aliquis, in quo conſiſtit quicquid eſt eſſentiale verbis, prout voces quaedam ſunt: neque eſt aliquid neceſſario connexum cum iis quae vocabulo ſunt intrinſeca; Nam inter vocem ignis

R 2

(1) Pl. Craty. ſub iniſt.

(2) Di. to. 3 ar.3 pag.137.

ignis & ideam terminatam ad rem ipſam non datur connexio neque cauſſæ neque effectus; Ad hanc enim vocem prolatam coram illis, qui latinam linguam ignorant, non excitatur in ipſis idea rei, quam ſic Latini appellant: ergo quod unum vocabulum habeat hanc potius ſignificationem doctrinalem quam aliam dependet ex arbitrio.

314. Confirmatur argumentum ex evidenti falſitate affirmationis Kimchii, docto ceteroquin homine & multis hebraicis libris celebri, qui juxta Ladvocatum (1) natus in Hiſpania obiit circa annum 1240.; Unusquiſque enim hoſpes in lingua hebraica profitetur nihil ſe apprehendere quibusvis auditis nominibus a quovis peritiſſimo Kimchio pronunciatis. Quando autem Rabbini addunt hebraica vocabula ſcite prolata non ſolum rerum ideam excitare, ſed ipſarum etiam naturam declarare, dicunt quod non ſolum verum non eſt, ſed ne eſſe quidem poteſt, quia ſi pronunciatio nominum non excitat niſi ideam ſoni cujusdam, & nulla eſt idea ullius ſoni, cum qua connectarur idea alterius rei alias incognitæ, multo minus connectitur idea naturæ ipſius rei, quæ eodem modo in nominibus hebraicis, ac in illis alterius linguæ non explicatur niſi ope multorum verborum, quæ reſpondent totidem attributis & proprietatibus, quæ per rationem noſtram in quavis re quantumvis ſimplici diſtinguuntur, ut bene observat Anonymus auctor libelli Italice Venetiis editi anno 1653. *Problema de loquutione an ſit hominis inventum*, impugnans (2) hanc Rabbinorum opinionem. Quæ argumenta valent etiam contra illos, qui a ſignificatione doctrinali nominum hebraicorum ſolum excludunt hominum arbitrium, ſed in eo illud Dei primæ hujus linguæ auctoris venerantur: qui præterea habent contra ſe quotquot tuentur primam linguam periiſſe vel ignotum nobis eſſe quænam ſit.

315. Dum memini de multis rei unius proprietatibus, in illis jam video originem multorum nominum, quibus ſingulæ linguæ unam eamdemque rem deſignant, quæ proinde vocantur synonima, ſcilicet nomina ejusdem ſignificationis, quia ex uſu ſolent perſæpe accipi in eodem ſenſu, quem ceteroqui ex ſua inſtitutione non habent. Atque per hanc diſtinctionem inter synonima ex uſu & ex inſtitutione Carolus Rabbi (3) jure ſtatuit diſſolvi excitatam de illis controverſiam, dicendo omnia eſſe ex uſu, & nulla ex inſtitutione. Itaque a Græcis γαῖα dicitur terra a γάω genero, quia multa producit, & χθὼν a χάω capio, quia plura in ſe continet, eademque a Latinis vocatur etiam ſolum & humus ex ſimilibus rationibus quæ ex etymologia deducuntur, & multo plura Dei synonima propter multo plures perfectiones, quibus ille hominibus ſe manifeſtat, habent omnes linguæ, ut in Græca alibi (4) obſervavi, & de Italica nemo noſtrum ignorat, qui ſi audiat nominari *l'Onnipotente*, *il Tonante*, *il Creatore*,

(1) La. Diz. ar. Kimch.
(2) An. pag. 53 & ſeq.
(3) Ra. de ſinonimi c. 1 §. 2
(4) De Ideis n. 532 edit. 2.

tore, ſentit ſe ſtatim ad timorem & adorationem Dei excitari. Hæc animadverſio eſt novum argumentum de dominio arbitrii hominum in vocum ſignificatione.

316. Aliud præterea habemus ab experientia in tot linguis, quæ olim vigebant aut nunc vigent, in quibus accidit ut verba ipſis communia, ſenſum habeant omnino diverſum ut jam advertit Blaſiua Garofalo contra Kimchium apud citatum Diarium (1). Obſervavit jam S. Auguſtinus (2) *Beta uno eodemque ſono apud græcos literæ, apud latinos oleris nomen eſſe*. Ad ejus imitationem obſervo his latinis verbis, cedas, cis, dura, maſſa, olla, ab Hebræis, ſive Chaldæis ſignificari teſte S. Hieronymo id, quod Latini eodem ſervato ordine dicunt ſanctitas, durus, generatio, onus, elevatio. Et cum Latini per has alias voces romano, ſella, tiro, cortina ſignificant hominem romanum, ſedem, novitium, caldarium, Itali intelligunt æquipondium, ephippium, jactum, velarium. Apud Latinos Do eſt verbum, & Bis pertinet ad numerum dualem, ſed in lingua Hindua Do eſt duo, & Bis eſt viginti. Choro, pungo, purum, rapi, voces ſunt a Latinis & Peruanis uſitatæ, ſed hi eas audientes longe alia apprehendunt quam Latini, ſcilicet limacem, portam, deſertum, frondem. Iidem Americani per hæc italica verba, aja, amaro, manca, caro ſignificant ſepulcrum, ſerpentem, corticem, procul.

317. In Græcia Bacchius pes quidam eſt conſtans una brevi, & duabus longis syllabis: in Italia Horatii tempore erat nomen inſignis gladiatoris: in Etruria nunc idem eſt ac percutio. Romæ idem ac agnellus. Græcus audiens bleſo. boſco, gala, morla, porco, porro, ſoma concipit valgum, paſco, lac, ſtultitiam, rete, procul, corpus. Italus vero balbum, ſilvam, ornamentum, luem, ſuem. porrum, onus. Tartari ſuorum idolorum ſacrificulos elapſo ſæculo lama vocabant teſte Martino Martinio (3), quod nomen apud Italos enſem ſignificat. *Al* italis eſt articulus ſolius dativi ſingularis pro ſolo nomine maſculino: Arabibus autem eſt articulus omnium caſuum cujusvis numeri, & cujusvis generis nominum: nec verum eſt quod dicitur in Notit. liter. tranſalpi. (4) *Al apud Arabes ſignificare excellentiam rei, cui præmittitur*, quod audiens Arabs doctiſſimus, profecto inquit qui ſic ſcripſit, nullam unquam vidit grammaticam arabicam. Dicas in Italia Requiem, populus putabit preces defuncto indici: dicas in Gallia, piſcem ſqualum apprehendit. Dicas Cantabris *Amo*, illi intelligunt ferum: dicas Italis, hi reponent ſignificare vel actionem amandi, vel hamum. Quivis Italus novit quid apud ſuos ſibi velint, No, To, Amo, noſcat jam apud Mexicanos teſte Gilio (5) *No* ſignificare meum, *To* noſtrum, *Amo* veſtrum: Et apud Ottomachos Americæ pariter populum (6) *Amare* idem eſſe ac latinum *Tu*, *Coronare* idem ac *Cras*, & *Avo* idem ac

(1) Giorn. to.3 ar.3 pag.170.
(2) An. Doct. Chriſ. l.2 c.24.
(3) Ma. Bellum Tart. ann. 1616.
(4) No. to.2 p 1 ar.21.
(5) Gi. Sto. amer. to.3 appe. c.2 n.3.
(6) Id. ibid. l.3 c.3.

Digitized by Google

ac *avunculus*: Et apud Maipures aliam ejuſdem regionis nationem, cujus linguæ compos eſt idem auctor *Pia*, *Cavi*, *& Cani* non habent ſenſum italicum, ſed ſunt pronomina Tu, Nos, Vos.

318. Qui percurrat Lexicon polyglotton Hervæ (1) in quo digeſſit nomina de ſexaginta & tribus rebus quæ communes ſunt omnibus hominibus in linguis duodecim ſupra centum, diſpoſita ſecundum alphabetum, quod iisdem convenit in itala lingua, ridebit dum offendet ſignificationem, quam hæ habent in aliis linguis. Ipſe idem loquens in eodem volumine de linguis Americæ meridionalis plures congeſſit dictiones, quæ in illis omnino eædem ſunt, cum illis aliarum lingarum in diverſa prorſus ſignificatione. Feſtivum in hac re eſt, quod Card. Pallavicinus (2) narrat accidiſſe Romano cum Neapoli moraretur. Ille die quadam, qua ex præcepto Eccleſiæ jejunium ſervabatur, epiſtolas ad multam noctem apud amicum communi ſuper negotio ſcripſerat, quibus confectis audivit ipſum imperantem famulo ut afferret *il Marzapane*, ſic Neapoli appellatur alveolus, in quo neceſſaria ad obſignandas literas continentur, quæ vox cum Romæ ſignificet placentam dulciariam ex amygdalis maxima ex parte compoſitam, arbitratus hoſpes ſe invitari ad coenulam, coepit rogare amicum ut liceret ſibi domum redire & famulo imperare ne ullo modo juſſa faceret. Sed hic dicto heri ſui obſequens, & alveolum ocius afferens docuit Romanum belle ſe decepiſſe, ſi forte quæ verbis palam recuſaverat dulciaria, ipſe jam tacitus devoraſſet.

319. Non omittam argumentum deductum ex eo quod in eadem etiam lingua idem verbum prout conjungitur cum certis vocibus habet diverſum ſenſum ac conjunctum cum aliis. In terminis enim cujuscunque linguæ non omnes ſunt proprii, qui unam dumtaxat rem ſignificent, ſed alii ſunt univoci, qui pluribus etſi in eadem ſignificatione tribuuntur, cujusmodi ſunt nomina univerſalia, de quibus antiquiores dialectici tantopere diſputabant: alii æquivoci, quibus indicantur res quæ ne ſub eodem quidem proximo genere continentur. Nonne inquit in hac ipſa quæſtione Anonymus qui de origine linguarum differit apud Conſervatorem (3) hoc verbum *Son* nos Galli dicimus de Sono, de Furfure, & de re alicui propria? Nonne apud nos etiam Italos *di* tria poteſt ſignificare, ſcilicet *diem*, & *dic*, & patrium caſum? Nonne tandem Latini mundum ſumunt modo pro tota rerum creatarum univerſitate, modo pro ſolo terrarum orbe; modo pro ſolis hominibus, & modo etiàm pro non immundo. Alii tandem ſunt analogi, quos uſus obtinuit ut de diverſis rebus prædicentur propter aliquam inter ſe convenientiam, ut ſanum qui homini, pulſui arteriae, cibis, aeri, aliisque rebus tribuitur propter relationem aliquam ad ſanitatem. Alii quos equidem dicam æquivocos ex arbitrio per conſilium, ad aliorum differentiam, qui æquivoci ſunt ex arbitrio quidem ſed caſu, & æqui-

(1) He. Idea. to. 20 a pag. 163.
(2) Pa. de Bono l. 3 c. 54.
(3) Co. Septemb, 1757.

& æquivoci abſolute dicuntur. Igitur non natura ſed arbitrio ineſt verbis ſignificatio doctrinalis.

320. Tandem probatur, quia paſſim in linguis nomina maſculina aut feminina attributa ſunt rebus, quæ cum nullum ſexum habeant, neutrum ſibi vindicabant. Linguæ latina græca italica, aliæque paſſim exhibent hujusmodi nomina tamquam totidem demonſtrationes arbitrii hominum in eorum doctrinali ſignificatione. De modo quo hoc arbitrium ab hominibus exerceatur in ſtatuenda verborum doctrinali ſignificatione infra dicam opportunius.

321. I. Obiicitur. Hæc vocabula balare, boare, grunnire, mugire, & alia ipſo ſuo ſono exprimunt quodammodo ideas rerum quas ſignificant: ergo aliqua ſaltem vocabula habent naturaliter ſignificationem doctrinalem.

Reſp. cum Silveſtro Mauro (1) & Card. Ptolomæo (2) *tranſeat ans & nego conſeqm.* Nam hoc ipſum quod ſignificent id quod ſuo ſono aliquo modo exprimunt, habent ab hominum arbitrio, eorumque expreſſa inſtitutione, quemadmodum ipſamet vocabula demonſtrant, quæ a diverſis gentibus excuſa quidem ſunt a naturali earumdem rerum ſono, non tamen eodem modo. Itaque quod Latini dicebant Cuculus, Itali dicunt Cuculio; Galli Cocu, Germani Guckucku, & Græci Κoκκυς, in quo græco exemplo præter alia multa habetur grave argumentum pro pronunciatione literæ y ad modum vocalis u, ſicut aliqui contendunt faciendum. Hoc modo confutantur illi qui ſingula animalium nomina in lingua hebraica dicunt exprimere naturaliter præcipuam ipſorum proprietatem, adeoque ipſarum etiam proprietatum nomina naturaliter earum ideas excitare, cum hæc nomina ſint radices ex quibus nata ſunt illa animalium. Imprimis enim gratis ſupponunt eas radices habere doctrinalem ſignificationem aliter quam ex arbitrio. Deinde dico me quidem non credere vocabula quæ grammatici habent pro radicibus nominum animalium præceſſiſſe tempore nomina ipſorum animalium, cum mihi videantur hæ radices eſſe quaſi totidem abſtracta nomina eruta per reflexionem a ſtabilitis jam animalium appellationibus tamquam totidem concretis.

322. II. Obiicitur. S. Thomas dicit (3) *Cum voces naturaliter ſint ſigna intellectuum, innaturale & indebitum eſt, quod aliquis voce ſignificet id, quod non habet in mente*: Sed voces eſſe naturaliter ſignâ intellectuum eſt voces eſſe ſine ullius arbitrio ſigna doctrinalia: ergo

Reſp. *conc. mai. & diſt. min.* Si illud naturaliter ſumatur in ſenſu S. Thomæ *nego min.* ſecus *omitto min.* Dico igitur ſenſum S. Doctoris in objectis verbis eſſe hunc, cum voces ſive a natura nobis traditæ ut riſus & gemitus, ſive apprehenſæ a nobis per commercium ſeu ſocietatem civilem ſint

(1) Ma. Phil. l. q. 56 ad. 2.
(2) Pt. Phil. diſ. 22 Logic. phy. ſe. 3.
(3) S. Th. 2. 2. q. 110 ar. 3.

ſint juxta communem uſum qui naturæ cuidam æquiparatur, ſigna eorum quæ in mente habemus, facit contra id quod naturæ rationali convenit qui voce ſignificat aliud ab eo quod habet in mente.

PROPOSITIO III.

Verba quæ Adamo & Evæ primum innotuerunt, & quibus primum inter ſe uſi ſunt, habuerunt determinatam compoſitionem a ſola libera voluntate Dei: determinatam vero ſignificationem tum a voluntate Dei qui eam ipſis inſpiravit, tum a voluntate eorumdemmet hominum paciſcentium ſaltem tacite ſe iiſdem in poſterum uſuros verbis ad eaſdem res manifeſtandas.

323. PRopoſitio ſupponit primos homines Adamum & Evam habuiſſe veram & propriam loquutionem, quia de hoc Sacra Scriptura certiores nos reddit ut inferius conſtabit. Vitruvius qui revelationis cognitione caruit, arbitratus fuit (1) *primos homines ſine ſermonis articulati uſu diu in cavernis terræ ferarum inſtar habitaſſe, ac crebris nutibus ſpiritu vocali & voce rudi, animæ ſenſa deſignaſſe: & ſic demum ex eadem voce de eadem re ſæpius repetita vocem articulatam vocabula ſignificativa ac ſermonem ortum eſſe.* Eamdem opinionem ſequutus Horatius dixit (2)

Cum prorepſerunt animalia terris
Mutum & turpe pecus, glandem atque cubilia propter
Unguibus & pugnis, dein fuſtibus atque ita porro
Pugnabant armis, quæ poſt fabricaverat uſus,
Donec verba quibus voces ſenſusque notarent
Nominaque invenere.

Quod ſic cenſuerint Ethnici mirum non eſt. At quis non miretur eamdem opinionem proponi nuper ab Anonymo auctore Gallici libri *de Origine Idololatriæ* Pariſiis editi ann. 1737., de quo loquuntur Trevoltiani (3).

324. Cum igitur certum ſit in primis hominibus fuiſſe loquutionem, ſunt qui circa hujus inſtitutionem propoſitioni noſtræ adverſantur. Et primo in his ponitur S. Gregorius Nyſſenus, cui tribuitur, quod nullam linguam admiſerit (4) fuiſſe immediate a Deo, ſed ſolum mediate quatenus Deus eſt auctor hominis, cui dedit facultatem appellandi res quas ipſe condidit. Plures meminerunt de hac Nyſſeni opinione: Sed Ludovicus Thomaſſinus

(1) Vit. Archi. l. 2 c. 1.
(2) Ho. Sat. l. 1 ſa. 3.
(3) Tre. an. 1757 ar. 27
(4) Ny. c. Eunom. Ora. 2.

Digitized by Google

ſinus apud Tremblaium (1), & Claudius Fraſſen (2) falſo eam ipſi appingi pene demonſtrant.

325. II. Opponitur Richardus Simon Dieppæ mortuus anno 1717., ubi natus erat ante annos 74. in ſua plena erroribus *Hiſtoria Critica Vet. Teſt.* (3): Et Eximenus pro ſua opinione (n. 300.) de loquutione hominibus naturali: Et Ignatius Monteiro, qui ait Nyſſeni & Simonii ſententiam (4) *hodie tenent plurimi eruditi viri, & ſatis probabilis mihi videtur*. III. Opponuntur qui inſpiratas quidem credunt a Deo linguas, ſed nomina rerum quæ ſunt linguarum præcipua pars volunt eſſe ſigna, quæ ex natura ſua exprimant ipſam rerum eſſentiam, quam fuiſſe Cratyli & quorundam Hebræorum opinionem ſupra jam (n. 312.) vidimus. IV. opponitur Card. Ptolomæus, qui infuſionem quidem linguæ primis hominibus a Deo factam agnovit (5) *ita tamen ut vocabula non ſint ſignificativa ex lege Divina ſed ex arbitrio & placito humano*, quæ verba videntur ſignificationem inſpiratis vocabulis adnexam tribuere arbitrio primorum hominum non vero Divinæ voluntati.

326. I. Jam pro propoſitione arguitur ex S. Scriptura. Primus homo ſtatim a creatione audivit præceptum & comminationes, quæ ipſi Deus indixit per illa verba (6) *Ex omni ligno Paradiſi comede: de ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas; in quacunque enim die comederis ex eo, morte morieris*. Atque hæc fuiſſe verba & voces ſenſibiles narratio Scripturæ declarat, niſi detorqueantur a ſenſu obvio & naturali, quod ipſa Scriptura impedit, in qua legitur dictum de primis hominibus (7) *cum audiſſent vocem Domini ſui*, eademque ab Adamo probe intellecta eſſe dubitari non poteſt, tum quia Deus non loquitur fruſtra, tum quia deſcribitur (8) Adam optime memor præcepti, cum illud transgreſſus fuit: ergo primus homo nullam potuit habere partem in compoſitione illorum vocabulorum, neque aliam habere partem potuit in eorundem ſignificatione, quam acceptandi illam, quæ a Deo inſpirante ipſi proponebatur, & paciſcendi ſeu intra ſe ſtatuendi tacite ſaltem, uſurum ſe illis ſemper in poſterum ad easdem res manifeſtandas.

327. At inquiunt adverſarii. Deus cum hominibus loquitur diverſo modo ac homines inter ſe loquantur: ergo gratis dicitur Deum alloquutum eſſe primos homines per voces ſenſibiles & vera verba. Reſp. *diſt. ans*, Deus aliquando diverſo modo loquitur cum hominibus ac homines inter ſe *conc. ans*, ſemper *nego ans*. Apparitio Dei vel Angeli nomine Dei facta Adamo primum & deinde Adamo & Evæ poſt transgreſſionem ſui præcepti quando utroſque in judicium vocavit, & quæ pro ſe dicerent antequam condemnaret, voluit audire, habetur ab Interpretibus pro apparitio-

(1) Tr. des lang. c.3.
(2) Fr. Disq. biſil. l. 1 c.7.
(3) Si. l. c.14 & 15.
(4) Mo. Logic. n. 153.
(5) Pt. Ph. diſſ. log. phy. 13 ſe. 1 n.11.
(6) Gen. c.2 v 16.
(7) Gen. c. 3.
(8) Gen. c.3 v.12.

ne facta ſub apparenti corpore adeoque, etiam loquutio credenda eſt facta per vera & reſonantia vocabula modo inter homines uſitato, ſicuti verba Scripturæ ſonant.

328. II. Sic arguitur. Ambo primi homines ſtatim a ſua creatione declararunt ſibi mutuo varias ideas ſuorum animorum. Nam Adam notum fecit Evæ præceptum ſibi factum de abſtinendo a quodam fructu, & Eva dialogos habuit cum ſerpente, & deinde cum Adamo: ergo ea vocabula habebant ſingula particularem compoſitionem, aliaque ex his, alia ex illis syllabis, & particularem ſignificationem: ſed illa vocabula compoſitionem habere non poterant ab Adami & Evæ voluntate; Nam imprimis propter infinitas numero compoſitiones vocum quæ ab hominibus exprimi poſſunt, opus erat Deo determinante has potius quam illas: aliter primi homines ſibi relicti de aliis ſignis non cogitaſſent niſi de naturalibus, quibus ſuas ideas invicem communicarent; Nam natura animalis cogit ſolum ad ſonos connexos naturaliter cum ſignificatione alicujus propriæ experimentalis affectionis, atque hi ſunt qui declarant motiones appetitus ut timorem, lætitiam: tales demum propenſiones, quales apparent in brutis, ex quibus dumtaxat cum Lucretius aſſumat exempla, ut ſuadeat quod (1) *Varios lingua ſonitus natura coegit mittere*, hoc unum probat, quod ultro conceditur. Quare primi homines ſibi relicti ad ſummum poterant evadere pantomimi non vero colloquutores. Deinde ſola facultas loquendi, quæ eſt in homine non inclinat ad unam loquendi rationem, ſed eſt indifferens ad omnes quibus capax eſt ut conſtat experientia. Concluditur igitur illa vocabula habuiſſe ſuam compoſitionem a ſola libera voluntate Dei determinatam.

329. Hoc ipſum conficio etiam de eorumdem ſignificatione, quia ne hanc quidem habere poterant a ſola Adami & Evæ voluntate; Nam niſi Deus prædeterminaſſet illorum ſignificationem, eamque ambobus inſpiraſſet, non poterat utriſque ſtatim repræſentari eadem res; Vocabulorum enim quorumcunque compoſitio non eſt ex ſe determinata ad hoc potius quam aliud oppoſitum ſignificandum, ſed plane requirit voluntatis ſic ſtatuentis determinationem. Hinc una eademque vox ex dictis (n. 316.) invenitur diverſa ſignificare in diverſis regionibus: ergo cum primi homines nullam partem habuerint in compoſitione primorum vocabulorum, quibus ſtatim a creatione uſi ſunt, aliam habere non potuerunt ne in eorum quidem ſignificatione, niſi in conventione quadam de illorum uſu in poſterum pro iiſdem rebus manifeſtandis.

330. III. Arguitur cum citato jam (n. 323.) Auctore problematis de humana loquela (2), & cum Olao Borrichio in Diſſertatione *De cauſis diverſitatis linguarum*, quam laudat Carpovius (3), & cujus compendium dant Trevoltiani (4): Vocabula componentia quamcunque linguam ſunt ſigna

(1) Luc. l. 5.
(2) Ant. pag. 25.
(3) Ca. de perſ. ling. n. 20.
(4) Tr. ann. 1705 ar. 181.

Digitized by Google

ſigna arbitraria ex dictis (n.313.): ergo indigent aliqua cauſſa ipſis extrinſeca per quam reddantur ſigna rerum, quarum ideas volumus ſignificare: Atqui hæc cauſſa reſpectu primorum hominum alia eſſe non potuit niſi Deus, qui excitaverit easdem ideas ad tales ſonitus tam in loquente, quam in audiente; Nam hæc cauſſa non potuit eſſe mutuus conſenſus primorum hominum in acceptione talium vocum ad unum ſenſum determinata; cum ad conſenſum mutuum homanitus habendum, opus ſit non ſolum colloquutione, quam ante conſtitutam linguam repugnat haberi: ſed etiam diuturno tempore ut ipſi adverſarii (n. 323.) fatentur, quod a Scriptura non conceditur. Hoc argumentum egregie exornat Tremblaius (1), eodemque credo fuiſſe perſuaſos illos ex paganis, qui pro certo habuerunt Deum eſſe linguarum auctorem, in quibus eſt Quintilianus dicens, (2) *cui dubium eſt, quin ſermonem ab ipſa rerum natura geniti protinus homines acceperint?*

331. IIII. Nemo dubitat Adamum fuiſſe divinitus inſtructum ab ipſa creatione multiplici rerum ſcientia, & multi ſunt auctores, qui id pluribus declarant apud Kircherum, cum quo proinde concludi debet (3) *certum eſſe Adamum lingua quadam divinitus infuſa uſum eſſe*, quæcunque ea fuerit; Neque enim definite affirmari poteſt, ut multi faciunt cum Silveſtro Mauro (4) *Deum infudiſſe primis hominibus cognitionem linguæ hebraicæ*.

332. V. Scriptura loquitur de ſingulis ſex dierum operibus tamquam de creaturis in ſuo genere ſtatim a creatione perfectis: ergo duo primi homines non fuerunt ſtatim a creatione muti. Confirmatur hoc argumentum ex eo, quod ubi noſtra Vulgata legit Adamum factum fuiſſe (5) *in animam viventem*, aliqui apud Fraſſen (6) legunt *in ſpiritum loquentem*; in quibus eſt Chaldaicæ paraphraſis celeberrimus auctor Onkelos, quem multi eumdem volunt eſſe cum Aquila, qui græce reddidit ſacra biblia, & quidem probabiliter juxta Bonfrerium (7), ſecus vero juxta Io. Morinum apud Calmet (8).

(1) Tr. des Langu.
(2) Qu. l.3 c.2.
(3) Ki. Turr. Babel. l.3 ſec.1 c.7.
(4) Ma. Phil. l.1. qu.56
(5) Gene. c.2.
(6) Fr. Diſq. bibl. l.1 c.7 n.1.
(7) Bo. in Pentat. prælo. c.19. ſec. 1.
(8) Ca. Dicti. Scri. ar. Onkelos.

Digitized by Google

PROPOSITIO IV.

Exceptis primis verbis, quibus Deus Adamum alloqutus eſt, alia quibus ipſe uſus fuit nondum creata Eva habuerunt determinatam ſignificationem a libera voluntate Adami.

333. PRobatur. S. Scriptura antequam loquatur de creatione Evæ, narrat Deum adduxiſſe ante oculos Adami cuncta animalia (1) *ut videret quid vocaret ea; omne enim quod vocavit Adam animæ viventis ipſum eſt nomen ejus: appellavitque Adam nominibus ſuis cuncta animantia:* Sed hæc verba, *ut videret quid vocaret ea*, hoc eſt ut ſtatueret ſingularum nomina appellativa: & illud quod iterum iterumque affirmatur, *Adam vocavit, appellavit Adam* in ſenſu obvio & naturali denotant relictam fuiſſe ad arbitrium Adami ſaltem ſignificationem nominum quæ ſingulis animalibus impoſuit: ergo.

334. Propoſitio reſtringitur ad tribuendam Adamo ſignificationem dumtaxat nominum animalium non vero horum nominum compoſitionem, tum quia de hoc non habetur fundamentum in Scriptura, tum quia tot nominum affluentia, quantum pertinet ad illorum compoſitionem videtur potius ſuadere illam referendam eſſe in Deum auctorem, niſi forte excipiantur nomina, ſiqua Adam adhibuit in hujuſmodi appellationibus, derivata ex aliis, quæ dicuntur voces radicales, ut cum Cæli dicti ſunt Schammaim h. e. ibi aquæ, Sol Schames h. e. ibi ignis, & ſimilia. Hanc derivationem in nominibus animalium ſupponens Toſtatus apud Pererium (2) tribuit Adamo eorumdem etiam compoſitionem, quam pro infuſa ipſi ſcientia animalium & notitia plurimarum vocum ab eo credit deductam vel ex propria differentia ſpecifica vel ex naturali proprietate, vel ex motu vel ex figura vel ex peculiari aliqua operatione vel ex ſingulari & proprio accidenti.

335. Pro hac ſententia magni momenti argumentum eſt illud (3) *Formatis Dominus Deus cunctis animantibus terræ, & volatilibus cæli adduxit ea ad Adam, ut videret quid vocaret ea*, in quibus verbis apparet impoſitionem nominum fuiſſe Adami conſilio relictam. Eam amplexus eſt Kircherus (4) qui nihil aliud credidit exiſtimaſſe Platonem, quando ex dictis (n. 312.) docuit talia eſſe nomina in aliqua ſaltem lingua, qualis eſt ipſarum rerum natura. At quod pertinet ad linguam hebraicam, qui eam callent, obſervant contra illos, qui volunt eam fuiſſe linguam Adami in hujuſmodi nominibus nullam apparere derivationem.

336. Non

(1) Gen. c. 2 v. 19.
(2) Per. in Gen. l. 5 ad v. 20.
(3) Gene. c. 2 v. 19.
(4) Ki. Oedi. ægyp. to. 2 cl. 2 c. 1 diſ. 2.

336. Non ſolum autem Adam in promptu habuit ex Divina largitione totidem voces pro totidem animalibus, ſed præterea alte in memoria ipſius defixæ fuerunt cum adoptata pro ſingulis ſignificatione, ut deinceps iisdem ſine ulla oblivione uti potuerit & Evæ uxori ſuæ liberiſque uſu ipſo easdem transmittere. Namque quod dicitur, *ipſum eſt nomen ejus appellavitque nominibus ſuis*, nihil aliud ſignificat, quam animantibus ſingulis factum eſſe proprium nomen quod ipſis Adam tribuit. Quam enim aliqui interpretationem horum verborum afferunt, ut velint illas literarum combinationes, quibus nomina ſingula conſtabant denotaſſe per ſe ſine ullius mentis determinatione naturam & proprietates cujuscunque viventis reiicitur ut falſum ex dictis (n. 312.)

PROPOSITIO V.

Ab Adamo uſque ad confuſionem linguarum quæ accidit poſt diluvium una fuit omnium hominum lingua.

337. PRopoſitio eſt contra Incredulos qui ſicuti eos derident qui affirmant ab uno eſſe totum genus humanum, ita pro mente captis habent qui ab uno admittant fuiſſe certum ſermonis genus hominibns traditum. Ex his Lucretius inquit (1)

... Putare aliquem tunc nomina diſtribuiſſe
Rebus & inde homines didiciſſe vocabula prima,
Deſipere eſt.

338. Apud Chriſtianos autem ea tam communiter recepta eſt, ut ſint qui dicant Beatos poſt univerſalem corporum reſurrectionem una uſuros lingua eaque hebraica, quemadmodum una fuit olim lingua omnium hominum in terra: quod aliis etiam ſeu rationibus ſeu conjecturis conantur ſuadere relatis a Jo. Stephano Menochio (2). Proinde erroris accuſatur Philaſtrius, quod (3) ex arbitrariis interpretationibus quas confutant Pererius (4) & Fraſſen (5) ſtatuerit etiam ante confuſionem linguarum fuiſſe plures linguas, nec aliter illas confuſas fuiſſe niſi ſublata a ſingulis intelligentia, quam primi habebant de ceteris etiam linguis, quibus ceteroqui non utebantur, illud inſuper addens hæreticum eſſe aliter ſentire. Huetius hallucinationem paſſus eſt, dum (6) Philaſtrium non accuſatum dixit, ſed accuſatorem.

339. Propoſitio probatur primo quod pertinet ab Adami tempore uſque ad diluvium. Gratis diceretur aliam fuiſſe linguam inter homines ab Ada-

(1) Lu. l. 2 v. 1040.
(2) Me. Stuore p. 2 cent. 4 c. 66.
(3) Phi. de hære. n. 104.
(4) Per. in Gen. l. 16 n. 137.
(5) Fr. Diſq. Bib. l. 1 c. 7 n. 1.
(6) Hu. Dem. eva. pr. 1. c. 13 n. 1.

Digitized by Google

Adamo uſque ad diluvium præter illam quæ ipſorum auribus per nongentos triginta annos (1) quibus Adam vixit inſonuit: ergo. Obſervandum tamen eſt cum Bonfrerio (2) qui eodem olim uſus fuit argumento., & cum Kirchero (3), quod cum dico linguam unam fuiſſe inter illius temporis homines non excludo varietates quæ ſatis congruenter fieri potuerunt inter familias, quæ uſæ fuerunt ſatis frequenti inter ſe conſuetudine, rara vero vel nulla cum aliis diſtantia locorum aut morum diverſitate ſejunctis. Fuerint hæ quælibet, ſed eas nihilominus hujusmodi tuemur fuiſſe propter rationem allatam, ut non potuiſſent mutuam omnium hominum tunc viventium communicationem impedire, quod ſatis eſt ut una dicatur fuiſſe omnium lingua, quemadmodum Italica generaliter dicitur lingua qua Etruſci Romani aliique Italiæ populi utuntur, quia ſinguli ſeſe mutuo alloqui poſſunt & percipere aliorum ſenſus, etſi quot ſunt populi tot habentur dialecti.

340. Probatur jam quod pertinet a tempore diluvii uſque ad confuſionem linguarum ex expreſſo Scripturæ teſtimonio (4) *Erat terra labii unius & ſermonum eorumdem*, & infra cum ſermo ſit de ædificantibus civitatem & turrim Babel, ſcriptum eſt (5) *Ecce unus eſt populus & unum eſt labium omnibus*. Et quod ad hoc ædificium concurrerint omnes ſaltem moraliter homines expreſſe ſignificatur illis verbis (6) *Ibi confuſum eſt labium univerſæ terræ*. Accedit auctoritas Patrum in eumdem poſitum ſenſum accipientes verba Scripturæ, ut Chryſoſtomi (7) & Auguſtini (8). Accedit tandem hæc ratio, gratis ad minimum confingi homines deſcendentes ab uno eodemque parente ita mutaſſe linguam in qua educati fuerunt, ut diverſæ inter illos enatæ fuerint linguæ non ſolum quantum ad dialectos ſed etiam quantum ad ſubſtantiam. Quod enim ajebant Ethnici, qui revelationem ignorabant, diverſitatem in linguis eveniſſe a diverſitate climatum & regionum prorſus falſum evincit linguarum hodierna conſtitutio, quarum aliquæ eædem ſunt in locis tam frigidis quam calidis, tam planis quam montoſis; nec qui commercii cauſſa ex ſua regione in aliam toto cælo diverſam commigrant & commorantur, maternæ linguæ facile obliviſcuntur. Hanc rationem promovet Fraſſen (9) cum Abydeno & Maimonide.

341. Cum certum ſit ex Geneſi (10) confuſionem linguarum accidiſſe poſt diluvium in diebus Phaleg, cui Heber ejus pater hoc nomen impoſuit *eo quod in diebus ejus diviſa ſit terra*, non eſt ſine controverſia annus, in quo hæc confuſio accidit. Qui aſſumunt annum quo Phaleg natus eſt, exiſtimantes id plane inferri ex eo quod Phaleg appellatus fuerit ad ſignificandam diviſionem terræ, effectum neceſſarium confuſionis linguæ, numerant

(1) Gen. c.5 v.5.
(2) Bo. in Gen. c.XI. v.1.
(3) Ki Tur. Bab. l.3 c.1.
(4) Gen. c.11 v. 1.
(5) Gen. c.11 v.6.
(6) Gen. c. 11 v.9.
(7) Ch. hom. 30 in Gen.
(8) Au. de Civ. l. 16 c. 11 & alibi.
(9) Fr. Diſq bibl. l. 1 c.7 n.8.
(10) Gen. c.10 v.25.

Digitized by Google

merant annos centum & unum completos poſt diluvium. Qui vero annum ſumunt, quo Phaleg obiit, numerant annos trecentos & quadraginta, volentes cum S. Hieronymo apud Hervam (1) Heberum impoſuiſſe filio nomen ſignificans diviſionem terræ, quia divinitus prævidit eam fore ſub finem ejus vitæ, adeoque annis ab orbe condito circiter mille & octingentis juxta chronologiam in vulgata Bibliorum editione fundatam. In utraque opinione certum eſt confuſionem linguæ contigiſſe vivo adhuc Noe, ſiquidem (2) *vixit Noe poſt diluvium trecentis quinquaginta annis*. Quare erravit Comeſtor (3), ut advertit Pererius (4) qui id Noe jam mortuo dixit contigiſſe.

342. I. Obiicitur. Quod terra eſſet labii unius dici poteſt ſignificare tantummodo concordiam animorum, ſicuti illud quod deinde dicitur de confuſione linguarum, intelligi poteſt de diſcordia. Sic Jo. Clericus interpretatur, cui dicitur favere S. Gregorius Nyſſenus (5), approbantque Shuckfordius (6) ejusque interpres in adjectis notis.

Reſp. *nego ans*. Interpretatio adducta eſt violenta detorſio non ſolum illorum verborum ſed etiam eorum, quæ poſtea dicuntur (7), *Confundamus linguam eorum ut non audiat unusquisque vocem proximi ſui*: & infra (8) *Confuſum eſt labium univerſæ terræ*. Hæc autem detorſio non ſolum violenta eſt ſed repugnans, tum quia ſi confundere linguam idem ſit ac creare diſcordiam, jam ſit Deus qui auctor eſt pacis, auctor diſcordiæ, tum quia eſt contra probatos interpretes, immo contra communem ſenſum, cui nequicquam opponuntur ea Scripturæ teſtimonia, in quibus quod factum fuit ex communi conſenſu dicitur factum uno ore aut una voce; Nam ſicuti in his locis antecedentia & conſequentia evidens faciunt, eos loquendi modos nihil aliud ſignificare quam unanimitatem, ita hic *unum labium* ſignificare unam linguam, & *confuſum labium* ſignificare confuſam linguam, ut ibidem expreſſe etiam dicitur, eadem adjuncta evidenter demonſtrant.

343. Mitto ſingularem opinionem Philonis in libro de confuſione linguarum, qui putat non eſſe accipiendam in ſenſu literali confuſionem linguarum a Moyſe narratam, ſed in tropologico, quatenus ſcilicet ſignificet Deum malorum conſilia confudiſſe & perturbaſſe. Mitto etiam huic affinem Hutcheſonii interpretationem, qui contra omnes hebraici textus verſiones contendit in eo non dici linguam ſed religionem omnium hominum fuiſſe unam, eamque veram utpote ad cultum veri Dei directam, quam cum homines poſt diluvium voluiſſent commutare in cultum idolorum aggreſſi ſunt ædificium non jam turris ſed templi, quorum perverſa conſilia Deus diſſipavit, nato inter illos diſſenſu circa hujus novæ religionis objectum atque rationem. Hæc habet in Anglico libello ſæpius edito, *Epiſtola de quibus*-

(1) He. Idea. to. 16 c. 1.
(2) Gen. c. 9 v. 28.
(3) Co. Hiſt. Eccl.
(4) *Pe.* in Gen. l. 16 n. 1.
(5) Nyſ. Ora. 2 c. Eunom.
(6) Sh. Hiſt. du moud. l. 2 pag. 132.
(7) Gen. c. 11 v. 7.
(8) Gen. c. 11 v. 9.

Digitized by Google

quibusdam novis magni momenti cogitationibus, de quo videſis Bibliothecam Britannicam (1).

344. II. Obiicitur. Scriptura antequam narret ædificationem turris Babel teſtatur habitaſſe in diverſis terræ regionibus quoſdam nationum auctores (2) unumquemque *ſecundum linguam ſuam & familias ſuas*: ergo ante illam ædificationem jam erant plures linguæ inter homines & ſolum confuſio linguarum accidit in hominibus, qui ad turris illius conſtructionem convenerant.

Reſp. *conc. ans & nego conſeqm*, Nam Scriptura cum loqueretur de generationibus Noe, & numeraret ipſius filios & nepotes, addidit etiam notitiam earum regionum, quas ſinguli incoluerunt, ſed poſtquam invicem fuerunt ſeparati, de qua deinde ſeparatione ejusque cauſſa diſtinctius loquitur. Legenti utrumque caput Geneſeos decimum & undecimum patebit hunc eſſe genuinum ſenſum, quem confirmat S. Auguſtinus apud Natalem Alexandrum (3).

PROPOSITIO VI.

Deus auctor fuit confuſionis linguæ apud Babel in pœnam alicujus hominum culpæ: & auctor vocum in novis linguis quæ neceſſariæ ſunt ad vitam ſocialem: aliarum autem quæ ſic neceſſariæ non ſunt, auctores fuerunt ipſi homines.

ARTICULUS I.

Confuſio linguæ apud Babel fuit a Deo vindice.

345. DEum confudiſſe linguam apud Babel ſtatuimus I. contra ridiculam veterum Materialiſtarum opinionem, qui ut refert Euſebius (4) quemadmodum homines & omne genus animalium ex humo per vim ſolis ceu fungos erupiſse docuerunt, ita pariter varietatem linguarum dixerunt natam eſſe ex diverſis in diverſis regionibus hoc modo natis hominibus. II. eſt contra aliquos, qui proximas cauſſas efficientes hanc confuſionem volunt fuiſſe Angelos, quorum omnium fundamentum eſt apud Davidem Ziegram (5) qui illos confutat, quia Scriptura dicit (6) *Deſcendamus & confundamus linguam eorum*, quæ eſt loquutio directa a Deo aliis a ſe diſtin-

(1) Bi. to.6 p 2 art.2.
(2) Gen. c.10 v.5.
(3) Al. Hiſ. Ecc. to 1 Diſ.5 pr.3.
(4) Eu. Præp. evan l.1 c.7.
(5) Zi. de confuſ. lin. in p. 2 Theſauri Theologico. Philoſ.
(6) Gen. c.11 v.7.

Digitized by Google

diſtinctis, qui alii eſſe non poterant quam Angeli. At hoc fundamentum nullum eſt, tum quia etſi Deus eſt unus quantum ad naturam, eſt tamen trinus quantum ad perſonas, & ad hoc ipſum myſterium ſignificandum juxta Interpretum obſervationem Scriptura hic plurali numero utitur: tum quia ſi homines ipſi præſertim principes de ſe loquentes numero utuntur plurali magnificentiæ cauſſa, multo magis id Deo convenit. III. eſt contra Schuckfordium, qui cauſſam hujus confuſionis proximam & naturalem facit homines cerebroſos, qui conſpirarunt in turris ædificationem, quatenus ipſorum aliqui pro novis ideis nova excogitarunt vocabula, quæ ab aliis recepta non fuerunt, unde nata primum eſt mutua ſeparatio, & deinde continua linguæ primevæ immutatio. Trevoltiani (1) laudant hujus opinionis impugnationem quam habent Auctores hiſtoriæ univerſalis, & Auctor Anonymus operis *De Religione naturali & revelata* in diſſertatione 19.

346. Itaque Deum ipſum fuiſſe auctorem confuſionis linguæ probatur cum Proſpero ab Aquila (2) ex ſacra Scriptura, quæ expreſſe dicit id Deum feciſſe occaſione turris (3) cujus ædificationem homines poſt diluvium antequam dividerentur in univerſas terras ſuſceperunt, *Confundamus ibi linguam eorum ut non audiat unusquisque vocem proximi ſui, atque ita diviſit eos Dominus ex illo loco in univerſas terras ... Idcirco vocatum eſt nomen ejus Babel, quia ibi confuſum eſt labium univerſæ terræ*: quæ accipienda eſſe prout ſonant, exigit, inquit Pererius contra Philonis (n. 343) opinionem (4), omnium tam Hebræorum quam Chriſtianorum auctoritas innixa in ſacro Geneſis libro evidenter hiſtorico: Et confirmant Ethnici aliqui auctores, quos producit Fraſſen (5), qui mentionem faciunt de una olim lingua omnibus communi, & de ortu deinde plurium linguarum tamquam Divina vindicta de magnis hominum ſceleribus: ergo novæ linguæ ortæ in confuſione linguæ habuerunt Deum auctorem.

347. Venio ad aliam propoſiti articuli partem, quæ affirmat primæ & univerſalis linguæ confuſionem fuiſſe poenam alicujus illorum hominum peccati. Id negat Toſtatus (6) cui conſentiunt Perizonius & Angli Hiſtoriæ univerſalis Auctores apud Trevolt. (7) non acquieſcentes iis qui veſanam inanis gloriæ libidinem videntur ſibi videre propoſitam a Scriptura, ubi narrat illos dixiſſe (8) *Venite faciamus nobis civitatem & turrim, cujus culmen pertingat ad Cælum, & celebremus nomen noſtrum antequam dividamur in univerſas terras*. Toſtatus enim contendit ea verba ſignificare dumtaxat finem ſuſcepti operis fuiſſe nominis commendationem, in quo nullum eſt ſcelus, ſicuti nullum pariter habetur in ædificanda civitate & turri. Hæc ratio opportuna eſt ad excludendam hanc culpam, cui alia accedit, quam

T adver-

(1) Tr. ann. 1753. ar. 85 & ann. 1759. ar 34.
(2) Aq. Diz d Biobia, ar. Babel.
(3) Gen. c. 11.
(4) Pe. in Gen. l. 16 n. 132.
(5) Fr. Diſq. libl. l. 1. c. 7 n. 2.
(6) Toſ. in Gen. c 11 q. 8.
(7) Tre. an. 1758. art. 41.
(8) Gen. c. 11 v. 4.

Digitized by Google

advertit Hervas (1) deſumpta a qualitate punitionis, quæ non præfefert eſſe de crimine ſuperbiæ. Hoc enim potius manifeſtaſſet diruto per turbinem vel terræmotum ædificio. Sed hujusmodi culpa ſublata non tollitur alia alterius generis. Itaque non eſſe in hac re audiendum Toſſatum dicam cum Natali Alexandro (2) quia opponitur doctrinæ Patrum, qui confuſionem linguæ docent fuiſſe poenam a Deo omnis culpæ vindice inflictam. Hæc autem culpa in eo invenitur, quod exequi negligerent præceptum datum Noe & filiis ejus per ea verba (3) *replete terram*. Interpretes ut Pererius (4) qui quærunt cujusnam culpæ poena fuerit confuſio linguarum non debuiſſent oblivisci hujus præcepti, de quo reipſa meminit in hac re Fraſſen (5) poſt Ioſephum Hebræum (6) & in ejus prolata vitioſe & fortaſſe etiam impie exequutione jam habetur culpa apertiſſima quam ſignificat ipſa Scripturæ narratio (7) *Dixerunt venite faciamus turrim, & celebremus nomen noſtrum antequam dividamur in univerſas terras*. Quis enim neget in his verbis adſcribi culpæ non cogitatio utcunque de gloria acquirenda per inſigne aliquod monumentum, ſed cogitatio conjuncta cum altera de dilatione diviſionis in univerſas terras ipſis præſcriptæ. Quæ eſt vitioſa cogitatio.

348. Quod in hunc locum Pluche (8) dicat textum hebræum non reſpondere Vulgatæ, quæ illum minus bene interpretata eſt, quicquid viſum ſit Septuaginta qui Vulgatæ conſentiunt, neſcio quonam modo aut ſine dicat. Hoc unum ſcio quod ita loqui non poteſt Catholicus, qui Vulgatam tenet pro authentica. Quod rurſus alii confutati a Samuele Bocharto (9) alterius generis culpas commenti ſint in fine aliquo ſcelerato, quem illis ædificanribus attribuunt, qualis fuit quem Hutcheſonius ex dictis (n.343.) confinxit, rejicitur ſaltem tamquam gratuitum. Ille enim vero ædificandi turrim, quæ cælum pertingeret tum ad effugiendum novum diluvium, tum ad vindicandum jam illatum contra Deum ibidem quaſi in arce quadam commorantem, non ſolum impius eſſet ſed etiam ſtultus; Nam quando Nembrod filius Chus hunc perſuaſiſſet ut vult Joſephus (10) qui eum facit præcipuum auctorem hujus ædificii, jam neceſſe eſſet ſibi fingerent tellurem non tamquam globum ſed tamquam maſſam immenſæ profunditatis perforatam ab ortu ad occaſum ad explicandum conſtantem ad eamdem Cæli partem Solis reditum poſt ejusdem ex oppoſita parte quotidianam occultationem.

349. Hoc interea manifeſtum eſt non eſſe conſilium contra Dominum, qui eos coegit actutum obedire, impedita familiarum inter ſe communicatione

(1) He. Idea. to. 16. c.1.
(2) Al. Hiſt. Aet.2 diſ.5. pror.
(3) Gen. c. 9 v.1.
(4) Per. in Gen. l 16 n.44.
(5) Fr.Diſq. bib. l.1 c.7 n.2.
(6) Joſ. Antiq. l. 1 c.5.
(7) Gen. c.11 v.14.
(8) Plu. Spect. de la nat. to.8 Certi. de l'hiſt. ſaint. n.21.
(9) Bo. Geogr. ſac. p.1. l.1. c.14
(10) Joſ. Antiq. l. 1. c.5.

Digitized by Google

tione per linguarum multitudinem, quæ tunc primum repente extitit cum incommodo hominum non mediocri, quippe ut inquit S. Auguſtinus (1) *Linguarum diverſitas hominem alienat ab homine, quando quæ ſentiunt, inter ſe communicare non poſſunt propter ſolam linguarum diverſitatem. Nihil prodeſt ad conſociandos homines tanta ſimilitudo naturæ ita ut libentius homo ſit cum cane ſuo, quam cum homine alieno.* Et S. Io. Chryſoſtomus (2) *Quibus non eſt idem ſermo & lingua quomodo cohabitare poſſunt?* Quemadmodum autem tunc una familia ſeceſſit ab alia, quando non poterant amplius habere inter ſe ſocietatem impedita communi loquela, inſtrumento neceſſario ad fovendum familiare commercium, ita nunc ex eadem ratione ſingulæ gentes in ſuis quæque locis, in quibus naſcuntur, efficaciter retinentur. Quando hoc quaſi vinculo liberatæ eſſent, deſertæ brevi evaderent regiones aliquæ minus felici ſolo gaudentes commigrantibus alio ſenſim populis.

350. Multi plaudunt ſibi, quod viſa a ſe ſint turris babelicæ (3)

.... Opera interrupta, minæque
Murorum ingentes, æquataque machina cælo.

In his eſt Petrus de Valle, qui de iis quæ ipſe habuit pro ejus ruderibus, & ſedulo inſpexit, accuratam delineationem & deſcriptionem dedit magno ſui amico Kirchero, qui eas retulit in ſuo de Turri Babel opere (4) Sunt & alii de quibus idem Kircher & Calmet (5), & Carolus Errà (6) meminerunt, qui tamen omnes advertunt, nihil de hac re prudenter ſtatui poſſe ab eo, qui conſideret deleta prorſus eſſe vetuſtate veſtigia ipſius Babylonis urbis celeberrimæ etiam propter ædificiorum magnitudinem, in cujus regione ex conſenſu ſcriptorum coepta fuit hujuſmodi turris conſtructio.

ARTICULUS II.

Solæ novarum linguarum voces neceſſariæ ad vitam ſocialem fuerunt a Deo.

351. DEum fuiſſe auctorem vocum cujuscunque linguæ, ſine quibus nulla poteſt eſſe hominum ſocietas ſic oſtenditur. Confuſio linguarum peperit diviſionem humani generis in diverſas regiones juxta illud (7) *Confuſum eſt labium, & deinde diſperſit eos Dominus ſuper faciem cunctarum regionum*: Atqui hæc diviſio non poteſt intelligi de ſeceſſione ſingulorum a ſingulis, ſed familiarum a familiis: ergo perſeveravit in ſingulis familiis mutua vitæ ſocietas: ergo infusæ fuerunt ſingulis illarum familiarum nova verba neceſſaria ad habendam inter ſe vitæ ſocietatem, quæ proinde jure creduntur pauca fuiſſe. Quod vitæ ſocietas, qualis inter

(1) Au. de Civi. l. 19 c. 7.
(2) Chr. hom. 30. in Gen.
(3) Virg. l. 4. Aeneid.
(4) Ki. l. 2 ſec. 3 c. 10.
(5) Ca. dict. ar. Babel.
(6) Er. Hiſt. utriusq. teſt. l. 1. c. 11.
(7) Gen. c. 11 v. 4.

Digitized by Google

eas erat antea, poſtulet, ut ſingulæ haberent ſtatim aliquam linguam ſuadetur ex eo, quod nimis miſera ea fuiſſet, & quidem diu, ſi expectare debuiſſent ut induſtria ſua linguam unaquæque familia ſibi conderet. Quid quod ſupra (n. 306.) concluſum fuit eſſe ſupra vim mentis humanæ ex integro linguam excudere apud eos præſertim, quibus ea quam olim habebant penitus ſublata ſit, qui ab iis non differunt, qui nullam habent, quandoquidem omnis lingua poſtulat multa diverſa nomina & verba, certasque ſingulorum inflexiones ad ſignificandam varietatem circa rerum numerum tempus & modum: quanto autem magis idem concluditur de linguis quæ his ſupra ceteras abundent.

352. Novimus enim aliquas linguas ſingulare præſeferre artificium, in quo ediſcendo dum docti & in alia lingua jam exercitati defatigantur, vulgus rude & incultum, cui nativæ ſint hæ difficiles linguæ, eo facile utitur. Buſching (1) in Iroquiis & Kiliſteniis nationibus Americae borealis, ſed barbaris admiratur linguam plenam vi & harmonia, & cujus ordinata conſtructio poſſit facile per grammaticam oculis ſubiici & ſtabiliri. Mirabile pariter artificium teſte Herva (2) reperitur non ſolum in lingua nationum Americanarum, quæ inter populoſas locum habent, ut nationes Peruana & Mexicana & aliæ, ſed etiam in iis quæ tenues ſint, ut Maipura, & Tamanaca circa magnum Orinoci flumen poſitæ. Maipuri teſte Gilio, qui apud eos diu vixit (3) alio nomine indicant numerum hominum, alio eorum, quæ ad ſupellectilem pertinent, & alio eorum, quæ ad dies & tempus. Mirabilis ſane copia. Mirabilior hæc in lingua Japonum, in qua ſunt diverſa nomina pro numeris dierum noctium lunarum annorum menſurarum aliarumque rerum, quæ videſis apud Hervam (4). Iidem Maipuri ſingulis manus digitis tribuunt nomina, quæ eorum uſum præcipuum eleganter declarant, cujusmodi eſt illud pollicis, quod vertas patrem digitorum, & illud indicis, quod eſt digitus demonſtrans: Tertius nomen medii habet, quartus nomen digiti pro anulo, & ultimus nomen digiti parvi. Quis horum nominum inventionem tribuat hominibus ab omni mentis & corporis contentione alienis?

353. De lingua quam habent Botoi, gens Americæ meridionalis, eorum olim evangelicus cultor Padilla petenti Hervæ (5) ea dedit monumenta, quæ præclaram explicant ſyntaxim. Lingua Vilela in eadem regione Americana conſtanter ponit poſt nomina tam præpoſitiones quam articulos, quæ in lingua Latina & Italica ſecus ponuntur. Plures linguæ ut Peruana Aimara Araucana (6) per interpoſitas in ipſis verbis quasdam ſyllabas ſignificant modos actionum, quos latini per adverbia vel per conjugationem exprimunt. Sed de admirabili diverſarum linguarum compoſitione certior quisque fiet ab ipso Herva, qui ad hunc etiam finem ut Deum

(1) Bu. Geogr. to. 31.
(2) He. Idea. to. 18 n. 235.
(3) Gi. Stor. amer. to. 2 l. 4 c 28.
(4) He. Idea. to. 19 a n. 312.
(5) He. ibid. n. 205.
(6) He. Idea. to. 21 n. 2.

Deum illarum auctorem demonſtraret, orationem quam nos docuit J.Chriſti propoſuit (1) in plusquam tercentis linguis cum ſubjecta ſingulis in italicam linguam verſione ad literam, additisque identidem opportunis animadverſionibus. Potuit hoc ipſe opus perficere edoctus circa linguas exoticas præſertim Americæ ab iis, qui in ditione Pontificia nunc commorantur, & ibi diu vineam Domini excoluerunt; & circa alias conſulens vel peritos; vel grammaticas, vel alia adiumenta, quæ vir ſagaciſſimus, & nullo deterritus labore undique conquiſivit. Hac ratione omnes ſuperavit, qui ante ſe collectionem hujus Dominicæ orationis in multis linguis dederunt non ſolum quia nemo tot protulit, ſed multo magis quia ipſe ſingulis ſubiecit verſionem ad literam, quod alii non fecerunt. In his ſunt Gulielmus Poſtel qui eam dedit in linguis duodecim Pariſiis anno 1538., & iterum Ticini anno proximo curante Theſeo Ambroſio cum additionibns: Et Angelus Roccha Romæ anno 1591. in linguis ſex ſupra viginti: Et Hieronymus Megiſerus Francofurti anno 1599. in linguis quadraginta, & ibidem iterum anno 1650. cum additione decem linguarum: Et Andreas Muller Berolini anno 1680. in centum circiter: Et Chamberlayn anno 1715. in centum & quinquaginta: Et iterum additis qinquaginta Lipſiæ anno 1748. aliique de quibus meminit Hervas (2). Buſching ex notis ſibi aliquarum linguarum dotibus apud gentes, quæ barbaræ inventæ ſunt, intulit eas olim fuiſſe optimis diſciplinis excultas, ſed Hervas (3) hanc illationem reſpuens utpote nullo innixam fundamento, quin immo excluſam a contraria traditione, & aliis monumentis, melius infert eas eſſe linguas quæ ipſis divinitus infuſae fuerunt in confuſione linguarum.

354. Vrgetur hoc argumentum ex eo, quod obſervemus linguas natas ex aliis, quæ difficili in declinationibus & conjugationibus artificio contextæ ſunt, illud ex omni omnino parte non conſervaſſe. Teſtis eſt lingua italica filia latinæ, quæ uno dumtaxat modo in omnibus caſibus nomen exprimit, illorum differentiam proponens per appoſitos articulos: & per verba auxiliaria habeo & ſum, quæ præmittit eidem verborum terminationi ſeſe expedit a plurium temporum conjugatione. Igitur tantum abeſt, ut diverſas inflexiones in ſingulis nominibus & verbis pro diverſis numeris & temporibus fuerint hominum inventiones, ut ab iis etiam ex parte ipſi naturaliter deſueſcant.

355. Pro hac infuſione linguarum tamquam manifeſto ſolius Dei opere non exigui momenti argumentum etiam eſt, obſervatum eſſe vocabula pro rebus, a quibus omnes ubique gentium homines afficiuntur, habere in omnibus linguis non quidem easdem re & numero literas & ſyllabas, ſed iis non carere, quæ omnium aptiſſimæ ſunt ad ipſarum proprietates exprimendas. Ita quia vocales A & O altius reſonant, alterutra reperitur in omni cujuscunque linguæ dictione quæ ſignificet, quod latine dicitur magnum

(1) Her. idea. to. 21.
(2) He. Idea. to. 21 n. XLII.
(3) He. Idea. to. 18 n. 201 & to. 21. n. VIII.

magnum, & in ſyllabis quæ adduntur ad denotandum earumdem rerum augmentum, ut videmus in italicis verbis grandone, grandaccio, omaccione, omaccio. Rurſus quia vocales E, & I, & V ſonum habet exilem aut obtuſum, una ex his utuntur linguæ in diminutivis. Hoc videmus in latinis lapillus, columella, puerulus, & in italicis ſaſſolino, colonnetta, fanciullino.

356. In pronunciatione vocalis u, & multo magis in illa conſonantis v bombus quidam editur illi ſimilis, qui per ventum producitur. Atque alterutra reperitur in nomine quo ventus ſignificatur ex Hervæ obſervatione in linguis (1) plusquam quadraginta. Dum lingua profert conſonantem R, labitur quodammodo & tremit, & neſcio quid terrificum ſonat, & eſt in elementis vocum, quæ quid ſignificent quod labitur vel tremit vel terret. Exemplo ſunt in latina lingua curro, tremo, terreo. Homo ſibilat aliquo modo, dum pronunciat conſonantem S; opportune proinde hanc habent ea nomina, quæ quid enunciant quod ad aerem relationem habet ut videmus in latinis ſpiro, ſono, ſugo. Conſonans T neſcio quid firmum validum ſtabile ſeu permanens ſonat, eaque invenitur in nomine terræ & ſtellæ, aliarumque rerum, quæ has præſeferant qualitates. Atque quia litera T tranſit facile in D, utpote quæ ambæ indigent eisdem vocis organis, D reperitur in nomine terræ aliarum linguarum viginti quatuor, & in illo ſtellæ aliarum linguarum octo. Hervæ pariter eſt hæc obſervatio, apud quem videſis quæ ſint hæ linguæ.

357. Organa ad diſtinctam loquelam neceſſaria ut ſupra jam (n.40.) adverti, ſingula in omnibus fere linguis habent nomen in quo aliqua ex literis reperitur, quæ illis indiget ad bonam ſui pronunciationem. Itaque quia N eſt ex literis, quæ opus habent naribus, hanc adhibent linguæ ſeptem ſupra ſexaginta in earum appellatione: Et quia D, T, & Z ſunt literæ dentales, ex his unam vel plures habent in dentis nomine multæ linguae, D & T reperit Hervas (2) in linguis viginti, T ſolam in quatuordecim, ſolam D in undecim, & ſolam Z in octo.

358. A literis transeamus ad ſyllabas. In his occurrunt Ca, Co, Cu, quae per vocem expreſſae ſonum edunt quaſi e concavo erumpentem. Quare opportune inveniuntur in verbis, quae quid cavum ſignificant, ut in his cavum, concavum, vacuum. Syllabas in quibus ſint conſonantes labiales aut dentales, invenias in nominibus eorum, quae cum fragore conjunguntur, ut vides in tonitru, ſtrepitu, bombo, quoniam in earum pronunciatione neceſſario ſequitur bombus quidam & fragor. Exempla haec ſufficiant, quae obſervavi in vocibus latinis, Socrates apud Platonem in Cratylo ſimilia eruit ex graecis, & Hervas (3) in permultis linguis, Haec autem apta conſonantia literarum, quae nomina componunt cum ipſis rerum qualitatibus aut effectis in omnibus linguis, quae primigeniae jure credun-

(1) He. Idea. to 20 n. 254.
(2) He. Ibid. n.251.
(3) He. Idea. to. 18 a n.36.

Digitized by Google

creduntur, ſive ut loquar cum citato Platone in Cratylo *hoc ſecundum literas & ſyllabas rebus ſingulis accomodatum ſignum nomenqae*, non poteſt tribui caſui, in quo nulla eſt conſtantia, neque hominum arbitrio, quod tantopere varium videmus in reliquis literis totum nomen componentibus; Igitur Deo tribui debet, qui ex his literis tamquam ex appoſito quodam ſigillo voluit agnoſci primum linguarum omnium inſtitutorem.

359. Huic argumento ſimile eſt, quod deſumitur ex iisdem literis vel ſyllabis, quæ reperiuntur in nominibus quarumdam rerum, quas omnes homines eodem modo cognoſcunt quin ad earum electionem in ipſorum compoſitione dici poſſit incitatos fuiſſe a cognita quadam majori aptitudine ad exprimendas aliquo modo ipſarum rerum proprietates qualem obſervavimus in ſuperiori argumento. Tot gentium diverſarum idem uſus aliquorum elementorum pro ejusdem rei nomine in lingua ſingulis propria ſuadet a Deo illum eſſe non ab ipſo hominum arbitrio. Itaque appellatio menſis obſervante Herva (1) habet literam M in quinquaginta diverſis linguis: illa mortis pariter eſt cum M in linguis plusquam triginta: & illa nominis (2) eſt ex radicali quæ reperitur in linguis centum & viginti. Syllabam Ma habet nomen matris in quadraginta, omiſſis linguis bene multis, quæ M quidem habent, ſed conjunctum cum alia vocali, & illis pariter omiſſis, in quibus N eſt pro M propter facilem tranſitum ab una ex his literis ad aliam: nomen patris ex eodem Herva (3) novi habere ſyllabam Pa, vel Ba, vel Va, vel Ta, nam facilis eſt unius ex his conſonantibus in alteram commutatio, in diverſis linguis plusquam centum. Ex his circa linguarum indolem animadverſionibus paſſim jam concludunt auctores linguas opus eſſe Divinum. Sic Claudius Duret (4), mortuus anno 1611., & Stephanus Morinus (5), & Gebelin (6) quem Vallanceius epiſtola data ann. 1785. quam Hervas refert in volum. 18. ſuorum operum pag. 86. dolet nuper extinctum, quos idem Hervas (7) ſequitur.

Articulus III.

Voces non neceſſariæ ad vitam ſocialem inventæ ab hominibus fuerunt.

360. TRibuendam eſſe ipſis hominibus inventionem vocum, quae non sunt omnino neceſſariae ad vitae ſocietatem ſic probo. Experientia quotidiana conſtat eſſe in hominibus arbitrium nova vocabula effingendi ad ſignificandas ideas, quas de rebus prius vel non obſervatis, vel deinde excogitatis ex occaſione minuendi vitæ incommoda, vel evitandi nova pericula, vel indulgendi audacibus poſtulationibus inſatiabilium cupiditatum concipiant. Et novimus ab Horatio quod (8)

... *Li-*

(1) He. Idea. to. 20 n. 172.
(2) He. Idea. to. 21 n. IV.
(3) He. Idea. to. 18 n. 155.
(4) Du. Theſaurus hiſt. ling.
(5) Mo. Exercit. de ling. primitr.
(6) Ge. Mund. primit. & orig. ling.
(7) He. Idea. to. 21 n. V.
(8) Ho. de Arte.

Digitized by Google

... Licuit ſemperque licebit
Signatum præſente nota producere nomen.

Sed nihil obſtat idem dici accidiſſe primis illis diſtinctis hominum ſocietatibus, nimirum unamquamque prout artes diſciplinasque in dies perficiebat, ſibi ſuisque poſteris linguam, quae ſibi obtigit ditaſſe novis vocabulis, quæ novas obſervationes ſeu cogitationes ſignificarent, ſine quibus ſocietates quidem erant, ſed rudes admodum & imperfectae: ergo vocum quae neceſſariae non ſunt ad ſocietatem aliquam vitae, auctores fuerunt ipſimet homines.

361. Ubi notandum eſt hujusmodi novorum vocabulorqm formationem non jam factam fuiſſe per legem aliquam ab illorum hominum vel conſilio vel principibus ſive patribus familias latam, cujus vi non liceret ſine nota vel oblivionis vel ignorantiae aliter illis uti, quam in ſtabilita ſignificatione. Res non aliter accidit, quam eo modo, quo quotidie in linguis videmus accidere. Aliquid novi quis primus excogitat, quod novo conſequenter vocabulo donat; (1) *Verba enim i* quit Cicero, *parienda ſunt, imponendaque nova novis rebus nomina*. Atque alii deinceps ejusdem rei ideam ſibi comparant, idemque nomen adoptant, remque cum nomine inter alios communicando, fit, ut ex unanimi totius populi ſententia conſtanter adhibeatur eadem determinata vox ad ſignificandam eam ideam, quæ in determinatis circumſtantiis eadem in omnium animis naſcitur.

362. Fontes unde homines hauriunt nova vocabula ſunt plures. In his eſt duorum vocabulorum in unum conjunctio. Sic a manu & capio fit mancipium, a manu & mitto manumitto, a trans cum alio ſive verbo ſive nomine multa nata ſunt, ut tranſitus, translatio, & celebre tranſubſtantiationis nomen, quod a Catholicis excuſum fuit, & a Concilio Tridentino (2) declaratum aptiſſimum ad ſignificandam præſentiam J. Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini in Euchariſtiæ ſacramento per converſionem totius ſubſtantiæ panis & vini in ejus corpus & ſanguinem, & excludendam antiquiorum hæreſim renovatam a Calvino, quæ hanc præſentiam negat, aliamque excuſam a Luthero, quæ eam præſentiam admittit una cum ipſius panis & vini ſubſtantia. Aliud eſto magis vulgare exemplum in his vocabulis Thermometrum & Barometrum, quæ primum excuſa tempore Torricellii nota diu fuerunt ſolis philoſophis, nunc vero ne ab ipſis quidem idiotis ignorantur.

363. Aliud in arte quæ circa dimidium ſæculi decimiquinti inventa fuit, ut refert La Combe (3) poſt Philippum Baldinuccium (4), qui ejus auctorem dicit Maſum Finiguerrium Florentinnm, qua ſcalpro chalybeo inciduntur in laminis cupreis imagines rerum, quæ deinde in chartam per impreſſionem transferuntur. Hujus artis nomen apud italos Romæ ſaltem vulgare eſt a duobus græcis vocabulis deſumptum Calcographia, & aliud *ſtampe*

(1) Cic. de Fin. l. 3 n. 3.
(2) Tr. ſeſſ. 15 can. 2.
(3) Com. Diz. d. arti. ar. Acqua forte.
(4) Ba. Art. d. intagl. in vita Dureri, e Vocab. del diſegn. ar. Niello.

ſtampe in rame duobus italicis. Vtrumque nomen olim incognitum, ſicut alia multa, quæ ad totum iſtud artificium, aliaque huic ſimilia deinde inventa, tunc primum cum re excuſa fuerunt, illaque conſenſus hominum, quem uſus ipſe facit & indicat jam confirmavit, ita ut quiſque nunc intelligat, alius quidem minus diſtincte, alius vero magis quid ideæ debeat reſpondere in ſua mente cum audit Calcographiam, ſive ſtampe in rame. Interea nullus dubitat, quin potuiſſet aliter appellari nova hæc pingendi ratio & ſimili aliorum conſenſu confirmari.

364. Sed veniamus ad alios fontes. Talis eſt imitatio conſtructionis, quam videmus factam in aliis nominibus aliarum rerum, quæ ſimili qualitate prædita ſunt illi, cui nomen jam quærimus. Ita quia lapillus a lapide, puerulus a puero videmus derivata, ſimiliter facta ſunt data occaſione diminutiva tantillum a tanto, buccula a bucca & parmula a parma, quæ recentioris debuerunt eſſe inventionis, utpote de rebus non obviis. Talis pariter eſt aliqua unius rei cum alia ſimilitudo. Sic ab ore fuit appellatum oſtium, quoniam utrumque claudi & aperiri ſolet, & ab oleribus adoleſcens, cum in quovis homine pateat ſenſibus ſimile ad certum tempus incrementum. Hervas (1) obſervavit nomen caeli in permultis linguis eſſe idem vel fere idem cum vocabulo, quod ſignificet rem altam. Ita altitudines in lingua hebraica dicuntur *ſsamaim*, quam vocem habet in eadem lingua Oratio dominica, ubi latini dicunt in cælis: & apud Anglos *to heave* eſt latine extollere, & *heaven* eſt caelum: & a latinis caelites dicti fuerunt ſuperi ab adverbio ſupra.

365. Talis eſt etiam unius rei ab alia dependentia obvia vel ſenſibus vel menti quae non ſit ſtupida. Ita a gula venit guloſus, a vite vinum, ab ore oſculum, & quia manus & pedes ſunt prae ceteris membris actuoſa, ipſorum actiones in omnibus linguis appellationes habent, quae manifeſte ſunt ab eorum proprio nomine. In his exemplum habemus verborum quae ex obvia ſenſibus dependentia dici poſſunt ab hominibus inventa. De iis quae ipſi iidem excudere potuerunt ex animadverſa dependentia a rebus, quae nomina habuerunt ipſis divinitus infuſa, ſint illa diei anni & menſis. Dies enim & annus in multis linguis apud Hervam (2) habent nomen a ſole, quoniam quivis non omnino hebes concludit per unum ſolis motum diem, & per alium annum definiri, & per illum Lunae menſem.

366. Obſervata unius rei cum alia ſimilitudo vel dependentia produxit apud gentes praeſertim barbaras unius ejuſdemque rei, quae in uſu ſit frequenti multas diverſas appellationes, quae non reperiuntur in linguis gentium urbanarum. Ita Tartari dicti Manchaei pro equo habent plusquam centum nomina, & multa pro cane. Hujus ratio eſt indoles mentis humanae, cui cum proprium ſit cogitare, ſi non cogitet de iis quae ſenſibus non ſubiiciuntur, tota in ſolis ſenſibilibus quaſi meditandis occupatur.

(1) He. Idea. to. 20 n. 167. (2) He. Idea. to 20 n 168.

367. Voces ſignificativae, ex quibus nova vocabula excuſa ſint ad aliud quid indicandum, in quo ſit aliqua vel relatio vel ſimilitudo cum iis, quae ab illis ſignificantur, radices appellantur, quae jam obſervatae & collectae fuerunt in linguis hebraica ſinenſi & graeca. Atque in iis, qui circa graecas operam ſuam navarunt, eſt Bonaventura Giraudeau, qui (1) in poemate, quod Vliſſes inſcripſit, non ſolum illas incluſit, quae ab omnibus unanimiter pro radicibus habentur, ſed eas etiam quas aliqui ab his excludunt, quia ab aliis videntur poſſe derivari.

368. Vſus nominis uni rei olim dati, quod ſola mutata ejusdem pronunciatione vel accentu alteri tribuitur eſt alter fons, unde vocabula aliquo modo nova eruperunt. Sic Itali per idem vocabulum *Voto* prolatum diverſa in litera O inflexione denotant vacuum & votum: & idem vocabulum *ancora* apud eosdem ſignificat *etiam*, ſi producant penultimam, & *anchoram*, ſi eam corripiant: & *balia* cum accentu in prima ſyllaba ſignificet nutricem, poteſtatem vero ſi ſit in ſecunda: & prima perſona in verbis primæ conjugationis ut amo non diſtinguitur a tertia praeteriti in numero ſingulari, niſi per accentum, quem in præterito retrahit a prima ſyllaba in ultimam. Immo ipſamet nomina propria unius rei non raro aliis omnino diverſis redduntur communia, quin ulla fiat mutatio in ipſorum compoſitione vel ſcripta vel pronunciata, ſine ullo ceteroqui periculo, ne ſtatim innoteſcat ſenſus in quo ſumuntur, quia hunc ſtatim determinant adjuncta quæ nunquam ſunt a novo eorum uſu disjuncta, ut multis ſupra (n. 305.) allatis exemplis declaravi.

369. Alter fons novorum vocabulorum eſt translatio in propriam linguam ejus nominis, quod novimus eſſe in alia lingua. Sic in latinam venerunt e græca Xenodochium & Naumachia & alia perquam multa. Hæc tamen exotica vocabula obſervamus mutationes aliquas in ſui compoſitione & uſu ſuſcipere, per quas conformantur dialecto a qua excipiuntur. Ratio eſt, quia ſicuti natura duce homines & quævis animalia æquabili motu incedunt, niſi quid obſtet, nec modo magis modo minus pedes extollunt aut premunt in via æqualiter complanata, nec longiores paſſus cum brevioribus intermiſcent, ita natura duce nemo nova vocabula effingit talis compoſitionis, quæ vim inferant in eorum pronunciatione conſuetis organorum motibus, ad quos ſuæ regionis lingua facilis jam eſt. Hinc paſſim videmus nomina, quæ una lingua ab altera deſumpſit, ſubiiſſe mutationes, quæ cum indole linguæ, in quam translata fuerunt opportune conveniant.

370. Linguæ divinitus infuſæ cum eo ſolum numero vocabulorum, qui neceſſarius fuit ad ſocietatem vitæ, auctæ primo creduntur per variationem pronunciationis ad communicandas novas ideas novarum rerum. Nam excudere novum ex integro vocabulum poſtulat ſaltem aliquam meditationem, quam urgens vel neceſſitas vel cupiditas loquendi permittere non

(1) Gi. Introd. ad græc. p. 2 & 3.

non poterat, Paulatim autem accedente hac meditatione facta fuerunt diſtincta nomina, quoniam per ſolam diverſam vocis inflexionem non ſatis evitatur ambiguitas. Proinde in deſuetudinem ſenſim abiit uſus hujuſmodi accentuum variorum, ita ut paucæ admodum jam ſint linguæ, in quibus ſint multa vocabula, quæ per ſolam accentus varietatem res diverſas ſignificent. Hic perſeverat adhuc apud Sinenſes, Tunquinenſes, & Guaranos Americæ meridionalis gentem. Itaque auctor eſt Rhodes in ſuo Dictionario Annamitico ſive Tunquinenſi, quem accuratiſſimum vocat Hervas (1) ſyllabam Bo ſignificare in ea lingua tredecim diverſas res pro totidem diverſis ſonis, quos apud illos recipit, quos nos ne poſſumus quidem animo informare.

PROPOSITIO VII.

Confuſio linguæ apud Babel duo importat oblivionem primæ linguæ, & infuſionem novarum, elementis quæ erant in prima mutatis vel per inverſionem, vel per additionem, vel per ablationem, vel per novum accentum, vel per varietatem ſyntaxis.

371. PRima propoſitionis pars eſt contra Richardum Simonium (n. 355.), cui conſentit Jo. Clericus, qui noluit ad conſtitutionem hujus confuſionis pertinere infuſionem novarum linguarum divinitus factam. Nam ipſoſmet homines dicunt fuiſſe auctores ſingularum novarum linguarum, ſed aſſiduo longi temporis ſtudio. Importuna eſt horum impugnatio, quam Calmet propoſuit dicens eos (2) *plane exterminare totum miraculum de hiſtoria babelicæ confuſionis, quod ſola ejus lectione ſtatim ſentitur*. Miraculum enim non exterminant, ſed extenuant dumtaxat, quandoquidem ut alibi adverti (3) admittitur in omnibus hominibus vel ſubita oblivio ſignificationis verborum primæ linguæ, vel aliud ad illorum perceptionem generale impedimentum.

372. Efficaciter ſic impugnatur, Hæc ſententia vel ſupponit oblivionem non ſolum ſignificationis verborum, ſed etiam totius primae linguæ, jamque ſingulis familiis, quæ mutuo ſeceſſerunt, dat facultatem excudendi novam ex integro linguam, quod dici non poſſe ſupra jam (n. 351.) demonſtravimus: vel ſupponit ſolam oblivionem ſignificationis verborum, ita ut in arbitrio illarum relictus fuerit eorumdem uſus in alio, quem voluerint ſenſu, jamque omnes linguæ conſtarent vel abundarent vocabulis, quæ eædem eſſent magna ſaltem ex parte, quoniam ſingulæ familiæ paulatim

(1) *He. leca.* to. 18 n 69.
(2) Ca. Dict. ar. Lingua.
(3) De mirac. n. 6. 9. edit 3.

latim ea immutaſſent, quemadmodum videmus accidere in Italia, ubi populi diverſis principibus ſubjecti ex una italica lingua ſexcentas paulatim procrearunt, neapolitanam, bononienſem, mediolanenſem, aliasque. At hæc eorumdem verborum abundantia in omnibus linguis non invenitur: igitur ſententia Simonii nequit admitti, ſed dicendum in confuſione linguæ apud Babel eodem tempore ſublatam fuiſſe memoriam primæ linguæ, & novas infuſas divinitus cum habitu ad expeditum earum uſum in omnibus, qui ad unam familiam pertinentes eamdem debebant adhibere. Quod Silveſter Maurus ulterius determinet hanc (1) *confuſionem factam per infuſionem ſpecierum intentionalium repræſentantium voces talium linguarum, & earum ſignificationes, quæ ſpecies ſimiles erant illis, quas nos acquirimus dum linguas addiſcimus* continet circuitum verborum, qui ex alibi (2) dictis nullum habet ſenſum qui probari poſſit.

373. Propoſitionis pars, quæ non ſtatuit certum modum, quo novæ linguæ conditæ fuerunt, habet fortaſſe aliquos adverſarios. Nam quotquot hebraicam linguam tenent fuiſſe *labium univerſæ terræ* videntur ſibi eam videre in omnibus linguis, quarum examen inſtituant. Itaque Ludovicus Thomaſſinus natus Aquis Sextiis anno 1619., & Pariſiis mortuus anno 1695. in ſua gallica *ratione ſtudendi linguis* permultas orbis terrarum notas linguas eſſe ab hebraica conatus eſt ſuadere: ſed docti Critici, qui hunc ipſius librum jam elevarunt, has linguæ hebraicæ reliquias quæ proferuntur tamquam latitantes in aliis linguis, habent pro violentis detorſionibus literarum & ſyllabarum, quales frequenter apparent in etymologiis, quas aliqui producunt. Cum Symmachus etiam Mazzocchius veterem linguam etruſcam dixerit eſſe progeniem hebraicae, poſtquam plura hujus vocabula ad illam ingenioſe revocavit, cui alii conſenſerunt, extitit deinde Bardettus, qui (3) octies plura ex eisdem etruſcis vocabulis oſtendit longe melius explicari per linguas veterum gallorum & germanorum. Quare jure concluditur temere determinari conſtitutionem novarum linguarum per haec vel illa elementa certae alicujus linguae, & multo magis per illa primae linguæ quae incertum omnino eſt an ſuperſit, ut inferius oſtendam.

374. Reſtat igitur ut cum Ziegra (4) & aliis quos ipſe ſequitur dicamus novas linguas factas eſſe per literarum primae linguae *permutationem, transpoſitionem, inverſionem, literæve alicujus additionem aut ablationem*, addo & per varietatem accentus, artificii, & ſyntaxis, h. e. diſpoſitionis verborum, quibus animi noſtri ſenſa aliis communicamus. Pro literis primae linguae extantibus etiam in novis argumentum habemus etiam in illis Scripturae verbis *confundamus linguam*, quae ſignificant permixtionem elementorum quae primae vocabula componebant, non novam omnium omnino quaſi creationem. Certe ſi literae quae primae ſunt in alphabeto latino adhibeantur in appellatione unius rei, quae antea per nomen ex mediis

(1) Mau. Phil. l.1 qu.56.
(2) De Ideis n.238 edit.2.
(3) Ba. Ling. de primi ital. c.6 ar.5.
(4) Zi. ubi alias n.8.

Digitized by Google

dii vel ultimis ejuſdem alphabeti compoſitum ſignificabatur, utique habetur linguae confuſio per literarum permutationem. Exemplo ſint haec nomina Thomas, Didymus, Geminus, quae idem ſignificant, ſed primum quo utuntur hebraei incipit ab una ex ultimis literis alphabeti, ſecundum proprium graecis ab una ex primis, & tertium quod pertinet ad latinos ab una ex mediis. Sic pariter Cephas hebraice, eſt Petrus latine, & hebraico Siloe reſpondet Miſſus latine, & quicunque aperiat Calepinum plurium linguarum videt, quod latine dicitur, in aliis linguis longe aliter appellari.

375. Quod aliquae ex novis linguis habeant aliquas literas, quae non erant in prima lingua, & aliae aliquibus careant, quas prima habebat, equidem non dubito, poſtquam obſervo plurium linguarum alphabetum, quorum unum alio ditius video, & eſſe adverti liuguas, in quibus fruſtra requiras multas ex vocalibus & conſonantibus nobis cognitis, ut ex nonnullis exemplis ſupra (n.49. & 50.) allatis manifeſtum eſt, quibus addo ex Herva (1) illud linguæ Mexicanæ, in qua nonſunt literæ b, d, f, g, s, u, quarum aliquæ ceteroquin ſunt pronunciatu facillimæ. Diverſitas etiam accentus, quantam partem in linguis habeat quotidie ſentimus in pronunciatione eorumdem verborum, quam faciunt homines diverſi labii. Itaque Italus & Gallus latinam, quam uterque calleat pronunciantes vix aut ne vix quidem ſe intelligunt: & Sinenſes ſua eſſe negant verba auctore Mailla apud Hervam (2) quæ apud ipſos accentu Luſitano aut Hiſpano aut Gallico aut Italico efferantur.

Artificium linguarum produnt grammaticæ, quæ de illis fiant. Qui has conſulat videt inſignem differentiam in nominum declinationibus, verborum conjugationibus, aliiſque orationis partibus. Sunt enim quæ per omnes caſus variant nominum terminationem, dum aliæ conſtanter ubique eam retinent. Sunt quæ tam in nominibus quam in verbis plures diſtinguunt numeros, dum aliæ unum & alterum dumtaxat conſiderant, & aliæ in nominibus quidem ſed non in verbis illos adhibent. Sunt etiam quæ modos & tempora in verbis habent, quæ ceteris ignota omnino ſunt. Nec proinde una eſt minus apta ad communicandas easdem ideas; Nam ſingulæ in promptu habent proprias ſibi rationes, quibus id expedite exequantur.

376. Syntaxim tandem in pluribus linguis variam eſſe quiſque concipere poteſt ex linguis communiter notis. Qui ex Italis & Gallis calleat latinam, novit hanc admittere eam verborum, quæ ſententias componunt diſpoſitionem, quam non patiuntur nativæ eorum linguae. Cum ſupra (n. 352.) obſervarem in hoc linguarum omnium attributo ſe prodere divinam operationem, protuli exempla de inſigni ipſius diverſitate in linguis. Aliud addo ex lingua Cochima propria quibusdam populis in California. In ea haec ſententia, Credo in Deum, quia non poteſt falli, redditis ad lite-

(1) He, Idea, to.21 n.XIV.

(2) He. Idea. to.19 n.94.

Digitized by Google

literam ipſius verbis ſic effertur, *Deum in credo, falli non poteſt quia* Michael del Barco, qui apud illam gentem inſenuit, id ſcribens ad Hervam teſtatur (1) ſic opus eſſe ad eos loquatur, qui velit ab illis intelligi. Sit hoc etiam ex Iaponum lingua deſumptum a grammatica Japonica, quam Didacus Collado Romae edidit anno 1632., & ab ipſo Herva (2) relatum. Quod Italus dicet, Diedi al falegname e i legni utili, e i legni da bruciarſi. Iaponenſes verſis ad literam ipſorum verbis ſic exprimunt, *Falegname al diedi legni utili li e, legni combuſtibili li e*. Vt autem quivis animo informet modum, quo hae linguae per conſtructiones tam alienas a noſtra cogitandi ratione excitent in iis populis ſubitam & opportunam intelligentiam, ſibi proponat latinae linguae uſitatum ſermonem, quem vulgus Romanum olim ſtatim intelligebat prolatum a Cicerone aliisque ſuis oratoribus, & nunc quivis qui illius peritus ſit, ſine ulla mentis contentione ſubito pariter percipit, etſi omnia quae ſenſus ſingulos componunt ita ſolent collocari, ut opus ſit ſolis pueris aut illis qui in ea ſatis verſati non ſunt ea e ſuis locis evulſa diſponere ſecundum ordinem, quo indocti mens ſolet de rebus cogitare.

377. Dici igitur poteſt omnes linguas natas apud Babel diverſas fuiſſe inter ſe in verbis maxime & in accentu, & non paucas etiam in artificio ac syntaxi. Quare quando haec attributa reperiantur in aliqua lingua modo quodam ipſi ſoli proprio, tuto inter linguas primigenias poterit computari. Certe laudatus Hervas (3) profitetur ſe nondum audiviſſe, aut alio modo deprehendiſſe duas linguas ſine controverſia primigenias, in quibus non ſolum nihil commune cum aliis linguis haberent in vocabulis, ſed ne in accentu quidem qui ex pronunciatione, & etiam ex orthographia manifeſtatur. Quis jam dicat quae fuerit mens hominum apud Babel, dum repente oblitos ſe experti ſunt linguae ſuae, eorumque auribus inſonuerunt tam diverſa verba, & tam inauditi ipſorum ſoni ac pronunciationes, quae illi ſolum intelligebant, qui erant ex familia cui divinitus fuerunt infuſa. Terroris certe, potentiae Divinae, & ſollicitudinis exequendi praepropere Dei mandatum de transmigratione in alias terras cum mutua unius familiae ab alia ſeparatione.

PROPOSITIO VIII.

Numerus linguarum, quae ex confuſione primae linguae extiterunt, definiri non poteſt.

378. Rationes prepoſitionis ſunt, nihil de hac re ſacras literas nos docere, deſtitui nos cognitionibus neceſſariis ad cognoſcendum

(1) He. Idea. to. 21 n.X.
(2) He. ibid. n. 324.
(3) He. ibid. n. XIV.

dam affinitatem vel diverſitatem plurium linguarum, quæ nunc exiſtunt, & ignotum nobis eſſe an omnes ſuperſtites ſint, vel quot ex ipſis perierint, & tandem nullum eſſe in hac quæſtione auctorum conſenſum. Diverſas horum ſententias, quas novi hic referam.

Prima ſit quæ dicit fuiſſe tres pro tribus Noe filiis. Sed hæc eſt omnium minime probabilis, utpote quæ eſt etiam oppoſita fini diſperſionis hominum per totum terrarum orbem. Fortaſſe qui ſic cenſuerunt, habuerunt præ oculis numerum hominum illius temporis, qui juxta poſita ab ipſis principia non erat adeo magnus; Spatio enim annorum circiter centum, quod interceſſit a diluvio uſque ad conſtructionem turris Babelicæ numerus hominum inquiunt apud Carolum Erram (1) erat 400 000 virorum & totidem feminarum. Sed eorum principia incerta ſunt: quæ autem hæc ſint quisque colliget ab iis qui tenent longe majorem fuiſſe, quia dicunt fuiſſe, qui filios genuerunt ante annum ætatis vigeſimum, multosque tunc procreatos gemellos. nec diviſionem linguarum accidiſſe circa principium vitæ Phaleg, qui natus fuit anno poſt diluvium uno ſupra centum: ex dictis (n.341.) ſed vel circa mediam ipſius ætatem, vel in fine ejus vitæ, quae fuit annorum 239., quandoquidem in tres hujusmodi opiniones dividuntur auctores apud Fraſſen (2) interpretantes illud (3) *Nati ſunt Heber filii duo, nomen uni Phaleg. eo quod in diebus ejus divisa ſit terra.*

379. Secunda ſit quæ credit fuiſſe viginti & unam, quia totidem commemorantur in ſacris literis. Nominant enim linguam Latinam (4), Chaldaeam, ſeu Syram, ſeu Aramæam: Phoeniciam ſeu Punicam: Azoticam (5) ſeu Philiſtæam: Perſicam, Græcam, & Lycaonicam (6): & linguas Parthorum (7) Medorum, Aelamytarum, Cretenſium, Arabnm, & eorum qui habitabant Meſopotamiam, Judæam & Cappodociam, Pontum & Aſiam, Phrygiam & Pamphyliam, Aegyptum & partes Libyæ circa Cirenen: ſed nullibi dicitur neque has ſolas fuiſſe inſtitutas in confuſione linguarum, neque ſingulas a ſingulis diverſas eſſe toto ut ita dicam genere: quod negavit de graeca Kircher, qui ab Aegyptia eam dixit provenire, & de Latina negavit Bochartus, qui vult hanc magna ex parte originem habere ex græcæ æolica dialecto, & de Lycaonica negarunt Paulus Erneſtus Jablonoski, & Grotius, qui referente Calmet (8) volunt eamdem eſſe cum lingua Cappadocum, utramque autem eſſe mixturam quamdam græcæ & syriacæ.

380. Tertia ſit, quæ vult fuiſſe ſeptuaginta, quam tenent Hebræi. Horum fundamentum eſt Geneſis (9), quæ nominat trium filiorum Noe filios & nepotes ſeptuaginta, nimirum ex Japheto quatuordecim, ex Chamo

(1) Er. Hiſt. utri. teſt. l. 2 c. 11 n. 7.
(2) Fr. ubi ſupra l. 1 c. 7.
(3) Gen. c. 10 v. 2.
(4) Ioa. c 19 v. 21.
(5) Nehe. c. 13, v. 24.
(6) Act. c. 14 v. 10.
(7) Act. c. 2 v. 9.
(8) Ca. Dict. ar. *Lycaonia*.
(9) Gen. c. 10.

Digitized by Google

mo triginta, ex Semo viginti ſex. At notavit Cornelius a Lapide (1) in eo numero haberi nomina patrum, qui a filiis nunquam ſeparati non potuerunt diverſas familias ſeu gentes conſtituere omiſſis aliis rationibus, quibus hoc fundamentum infirmant Bochartus (2), & Fraſſen (3).

381. Pro eadem alii apud Natalem Alexandrum (4) ſic arguunt. In Deuteronomio legimus (5) *Quando ſeparabat filios Adam conſtituit terminos populorum juxta numerum filiorum Iſrael*: in Geneſi autem legimus (6) *Omnes animæ domus Jacob, quæ ingreſſæ ſunt in Aegyptum, fuere ſeptuaginta*, quod cohæret cum eo, quod paullo ante ſcriptum eſt, *Cunctæ animæ quæ ingreſſæ ſunt cum Jacob in Aegyptum, & egreſſæ ſunt de femore illius ſexaginta ſex*, quia hic omittuntur ipſe Jacob, & Joſeph, hujusque duo filii, qui in altero teſtimonio computanrur. Quod enim obiicit Maldonatus (7) quo jure numeramus filios Joſeph, qui non in Aegyptum ingreſſi, ſed in Aegypto nati ſunt, eodem numerari poſſunt duo filii Iudæ, Her & Onam, qui antequam in Aegyptum ingrederetur, obierunt (8), & tunc erunt ſeptuaginta duo, nullius eſt momenti, quia in cenſum non veniunt, qui amplius non ſunt. Quare qui teſtimonium alterum alteri conjungat, concludet diviſionem fuiſſe per linguas ſeptuaginta. At tota hæc argumentatio elevatur obſervando Deuteronomium non loqui de diviſione totius terræ, ſed de diviſione terræ promiſſæ in duodecim tribus. Igitur male unum teſtimonium quaſi alterius explicatio conſideratur.

382. Qui adderet in Decreto Gratiani (9) haberi S. Athanaſium in epiſtola ad Marcum Papam de decretis Concilii Nicæni, cui ipſe interfuit hæc referre, *Viſum eſt CCCXVIII. Epiſcopis Spiritu Sancto repletis ad formam ſeptuaginta diſcipulorum vel totius orbis linguarum, ſeptuaginta tanti Concilii fieri capita, quæ omnem chriſtianorum informarent orbem*: ergo pro numero linguarum ſeptuaginta habetur Concilii Nicæni quoddam quaſi decretum. At demonſtravit jam Baronius apud Bellarminum (10) S. Athanaſii non eſſe eam epiſtolam, quae praeterea dicens unum ex fundamentis conſtituendi canones ſeptuaginta fuiſſe diſcipulos ſeptuaginta, profecto errat, cum diſcipuli fuerint duo ſupra ſeptuaginta, ut oſtendit Maldonatus (11), ubi reſpondet argumentis, quae pro numero ſeptuaginta afferuntur.

383. Quarta ſit quae ſtatuit fuiſſe ſeptuaginta duas. Pro hac ſunt Patres Graeci, Clemens Alexandrinus, Euſebius & Epiphanius cum Latinis Auguſtino (12), Philaſtrio, Hieronymo, Arnobio, aliiſque, quorum loca citant Bochartus (13), & Natalis Alexander (14) Horum ſententiam ſequu-

(1) *La.* in Gen. c.10 v.31.
(2) Bo Geogr. ſac. p.1 l.1 c. 15.
(3) Fr. Diſq. bibl. l.5 c.7 n.10.
(4) Na. Hiſt. V. T. to.1.
(5) De. c. 32 v. 8.
(6) Gen. c 46 v.27.
(7) Ma. in Luc. c. 10 v.1.
(8) Gen. c.46 v.12.
(9) De. diſt. 16 c. ſeptuaginta.
(10) Bel. Scrip. eccl. ar. Gratianus.
(11) Ma. in Luc c.10 v.1.
(12) Au. de Civi. l. 16 c.6.
(13) Bo. Geog. ſa. pag.63.
(14) Na. His. ætas 3 di.5 pr.25

Digitized by Google

ſequutus Sylveſter Maurus (1) dixit, *Deus poſt diluvium infudit ſeptuaginta duabus familiis, quæ concurrerunt ad ædificandam turrim, notitiam ſeptuaginta duarum linguarum*. Horum prima ratio eſt, quia juxta græcam verſionem plusquam ſeptuaginta numerantur nepotes Noe. At ex nuper dictis infirmum eſt argumentum ex hoc deductum numero, quicunque permittatur eſſe. Altera eſt quia hic numerus reſpondet diſcipulis ſeptuaginta duobas, quos Chriſtus J. conſtituit qnaſi totidem Doctores pro totidem diverſæ linguæ gentibus. At cum dicat Scriptura de his diſcipulis (2) *miſit illos binos in omnem civitatem & locum, quo erat ipſe venturus*, qui non peragravit orbem terrarum, eosque non multo poſt deſcribat redeuntes (3) *Reverſi ſunt autem ſeptuaginta duo*, non datur huic argumento locus. Alia tandem ratio eſt quia Scriptura nominat duodecim legiones Angelorum: quare dando ſingulis Angelos 6000. pro numero hominum, quo conſtabant legiones romanæ, habentur Angeli chiliarchæ 72. Gum autem hi credantur præeſſe ſingulis diverſi ſermonis populis, jam colligitur, qui ſit horum numerus. At Scriptura meminit (4) *de legionibus Angelorum plusquam duodecim*, non de duodecim. Præterea legio juxta Nieupoortum (5) tempore Romuli fuit peditum ter mille, libera vero republica quater mille & ducentorum, temporibus tandem poſterioribus intra ſex millium fere numerum ſtetit.

384. Quinta ſit, quæ tenet fuiſſe ſeptuaginta quinque, pro quo numero arguunt eodem modo ac illi qui propugnant eſſe ſeptuaginta ex teſtimonio Deuteronomii compoſito cum illo Geneſeos, in quo non legunt cum Vulgata, *animæ fuerunt ſeptuaginta*, ſed cum Verſione interpretum ſeptuaginta, *animæ fuerunt ſeptuaginta quinque*, quam hi verſionem ſequuntur cum S. Stephano in ſua ad Hebræos concione quæ extat in Actis (6); Porro quomodo Vulgata cum græca hac verſione concilietur docebunt Interpretes, ut Salmeron (7). Sed inutile eſt hoc argumentum ex eadem ratione ac illud hinc deſumptum pro linguis ſeptuaginta. Sexta vult fuiſſe ſeptem ſupra ſeptuaginta. De hac & de ſeptima, quæ numerat viginti ultra centum, meminit Calmet (8). Utramque omitto utpote ceteris magis fortaſſe arbitrarias.

385. Octava ſit quæ circiter centum ſaltem nunc ſtatuit haberi. Hanc tenet Hervas (9); Nam in Europa ſeptem diſtinguit, Illyricam, Scythicam, Tartaram, Teutonicam, Celticam, Cantabram, & Græcam. In Aſia octo ponit Hebræam, Sinenſem, Armenam, Malayam, Hinduam, Manchæam, Mongolam, Georgianam. In Africa pariter octo Copticam, Galam, Otentotam, Congam, Mandingam, Gialofiam, Fuliam, Akaniam. In America tandem circiter ſeptuaginta (10).

X 386. No-

(1) Ma. Phiſ. l. 1 qu. 56.
(2) Luc. c. 10 v. 1.
(3) Ibid. v. 17.
(4) Matt. c. 26 v. 53.
(5) Ni. Ritu. Rom. ſec. 5 c. 2.
(6) Ac. c. 7 v. 14.
(7) Sa. in Act. tr. 24.
(8) Cal. Dict. ar. Lingua.
(9) He. Idea. to. 17. n. 3 & 496.
(10) He. Idea. to. 17. n. 492.

Digitized by Google

386. Nona ſit, quæ circiter ducentas ſtatuit fuiſſe. Atque ita quidem concludet, qui audiat Plinium referentem ex Timoſthene (1) *trecentas nationes, quæ diſſimilibus linguis uterentur, deſcendere* ſolitas in Dioſcoriadem celebrem olim Celtarum civitatem; & centum triginta interpretes ibidem conſtitutos pro agendis negotiis, qui proinde videntur fuiſſe pro nationibus linguæ prorſus diverſæ ab aliis omnibus, quibus ſi addas linguas circiter ſeptuaginta ex dictis Americanorum, quos nemo dicet tunc in eam civitatem deſcendiſſe, jam habebis linguas primigenias ducentas.

PROPOSITIO IX.

Sunt aliquæ linguæ quæ iure dici poſſunt primigeniæ.

387. CUm attributa linguæ primigeniæ ſint ex dictis (n. 377.) diverſitas verborum, accentus, artificii, & ſyntaxis, illud ſitum in accentu nequit de linguis maxime a nobis remotis cognoſci, quippe dependet magna ex parte ex audita pronunciatione, & illud de artificio & ſyntaxi cum poſtulet aliquam ipſarum linguarum cognitionem acquiſitam per ipſarum grammaticas vel alio modo, extra noſtram poteſtatem utrumque videtur eſſe circa magnam linguarum partem. Reſtat igitur illud quod quidem eſt præcipuum, de diverſitate verborum, quod qui ſagacitate polleat, poteſt de linguis aliquo modo notis determinare. Etſi enim quævis lingua proceſſu temporis ſubit magnas verborum alterationes, ita ut una lingua primo adſpectu videatur omnino diverſa ab omni alia, nihilominus ſi revera non ſit quosdam conſervabit characteres, per quos qui perſpicaces ſunt & memoria aut reminiſcentia valent, quæ ipſis proponat verba, quibus diverſi populi idem ſignificant, deprehendet tandem eam eſſe alteri linguæ affinem, & quaſi ſurculum unius arboris, vel rivulum cujuſdam fluminis. In his characteribus maxime ſunt eædem in ipſis conſonantes, quæ præcipuæ habentur, vel his affines, quatenus dependet ipſarum expreſſio ab iiſdem linguæ aliorumque organorum modis & motibus, ſi reperiantur in vocabulis unam eamdemque rem per diverſas linguas ſignificatam. Hæ enim conſonantes ſolent permanere, dum interea mutantur ipſis conjunctæ vocales, & ſyllabæ etiam aliquæ adduntur aut detrahuntur aut mutantur.

388. Hanc viam tenuit Hervas, quando in ſuo *Catalogo linguarum* determinavit, quae in tanta linguarum multitudine dicendae ſint matrices & primigeniae. Grande hoc opus acutiſſimus philoſophus aggreſſus eſt ad determinandam nationum ſingularum originem, earum ſedes, transmigrationes, colonias, commixtionem unius cum alia, aliasque ipſarum viciſſitudines. Fac enim certo conſtet, qui fuerit alicujus nationis progenitor

(1) Pl. Hiſt. l. 6 c. 5.

alter ex filiis ſeu nepotibus Noe, & quae fuerit regio, quam primo occupavit, & lingua qua utebatur, jam alia natio, in qua reperiatur hujus linguae dialectus aliqua, quamvis a prima illa regione magno terrarum & maris intervallo ſejuncta ſit, dubitari non poteſt eſſe ipſius progeniem, & facile erit determinare eas quaeſtiones quae circa nationes ex dictis occurrunt & admittere aut reſpuere opiniones, quas auctores de illis ſtatuerint. Diſtinctis interea articulis pro quatuor vulgatis orbis terrarum partibus percurram ſingularum linguas, quae juxta Hervam propter expoſitam rationem jure dici poſſunt primigeniae.

Articulus I.

De linguis in Europa primigeniis Illyrica, Scythica, & Teutonica.

389. Illyricam ex primis linguis Hervas (1) poſt Kircherum (2) dicit, matremque earum, quae ſunt in Ruſſia, Archangelo, Siberia, Polonia, Luſatia, Corbavia, Sclavonia, Dalmatia & apud Coſakes, ubi diſpertitur in permultas novas dialectos, & penetravit etiam in Moraviam ac Boehmiam extra tamen harum regionum civitates, in quibus germanica communiter adhibetur. Elegans autem lingua eſt Illyrica, prædita in nominibus declinationibus, & in verbis conjugationibus, ſed pura auditur in Raguſiæ ditione, & in Boſnia. Bartholomæus Caſſius Soc. J. publicavit Romæ *anno* 1604. *Inſtitutiones linguæ Illyricæ*, & Jacobus Micalia ejuſdem Soc. Laureti ann. 1649. *Dictionarium Illyrico-italico-latinum*.

390. Scythica ex primis linguis eſt ſic dicta a Scythis populis Borealibus, qui dicuntur etiam Getæ, Unni, Alani. In quot dialectos Scythica diviſa ſit, videſis apud Hervam (3). In his ſunt, quæ auctore Jo. Elia Edero (4) remanent in ruſticis Lithuanis, Livoniis, Curlandis, & in parvis harum regionum locis, expulſæ a civitatibus, quæ ſolam illyricam vel polonam loquuntur. Cum pleræque ex ſcythicis dialectis abundent verbis deſumptis a græcis & latinis jure concluditur eas inopes de ſe fuiſſe, ſicut ſunt linguæ omnium gentium, antequam artes & ſcientias excoluerint. Verum autem hæc verba acceperint ex italis, ſiculis, hiſpanis illuc commigrantibus, ut famem vel bellum vel alias patriæ calamitates effugerent, ut aliqui dicunt, incertum dicit Hervas (5) cum potuerint per ſtudium religionis & literarum haberi.

391. A Scythica Kircher (6) & alii dicunt eſſe linguam Ungarorum, in qua obſervatum eſt ab Herva (7) haberi plures voces illyricas, & ſatis

X 2 pan-

(1) He. Ide. to. 17 n. 256.
(2) Ki. Tur. Bab. l. 3.
(3) He. Idea to. 17 n. 264. & to. 18. n. 232.
(4) Ed. Miſcel. Berolin. continu.
(5) He. Idea. to. 18 n. 235.
(6) Ki. Tur. Babe. l. 3 n. 5.
(7) He. Idea. to. 18 n. 225 & 435.

paucas; quæ ad latinam vel græcam referantur, quibus finitimarum nationum linguæ abundant. Quod argumento eſt illyricos in magno uumero eam regionem occupaſſe, genteſque expuliſſe quæ erant Romanis ſubjectæ, ſuaque multitudine liberos ſe conſervaſſe ab alienigenarum aggreſſionibus, incurſionibus & dominatione. Extat linguæ ungaricæ grammatica publicata typis Tirnavienſibus anno 1682. a Paulo Petcszlenlenyi Soc. J. Laponum quoque lingua eamdem matrem habet; Nam etſi tanto terrarum intervallo ab Ungaris ſejuncti ſunt, eamdem tamen cum his habere linguam perſuadet *Joannis Sainovicis Soc. Je. Ungari demonſtratio, idioma Vngarorum & Laponum idem eſſe, regiæ Societati Danicæ prælecta. Hafniæ menſe Januario* 1770, ibidem typis impreſſa. Celebris etiam Aſtronomus Maximilianus Hell, cujus fuit ſocius Sainovicus fuſe egit de affinitate linguæ ungaricæ & Laponenſis in ſua (1) expeditione literaria polum articum verſus obſervandi cauſſa Venerem ſub ſole tranſeuntem anno 1769. Nuper Hervas (2) cum e regione verborum plusquam octoginta italicorum poſuerit, quæ illis reſpondent in linguis Vngara & Lapona, oculis ſubiecit inſignem harum linguarum ſimilitudinem. Alia etiam Ungaræ ſolius verba in ejusdem lexico polyglotto habentur.

392. Lingua Teutonica, quæ juxta Kircherum (3) a Tuiſcone Japheti filio nomen habet, primigenia creditur, & mater linguarum, quæ ſunt in Germania, Belgio, Hollandia, Anglia, Dania, Svecia, Islandia, quandoquidem in his omnibus reperitur magnus numerus earumdem vocum, quæ cum in ſingulis eamdem fere formam conſervaverint, arguunt Teutones fuiſſe in omnibus ſuis regionibus dominos. Adſunt tamen in his dialectis aliæ etiam voces ab aliis linguis acceptæ, plures quidem in aliquibus, quam in aliis. Itaque Svecica eſt dialectus Teutonicæ, quæ minus quam ceteræ abundat vocibus a teutonica alienis teſte Herva (4) qui de quibusdam hujus linguæ dialectis plures collegit dictiones, quas (5) italice explicatas propoſuit.

393. Islandi qui in inſula ſatis boreali ſibi vivunt, nec commercium habent cum aliis populis, linguam loquuntur, quam ſtatim dicis filiam Teutonicæ. Rodulphus Iona Islandus ejus grammaticam Haphniæ publicavit anno 1661., cujus voces cum Georgius Hickes collegerit, & in ordinem alphabeti digeſtas inſeruerit in ſuum *theſaurum linguarum* (n.153.), Hervas obſervans (6) non paucas eſſe, quæ originem præſeferunt a latinis, jure cenſuit Islandiam antea deſertam, fuiſſe a Teutonis habitatam, poſtquam commixti jam fuerant cum Latinis vel per bella vel per commercium, quod putat accidiſſe circa ſæculum quartum æræ chriſtianæ, ſaltem ante hoc tempus ignoti illi fuerunt omnibus gentibus, quæ linguam latinam aliquo modo habuerunt. Ceterum in omnibus Islandicis vocibus de rebus nulli hominum

num

(1) He. to.1 p. 3.
(2) He. Idea. to.20 n.118.
(3) Ki. Tur. Bab. l.3.
(4) He. Idea. to.18 n.88.
(5) He. Idea. to.20. n.191.
(6) He. Idea. to.18 n.124. & 125.

Digitized by Google

num ignotis nullam inveni in Lexico ipſius Hervæ polyglotto, quæ affinitatem habeat cum latinis nominibus. Quod confirmat hæc acceſſiſſe linguæ teutonicæ jam formatæ quantum ſatis ad tuendam vitæ ſocietatem.

394. Teutonicæ lineamenta in antiqua Danorum lingua ſatis conſpicua olim erant, quoniam teſte Olao Wormio Islandicæ ſimilis reperitur. Hæc tamen in illa, quam nunc Dani loquuntur obliterata ex parte ſunt propter receptam ab aliis linguis magnam verborum copiam, & quidem tot ex latina deprehendit Torchillus Badenius, ut libellum de Roma Danica vulgaverit per typos Haphnienſes anno 1699. Belgica uſque ad initium ſæculi decimi quinti, & Svecica longe plura habent Teutonicæ ſigna, quam Germanica quæ nunc viget. Belgica autem poſterioribus temporibus permultas voces deſumpſit a latinis græcis celtis hibernis perſis præter illas aliarum linguarum, quas ut Hervas (1) cum aliis ab eo citatis oſtendit in quibusvis dialectis teutonicæ reperiuntur. Nunquid ex tanta in belgica lingua alienigenarum vocum multitudine in mentem venit Goropio Becano exiſtimare eam eſſe primam omnium linguarum, a qua aliæ natæ ſint, quaſi voces tot linguarum ipſi ſint propriæ, nec eas ab aliis linguis acceperit, ſed aliæ ab ipſa. Germanica vero hujus temporis multas in ſe recepit voces ex dialectis Illyricis græcis latinis & ſcythicis. Quare Bielfeldus dicit ſe deprehendiſſe eam eſſe pene ex integro diverſam ab ea ſæculi decimi tertii. Contra vero in Anglica lingua multæ quidem voces habentur teutonicæ, ſed multo plures deſumptæ ab aliis gentibus præſertim quæ pertinent ad artes ſcientias & commercium quod late habent Angli per totum terrarum orbem.

395. Olim dixerat Hervas (2) linguam Gothicam eſſe dialectum Scythicæ: ſed re melius conſiderata in alio deinde libro (3) dixit computandam eſſe inter dialectos Teutonicæ, ſed quae multa etiam habeat lineamenta græcæ. Sed cum non extet jam Gothica niſi in quatuor Evangeliis in hanc linguam converſis ab Ulfila (n.151.) Epiſcopo Gothorum, qui habitabant Daciam, non moror in ejus ſubtiliori diſquiſitione. Accedit quod, equidem neſcio, neque ex auctoribus diverſa ſentientibus eruo, quænam gens fuerint Gothi, & quae prima definite illorum ſedes, ex qua deinde late per totam Europam, & extra illam etiam diſſipati ſunt. In Svecia certe fuerunt ubi nomen dederunt regioni quae provincia Gothiae dicitur. Hiſtoria meminit de Gothis, qui Hiſpaniam invaſerunt & poſſederunt, quin tamen in ea extet ullum vocabulum ipſorum linguae, ſive ea fuerit Scythica, ſive Teutonica, quod Hervas admiratur (4), & credit hoc accidiſſe, quia ibi Gothi ſermonem latinum ſibi non ignotum conſtanter adhibuerunt. Linguas quas nominavi proprias Germaniae Belgii Hollandiae Daniae Sveciae Islandiae Angliae aliasque eſſe unius ejusdemque linguae dialectos unico obtutu certior quisque fiet ex Hervae lexico polyglotto, in quo

(1) He. Idea. to 18 n.127.
(2) He. Idea. to. 17 n. 264 276 282.
(3) He. Idea. to. 18 n. 129.
(4) He. Idea. to. 18 n.129.

quo nomina a ſingulis impoſita iiſdem rebus in ſerie non interrupta ſunt collocata, & confirmabitur conſulens orationem Dominicam, quam in omnibus his dialectis idem (1) ordinatim propoſuit.

Articulus II.

De linguis in Europa primigeniis Celtica & Cantabra.

396. Lingua Celtica dicitur a Celtis, & Celtae vocantur populi, qui erant in ea Galliae parte, quae modo Lugdunenſis appellatur, cujus praeclariſſima metropolis eſt Lugdunum, & alias vocata eſt Gallia Celtica. Communiter ea habetur pro lingua primigenia. Paulus Pezron antiquiſſimam oſtendit eſſe in commentario *de antiquitate gentis & linguae celticae*, quod anno 1704. aetatis ſuae 67., ante ſuam mortem tertio gallice publicavit, in quo plura aliarum linguarum verba ad celtica reducit. Multi etiam antiquiores & recentiores auctores credunt Celtas eorumque linguam occupaſſe totam fere Europam, eamque occidentalium linguarum matrem ſalutant. Sed haec opinio quantum ad amplitudinem hujus linguae falſa eſt. Ea enim nunquam oppreſſit linguam Teutonum, qui Celtas ipſos invaſerunt, eoſque ex multis locis expulerunt, neque linguam Cantabram, quae apud veteres hiſpanos communis erat. Illud igitur reſtat dicendum eam praeter Galliam occupaſſe multas occidentalis Hiſpaniae provincias, & definite Gallaeciam ac Luſitaniam, quod negari non poſſe dicit Hervas (2), & magnam etiam Italiae partem, pluresque ex ea voces receptas a Romanis, aliiſque Italiae populis, qui celtice nunquam loquuti ſunt, & per eorum colonias ſtabilitam fuiſſe etiam in inſulis britannicis, aliiſque regionibus borealibus oceano conterminis, in quibus deinde cum eorum expulſione vel penitus extincta fuit, vel in paucis ſolum quo confugerunt aſperis locis relicta, ut mox dicam. Si Bulletus totum tandem protulit ſuum linguae celticae lexicon, de quo loquuti ſunt Gabardus in italico ſpecimine exterae literaturae (3), & non ſemel Trevoltiani (4) poterit fortaſſe definiri, quae ſit ejus amplitudo, ſeu per varias quae nunc ſunt, linguas diſperſio.

397. Celticae interea linguae magna pars remanet adhuc apud incolas Britanniae minoris, ſed in ea dumtaxat ipſius parte, quae dicitur inferior Britannia, non vero in ſuperiori, ubi ſola gallica nunc auditur. Remanet etiam in Anglia apud gentem Walliae, quo utpote in regionem montoſam dicas ſe recepiſſe Angliae incolas, qui ex minori Britannia illuc venerunt, quando Teutoni ipſam invaſerunt. Quare non eſt mirum quod Martinierus referente Guidone Ferrario (5) teſtatur homines minoris Britan-

(1) He. Idea to. 22 n. 188.
(2) He. Idea. to. 21 n. XL.
(3) Saggi to 3 ar. 2.
(4) Tr. ann. 1756 ar. 4 & ann 1760 ar. 43 §. Beſanzon.
(5) Fe. diſſ. de Inſubr. §. 8

Britanniae & Walliae ſi paullo ſtudioſius animum intendant ad ſe mutuo intelligendos, id obtinere, ut facto a ſe tentamine comperit.

398. Sunt qui celticas dialectos volunt eſſe etiam linguas, quae adhuc vigent in monticolis Scotiae, qui olim Picti aut Erſae dicti fuerunt, unde eorum lingua Picta & Erſa etiam dicitur, & in iis ex Hibernis, quos antiquos appellant, quia cum aliis nunquam ſe immiſcuerunt; ad quos unice ſpectat lingua quae dicitur hiberna, & in incolis inſulae Monae hiberni maris., unde venit nomen linguae Monae, quae tres linguae Erſa, Hiberna, & Mona certe ſunt unius ejuſdemque linguae dialecti, quia mutuo ſe intelligunt, qui illis utuntur: atque de hiberna habemus lexicon hiberno-anglum Pariſiis impreſſum anno 1768., & aliud de Erſa & Hiberna a Shau, quorum tamen utrumque minus probantur a Carolo Vallanceio. Quam multi dialectos Celticae has tres linguas crediderint videſis apud Bardettum (1) quibus acceſſit laudatus a Iacobo Macpherſon alter ejuſdem cognominis, ſed Joannes nomine, qui confidentius id certum eſſe dixit in *Celticis diſſertationibus* anglice editis anno 1768. (2), ſed quas Vallanceius apud Hervam (3) quantum ad hanc partem contemnit tamquam commenta hominis, qui infeliciter locum affectavit inter philoſophos, cum ſatis conſpicuum merito inter poetas jam haberet.

399. In horum ſententiam olim deſcendit Hervas (4) ſed ab ea deinde receſſit (5) *Dialectus* inquit *Celtica non eſt Hiberna*, poſtquam Vallanceii quædam legit argumenta, quæ in literis ad ipſum datis anno 1785., & ab eo relatis in citato proxime volumine indicantur, quibus contendit gentem hibernam, quæ in Scotiam & aliquas inſulas propagata fuit, venire ex Phoenicia, & proinde linguas erſam hibernamque eſſe dialectos phoeniciæ ſive punicæ, & grammaticam etiam vidit linguæ hibernæ ad ſe transmiſſam a Carolo O-Conor, a quo habemus diſſertationes ſuper hiſtoriam Hiberniæ impreſſas Dublini ann. 1766.

400. In his linguis præter Phoenicias multæ ſunt dictiones ſimillimæ illis, quas in eodem ſenſu adhibent Tartari Calmucchi. De illis, quæ reperiuntur in Hiberna Vallanceius viginti quinque apud Hervam (6) propoſuit. Quoniam autem nec Calmucchi, neque alii Tartari unquam in Hiberniam navigarunt, aut commercium cum illis habuerunt, dicas eas fuiſſe in lingua, quam loquebantur Phoenicii, qui ſedem ſuam primi in Hibernia ſtatuerunt, ab iis acquiſitas per commercium cum Calmucchis. Multo autem plura ſunt verba celtica in prædictis linguis erſa & hiberna. Horum copia in cauſſa fuit, ut tam multi dixerint eas eſſe celticæ dialectos, ſicuti ſunt linguæ, quas obſervavimus (n. 397.) in Britannia minori & Wallia, in quibus alii viderint an olim fuerit ipſe Vallanceius, quoniam Hervas dicit (7) iterato edidiſſe Dublini ann. 1782. *grammaticam hiber-*

(1) Ba. Ling. de prim. c.2 art.2.
(2) Ma. diſ. to. pag.121.
(3) He. Idea. to.18. n.103 in not.
(4) He. Idea. to.17 n 142.
(5) Id. to.18 n.104 pag.89.
(6) He. Idea. to. 20 n.55.
(7) He. Idea. to. 21 pag.103.

hiberno - celticam. Ipſe quidem Hervas huic ſententiæ non recuſavit iterum accedere, immo expreſſe (1) eas inter dialectos celticæ computavit, certe non omnino immemor eorum, quæ jam antea ſtatuerat de origine phoenicia linguæ hibernæ, quandoquidem ibi locum citat, ubi id antea dixerat, idque iterum iterumque affirmate repetit in proximo quod edidit volumine (2). Mirum autem non eſt Auctorem non dixiſſe, ſicuti alias fecit, retractare ſe hic, quod alibi ſcripſerat. Nam opus de linguis complectitur tam multas cognitiones, hiſtorias, obſervationes, ut mens humana debeat quandoque illarum obrui multitudine.

401. Leibnitius videtur ignoraſſe linguam Britanniæ minoris, & Walliæ eſſe magna ex parte celticam (n.397.), majoremque verborum celticorum copiam in lingua Erſa, quam in Hiberna reperiri; Nam hanc dixit referente Herva (3) omnium minime degenerem eſſe a Celtica. Tanta celticarum dictionum frequentia in prædictis linguis plane ſuadet colonias Celtarum transmigraſſe tam in Hiberniam, quam in Scotiam, quemadmodum non pauci jam olim dixerunt. In his eſt ipſe Hervas (4), qui ex Gallæciae parte occidentali contermina oceano tenet veniſſe Celtas in Hiberniam, & ex ejusdem boreali parte illos ſolviſſe qui Scotiam adierunt. Atque quia veteres aliqui Celtas boreales appellarunt Scythas, propterea quod fortaſſe multi illorum erant Scythæ, conſtat enim juxta Hervam (5) varias in Europa regiones, & Sveciam ipſam fuiſſe occupatam a Scythis, qui deinde fuerunt a Teutonis expulſi, hinc Scoti a nonnullis, inter quos eſt Beda dicti fuerunt originem habere a colonia Scytharum, & a nomine Scytha illud Scotiæ factum. Aliis vero magis placet Scotiæ etymologia deſumpta a navis nomine, quod in lingua celtica, aliisque multis eſt affine latino Scapha, quoniam ſupra naves hi Celtæ neceſſario illuc transmigrarunt.

402. Qui hæc præ oculis habeat, concludet non temere a multis ſcriptum eſſe hibernos & ſcotos provenire ab hiſpanis, quoniam Gallæcia eſt ex eorum provinciis, nec temere linguam erſam hibernamque computatas eſſe inter celticas dialectos. Ex collato numero verborum celticorum cum illo phoeniciorum vel punicorum, quæ ſunt in his linguis, ſtatuendum erit num melius dicendæ ſint dialecti phoeniciæ, an celticæ, an potius mixtura quædam harum linguarum. Phoeniciorum quidem verborum aliquas centurias ab O-Halloran ex hiberna collectas ipſe idem Londini recenter promulgavit, quibus addo multa hebraica, quæ Hervas (6) e regione hibernorum poſuit, ex quibus ſtatim cognoſcitur magna ſimilitudo hibernarum vocum cum illis hebrææ, cujus dialectus eſt phoenicia, & alia non pauca ab eodem Herva (7) ſimiliter propoſita ex lingua Shilihica

(1) He. Idea. to.20 n.14.
(2) Id. to.21 n. XXIX. & XXX; & n.239.
(3) He. Idea. to.17 n.293.
(4) He. Idea. to 21 n.XL.
(5) He. Idea. to. 20 n.XXIX.
(6) He. Idea. to.18 n.20 pag. 104.
(7) He. Idea. to.20 n.14.

libica phoeniciæ dialecto, quæ auditur in multis regionibus regi Marochii ſubjectis, quæ plerunque valde ſimiles conſpiciuntur hibernis.

403. Huic argumento pro retinenda lingua hiberna in dialectis phoeniciæ accedunt, quæ ſuadent homines primum in Hiberniam advenisſe non ex Gallia, ubi celtica florebat, ſed ex Phoenicia vel Africa. Certum enim eſt, ut Bochartus (1) ex hiſtoria concluſerat, Phoenices, ſive horum ſobolem Poenos Hiberniam occupaſſe. Eſt tandem argumentum quod in quæſtionibus de origine linguarum magni ponderis eſt, obſervatam eſſe, ut ipſemet Hervas (2) refert, in Hibernis noſtri temporis eamdem pronunciationem, quæ nunc reperitur apud gentes, quarum lingua eſt filia phoeniciæ. Nam pronunciatio ſolet in perpetuum remanere in populo, qui linguam majorum ſuorum amiſerit, & ipſam etiam ejus ſyntaxim, ſicut hibernæ accidit propter irruptionem alienigenarum maxime Celtarum.

404. Cantabrorum lingua dicitur primigenia a multis, quos citat & ſequitur Emmanuel Larramendi, qui dux jam eſt omnium, qui norunt quam emunctæ naris virum ſe probaverit in *arte linguæ cantabræ* ann. 1742. Salmanticæ edita, ejusque dictionario, quod deinde anno 1745. promulgavit cum erudita explicatione hiſpana & latina vocum ſingularum hujus linguæ, plaudentibus Trevoltianis (3), Bardetto (4) aliisque. Hæc lingua auditur non jam in Catalaunia, ut perperam non ſemel affirmarunt Angli hiſtoriæ univerſalis auctores (5), ſed in Hiſpaniæ provinciis Cantabria, Guipuſcoa, & Navarra, & in ea Galliæ provincia, quæ dicitur Lapurdenſis. Hervas non ſolum in eadem ſententia eſt, quam jure dicit ſuaderi ab oratione Dominica, quam ipſe exhibuit (6) verſam in linguam a vulgo in prædictis regionibus uſitatam, in qua tenues apparent varietates in verbis & pronunciatione, quas neceſſario infert ſingularum dialectus, ſed de ea etiam copioſe & magnifice diſſeruit (7), ab ea repetit perquam multa vocabula latina, adeoque omnium linguarum, quarum latina eſt mater, & non pauca italica (8) quæ nec in latina ſunt, nec in græca. Eam dicit (9) admirabilem in rerum appellationibus, quæ ipſarum præcipua attributa exprimunt, ut ex eorum etymologia colligitur, in verborum conjugationibus, in harum numero, in vocum terminatione, in multitudine particularum, quæ ſignificent varios actionum modos, in tot denique dotibus, quas non inveni, inquit, in linguis mihi aliquo modo notis triginta, quarum grammaticas legi.

405. Atque hinc concludit totam Hiſpaniam, cui propriam facit, antiquitus linguam cantabram, abundaſſe viris doctis in omni ſcientia & humanioribus literis, a quibus dependet cujusque linguæ perfectio, ante-

quam

(1) Bo. Phaleg. l. 1 c. 39.
(2) *He*. Idea. to. 20 n. 140.
(3) Tr. ann. 1748 ar. 105.
(4) Ba. Lingua c. 7 ar. 3 n. 11.
(5) Sto. to. 19 c. 11 ſe. 2.
(6) He. Idea. to. 21 n. 156.
(7) He. Idea. to. 17 n. 338.
(8) He Idea. to. 18 n. 145 in notis.
(9) Id. to. 17 n. 335.

quam Romani aliique populi in Hiſpaniam irruentes, hanc in ſolis ejus partibus reliquerint, in quibus etiam nunc exiſtit, quia non potuerunt illas invadere. Quam quidem concluſionem qui admittat tamquam legitimam, jam Athenas dicet fuiſſe etiam in barbaris quibusdam Americæ nationibus, quæ ex dictis (n.352.) linguas habere præclaris & ſingularibus inſtructas dotibus prædicantur.

Tanta eruditorum multitudo, in quibus tot ſunt viri doctiſſimi & acutiſſimi qui in Hiſpania nati educati & in literis exculti, vel ſemper vel usque ad maturam ætatem ibi vitam duxerunt, omnes peſſumdat etiam hiſpanos, de quibus eadem attributa non poſſunt prædicari, qui Cantabram linguam dixerunt eſſe dialectum linguæ Celticæ, ut Martinierius (1), Falconetus (2), Angli hiſtoriæ univerſalis auctores (3), & Joannes Macpherſon (4). His jam olim ſe oppoſuit Leibnitius, qui in epiſtola ad Chamberlain apud Hervam (5) dicit, *linguam veterum Hiſpanorum ſimilem Biſcainæ fuiſſe credibile eſt, quæ ſeſe in aſperrimis montibus contra Romanos, Gotbos, Saracenos tueri potuit: Et credibile eſt hanc linguam, etiam ſe non nihil per vicinam galliam diffudiſſe, ſed a Celtica longe diverſam eſſe apparet*. Dum Biſcainam appellat linguam cantabram nomine utitur hujus temporis relicto veteri latinorum. Nuper Joſeph de Bervide auctor grammaticæ cantabræ ad Hervam miſſæ, poſtquam legit dictionarium celticum inſertum in *Collectanea* Leibnitii, faſſus eſt in eo duo tantummodo vocabula ſe reperiſſe fere eadem & ejusdem ſignificationis cum cantabricis. Hæc confirmat Eximenus (6) qui cantabricam linguam longe differre ab omni lingua tam viva quam mortua affirmat.

406. Qui hanc ſtatuerunt eſſe dialectum Celticæ videntur in hanc ſententiam deducti a nomine Celtiberorum, hoc eſt Celtarum circa Iberum unum ex praecipuis Hiſpaniae fluminibus habitantium, quo olim Celtæ pervenerunt. Quod deinde nomen juxta uſitatos tropos commune factum fuit Hiſpanis omnibus maxime a poetis. In eadem ſententia confirmati ſunt ab iis, qui Hibernam linguam cum aliis in Anglia & Scotia ipſi affinibus dixerunt eſſe dialectum Celticae (n.398.). Atque his definite oppono Hervam (7) qui nihil ſimile invenit in multis cantabris vocibus, quas cum totidem celticis hibernis wallenſibus & armoricis comparavit, & alibi (8) Cantabram dixit non minus differre a Celtica, quam Latina ab Hebraea. De eadem diverſitate jam olim teſtimonium dederat Iacobus Macpherſon, qui viſo dictionario Larramendii linguae cantabrae dixit (9) certum jam eſſe cantabram eſſe prorſus diverſam linguam ab hiberna, adeoque corruere unum ex præcipuis argumentis, quo aliqui conati ſunt ſuadere

(1) Ma. Dict. ar. Celtæ.
(2) Fa. Acad. des Inſcri. to. 20.
(3) Sto. to.18 c. 11 ſec.2.
(4) Ma. diſſ 10.
(5) He. Idea. to.17 n.289.
(6) Ex Muſic. l.3 c. 1 n.4.
(7) He. Idea. to.17 n 286.
(8) Idem. to. 21 n.XL.
(9) Ma. An introd. pag.86.

Digitized by Google

te primos Hibernos eſſe coloniam Hiſpanorum. Qui tandem conferat dictionarium cantabrum Larramendii cum illis de lingua hiberna ſupra (n.398.) nominatis, & cum illo de lingua Britanniae minoris, quod Ludovicus le Pelletier Maurinus poſt laborem annorum viginti, ut referunt Trevoltiani (1) publici juris fecit, certior fiet de differentia linguae cantabrae ab hiberna, & concludet hallucinatum fuiſſe Guidonem Ferrarium (2) cum ſcripſit Cantabros intelligere linguam Bretonum & Wallenſium, quæ affines ſunt hibernae, & viceverſa.

ARTICULUS III.

De linguis in Aſia primigeniis Hebraica vel Syriaca.

407. Linguam hebraicam eſſe primigeniam perquam multi propugnant, illam ſcilicet quæ hebraica biblica ad alterius diſtinctionem, quae hebraica rabbinica appellatur, in qua ſunt perquam multa vocabula, quae in Bibliis non habentur excuſa a doctoribus hebraeis ex radicibus linguae biblicae, vel deſumpta ex aliis linguis ſyriaca maxime & arabica, & conformata juxta leges grammaticae hebraicae. Inter multos in lingua rabbinica ſcriptores celeberrimi ſunt Aben-Ezra Toletanus mortuus anno 1174. aetatis ſuae circiter 75, & Moſes Maimonides Cordubae natus anno 1139., & in Ægypto mortuus anno 1209., & Salomon Iarchi Tricaſſenſis mortuus in patria anno 1180. poſt annos vitæ 74. interpres Scripturæ & Thalmudi, qui Raſſi etiam appellatur a Ladvocato (3) & aliis, quod nomen compoſitum eſt ex primis literis horum verborum Rabbi Salomon Iſacides ut notat Finettius (4).

408. In hebraica lingua juvat advertere omnia ipſius nomina contineri ſub duobus tantum generibus maſculino & feminino, & tres in iis non vero in verbis eſſe numeros ſingularem dualem & pluralem, eorumque caſus deſinere omnes eodem modo ſicut in italica. Hujus linguae dialectos auctores communiter dicunt Samaritanam, Phoeniciam ſive Chananaeam, Punicam, Palmyrenam, Arabicam, Æthiopicam, quae auctore Kirchero (5) ſi pauca excipias prorſus affinis eſt Chaldaeae vel Syriacae, & ipſam tandem Chaldaeam vel Syriacam. Sed alii rurſus ſunt, qui Syriacam primigeniam praedicant, & matrem ipſius Hebraicæ, earumque quae huic tribuuntur. Affinitatem quidem inter linguas hebraicam, chaldaicam, ſyriacam, arabicam tam literariam quam vulgarem, & æthiopicam Finettius (6) conſpicuam reddidit, dum tabulas propoſuit, quæ propriis ſingularum vocibus in eadem horizontali linea diſtinctim poſitis exhibent unius nominis declinationem, omnia pronomina primitiva, unum nomen cum

 adjun-

(1) Tr. ann. 1714. ar. 50.
(2) Fe. dis. de Inſubr. 9.
(3) La. Diz. ar. Jarch.
(4) Fi. Ling. ebrai. c. 1 ſe. 2 n. 5.
(5) Ki. Prodr. copt. c. 3.
(6) Fi. Ling. ebrai. c. 1 ſe. 10.

Digitized by Google

quam Romani aliique populi in Hiſpaniam irruentes, hanc in ſolis ejus partibus reliquerint, in quibus etiam nunc exiſtit, quia non potuerunt illas invadere. Quam quidem concluſionem qui admittat tamquam legitimam, jam Athenas dicet fuiſſe etiam in barbaris quibusdam Americæ nationibus, quæ ex dictis (n.352.) linguas habere præclaris & ſingularibus inſtructas dotibus prædicantur.

Tanta eruditorum multitudo, in quibus tot ſunt viri doctiſſimi & acutiſſimi qui in Hiſpania nati educati & in literis exculti, vel ſemper vel usque ad maturam ætatem ibi vitam duxerunt, omnes peſſumdat etiam hiſpanos, de quibus eadem attributa non poſſunt prædicari, qui Cantabram linguam dixerunt eſſe dialectum linguæ Celticæ, ut Martinierius (1), Falconetus (2), Angli hiſtoriæ univerſalis auctores (3), & Joannes Macpherſon (4). His jam olim ſe oppoſuit Leibnitius, qui in epiſtola ad Chamberlain apud Hervam (5) dicit, *linguam veterum Hiſpanorum ſimilem Biſcainæ fuiſſe credibile eſt, quæ ſeſe in aſperrimis montibus contra Romanos, Gothos, Saracenos tueri potuit: Et credibile eſt hanc linguam, etiam ſe non nihil per vicinam galliam diffudiſſe, ſed a Celtica longe diverſam eſſe apparet*. Dum Biſcainam appellat linguam cantabram nomine utitur hujus temporis relicto veteri latinorum. Nuper Joſeph de Bervide auctor grammaticæ cantabræ ad Hervam miſſæ, poſtquam legit dictionarium celticum inſertum in *Collectanea* Leibnitii, faſſus eſt in eo duo tantummodo vocabula ſe reperiſſe fere eadem & ejusdem ſignificationis cum cantabricis. Hæc confirmat Eximenus (6) qui cantabricam linguam longe differre ab omni lingua tam viva quam mortua affirmat.

406. Qui hanc ſtatuerunt eſſe dialectum Celticæ videntur in hanc ſententiam deducti a nomine Celtiberorum, hoc eſt Celtarum circa Iberum unum ex praecipuis Hiſpaniae fluminibus habitantium, quo olim Celtæ pervenerunt. Quod deinde nomen juxta uſitatos tropos commune factum fuit Hiſpanis omnibus maxime a poetis. In eadem ſententia confirmati ſunt ab iis, qui Hibernam linguam cum aliis in Anglia & Scotia ipſi affinibus dixerunt eſſe dialectum Celticae (n.398.). Atque his definite oppono Hervam (7) qui nihil ſimile invenit in multis cantabris vocibus, quas cum totidem celticis hibernis wallenſibus & armoricis comparavit, & alibi (8) Cantabram dixit non minus differre a Celtica, quam Latina ab Hebraea. De eadem diverſitate jam olim teſtimonium dederat Iacobus Macpherſon, qui viſo dictionario Larramendii linguae cantabrae dixit (9) certum jam eſſe cantabram eſſe prorſus diverſam linguam ab hiberna, adeoque corruere unum ex præcipuis argumentis, quo aliqui conati ſunt ſuade-

re

(1) Ma. Dict. ar. Celtæ.
(2) Fa. Acad. des Iuſcri. to. 20.
(3) Sto. to. 18 c. 11 ſec. 2.
(4) Ma. diſſ 10.
(5) He. Idea. to. 17 n. 289.
(6) Ex Muſic. l. 3 c. i n: 4.
(7) He. Idea. to. 17 n 286.
(8) Idem. to. 21 n. XL.
(9) Ma. An introd. pag. 86.

ne primos Hibernos eſſe coloniam Hiſpanorum. Qui tandem conferat dictionarium cantabrum Larramendii cum illis de lingua hiberna ſupra (n.398.) nominatis, & cum illo de lingua Britanniae minoris, quod Ludovicus le Pelletier Maurinus poſt laborem annorum viginti, ut referunt Trevoltiani (1) publici juris fecit, certior fiet de differentia linguae cantabrae ab hiberna, & concludet hallucinatum fuiſſe Guidonem Ferrarium (2) cum ſcripſit Cantabros intelligere linguam Bretonum & Wallenſium, quæ affines ſunt hibernae, & viceverſa.

ARTICULUS III.

De linguis in Aſia primigeniis Hebraica vel Syriaca.

407. Linguam hebraicam eſſe primigeniam perquam multi propugnant, illam ſcilicet quæ hebraica biblica ad alterius diſtinctionem, quae hebraica rabbinica appellatur, in qua ſunt perquam multa vocabula, quae in Bibliis non habentur excuſa a doctoribus hebraeis ex radicibus linguae biblicae, vel deſumpta ex aliis linguis ſyriaca maxime & arabica, & conformata juxta leges grammaticae hebraicae. Inter multos in lingua rabbinica ſcriptores celeberrimi ſunt Aben-Ezra Toletanus mortuus anno 1174. aetatis ſuae circiter 75, & Moſes Maimonides Cordubae natus anno 1139., & in Ægypto mortuus anno 1209., & Salomon Iarchi Tricaſſenſis mortuus in patria anno 1180. poſt annos vitæ 74. interpres Scripturæ & Thalmudi, qui Raſſi etiam appellatur a Ladvocato (3) & aliis, quod nomen compoſitum eſt ex primis literis horum verborum Rabbi Salomon Iſacides ut notat Finettius (4).

408. In hebraica lingua juvat advertere omnia ipſius nomina contineri ſub duobus tantum generibus maſculino & feminino, & tres in iis non vero in verbis eſſe numeros ſingularem dualem & pluralem, eorumque caſus deſinere omnes eodem modo ſicut in italica. Hujus linguae dialectos auctores communiter dicunt Samaritanam, Phoeniciam ſive Chananaeam, Punicam, Palmyrenam, Arabicam, Æthiopicam, quae auctore Kirchero (5) ſi pauca excipias prorſus affinis eſt Chaldaeae vel Syriacae, & ipſam tandem Chaldaeam vel Syriacam. Sed alii rurſus ſunt, qui Syriacam primigeniam praedicant, & matrem ipſius Hebraicæ, earumque quae huic tribuuntur. Affinitatem quidem inter linguas hebraicam, chaldaicam, ſyriacam, arabicam tam literariam quam vulgarem, & æthiopicam Finettius (6) conſpicuam reddidit, dum tabulas propoſuit, quæ propriis ſingularum vocibus in eadem horizontali linea diſtinctim poſitis exhibent unius nominis declinationem, omnia pronomina primitiva, unum nomen cum

Y 2 adjun-

(1) Tr. ann. 1714. ar. 50.
(2) Fe. dis. de Inſubr. 9.
(3) La. Diz. ar. Jarch.
(4) Fi. Ling. ebrai. c. 1 ſe. 2 n. 5.
(5) Ki. Prodr. copt. c. 3.
(6) Fi. Ling. ebrai. c. 1 ſe. 10.

Digitized by Google

adjunctis pronominibus poſſeſſivis, & orationem Dominicam, & confirmavit Hervas per ſuum lexicon polyglotton (1), ſuamque admirabilem collectionem orationis dominicæ in permultis linguis, in qua ſtatim videas etiam dialectos Samaritanam Æthiopicam, & alias.

409. De controverſia inter hebraicam & ſyriacam circa primatum originis inferius diſtincte agam, utriusque tantummodo partis argumenta proponendo, & nihil ſtatuendo. Quicquid autem dicatur de Syriaca intelligi debet dictum de Chaldæa. Calmet quidem dixit tempore Esdræ (2) *Syriaca & Chaldæa linguæ affines erant, niſi easdem credamus, ſicut hodie usque valde inter ſe conformes habentur.* Sed ſine ulla jam hæſitatione linguarum Orientalium peritiſſimi profitentur unam eamdemque linguam Syriacam, utpote late extenſam, appellatam fuiſſe diverſis nominibus, deſumptis a locis aut nationibus, in quibus floruit. Quamobrem inquit Amira (3) *dicta fuit Chaldaica a Chaldæa, in qua principatum habuit. Babylonica a Babylone ejusdem civitate nobiliſſima: Aramæa ab Aram*, filio Sem, cujus progenies ſunt Syri, dicti propterea etiam in ſacris literis Aramæi: *Syriaca a Syria, nec non Aſſyriaca ab Aſſyria. Aliquando etiam dicta fuit Hebraica, quod ea aliquando populus hebræus tamquam vernacula uſus ſit.* Atque de his, quæ affirmat optima affert argumenta. Alia etiam nomina eidem data obſervat Finettius (4) qui ſubtiliter de ea diſſerit.

Nomen hebraicæ attributum aliquando eſſe chaldaicæ vel ſyriacæ linguae colligo ex Philone (5) qui nominat hebraicam, ubi debuiſſet chaldaicam nominare, & ex Euſebio ſupra (n. 167.) citato, & ex Oleaſtro, aliisque apud Iſidorum (6). His accedunt Thyſius (n.726.) & Jo. Baptiſta Bianconi (7), qui expreſſe dicunt eamdem linguam appellari Hebræam ab Hebero Hebræorum progenitore: Chaldaicam vero ratione commorationis Abrahami in Chaldæa, vel ratione ſervitutis, quam hebræi in Chaldæa ſubierunt e ſuis ſedibus evulſi, & quaſi Chaldæorum pars effecti. Accedit & Kircher, dum iis, qui volebant primam linguam fuiſſe Chaldæam, quia (8) a Noe ejusque poſteris devenit ad Abrahamum, reſpondit hos loquutos fuiſſe linguam hebræam ab Adamo & ceteris patriarchis hauſtam, quæ chaldæa vocari poteſt a regione in qua erant.

410. Qui Chaldaicam linguam volunt eamdem eſſe cum Syriaca, advertunt Chaldaicam proprie non eſſe quæ extat in iis Sacræ Scripturæ interpretationibus, quæ paraphraſes chaldaicæ dicuntur, & aliter Targum a voce chaldaica, quæ idem eſt ac expoſuit, ut ait Calmet (9), quoniam illæ abundant hebraismis, ac vocabulis nullo modo chaldæis, & apud nullam jam gentem teſte citato loco Amira in uſu jam eſt. Equidem non dicam

(1) He. idea. to. 10 n. 184.
(2) Ca. Diz. ar. Targum.
(3) Am. Gramm. in præl. ſub init.
(4) Fi. Lin. Ebr. c. 1 ſe. 4.
(5) Phi. Vita Moyſis l. 2.
(6) Iſi. Orig. l. 9 c. 1.
(7) Bi. Antiq. hebr. p. 10 edi. 2.
(8) Ki. Oed. to. 2 cla. 2 c. 1 di. 3.
(9) Ca. Diz. ar. Targum.

Digitized by Google

dicam de hac loquutum fuiſſe S. Hieronymum, quando teſtatus eſt opus habuiſſe multo labore ad ediſcendam chaldaicam, ejusque pronunciationem ita difficilem inveniſſe, ut dicat (1) *usque ad præſentem diem magis poſſum ſermonem chaldaicum legere & intelligere, quam ſonare*; Nam alibi profitetur ſe aliquandiu in quavis lingua chaldaica hoſpitem fuiſſe, referens ſe Tobiæ (2) *librum chaldæo ſermone conſcriptum ad latinum ſtilum traxiſſe* accito homine, qui ſibi ipſum *hebraicis verbis exprimeret*. Qui interea chaldaicas paraphraſes reſpiciat, jure negat eamdem eſſe cum Syriaca, atque ad has intelligendas credo directam Theſei Ambroſii *Introductionem in chaldaicam linguam, syriacam atque armenicam, & decem alias linguas*, Ticini 1539. In ipſamet Chaldaica, quam dicunt eamdem eſſe cum Syriaca, hæc etiam advertunt, primo quidem Chaldæam vocari, quæ characteres quosdam adhibet antiquiores diverſæ formæ ab illis, qui poſteriorιbus temporibus invaluerunt apud Syros, utpote qui facilius & expeditius ſcribuntur: deinde uſum obtinere, ut Syriaca dicatur, quæ a Syris, Chaldæa vero quæ a Chaldæis pronunciatur, quoniam diverſo modo id a ſingulis fit, prout accidit cuique linguæ, cujus eadem non eſt pronunciatio apud diverſas gentes. Tandem obſervant proprium eſſe Chaldæis vocalem O, qua carent etiam in ſcriptione, ſemper efferre per vocalem A, & duplicare in pronunciatione quamcunque conſonantem, quæ media ſit inter A, & I.

411. Propter expoſitas chaldaicæ proprietates credo factum eſſe, ut aliqui teſte Bonfrerio (3) *Syriacam vocent Chaldaicam reformatam*, quemadmodum reapſe loquitur laudatus Amira, & *Guido Fabricius utrinsque linguæ voces uno Syro-chaldaico dictionario complexus ſit*. Nunc autem tam Syri quam Chaldæi per ſtudium hanc ſibi linguam comparant, atque ſicuti apud nos una eademque latina lingua diverſo modo pronunciatur a diverſis per Europam populis, qui eam addiſcunt, ut Galli non intelligant Italos latine loquentes, nec Itali Gallos, ita etiam Chaldaei Chriſtiani, qui plerunque Neſtoriani ſunt, ea dialecto utuntur in exercitio Liturgiae, ut qui ex illis non ſunt, difficulter quae dicunt apprehendant. Syriacae linguae Lexicon aliquod praeter citatum Guidonem Fabricium Jo. Baptiſta Ferrari Romae publicavit anno 1622. ſub titulo *Nomenclator Syriacus*. Aliud ampliſſimum cum latina interpretatione ſingulorum verborum & etiam arabica, ſed carſciunice (n. 145.) ſcripta multorum annorum ſtudio compoſuit Theodorus Onorati, qui dum ſtetit Soc. Jeſu hanc linguam docuit in Collegio Maronitarum de Urbe, in quo ipſe utpote ex eadem gente curſum ſtudiorum confecerat, & etiam nunc non ſolum ibidem eamdem docet, ſed in collegio etiam de Propaganda Fide. Hujus ſui operis exemplum deficiens tamen a vocabulis, quae pertinent ad quinque ultimas literas tradidit Georgio Adler, qui Romae voluit in hac lingua ab eo perfici, quod ſecum

(1) Hi. præf. in Daniel.
(2) Hi. præf. in Tob.
(3) Ao. in Pentat. c.12 ſe.3.

ſecum in patriam detulit, & rumor quidam eſt ibidem ab eo typis impreſſum, ſuppletis fortaſſe alio modo vocabulis, quae ab auctore non obtinuit. Adler notus eſt non ſolum ex *Museo Cuſico*, de quo ſupra (n.144.) memini, ſed ex quibusdam etiam rudimentis linguae Syriacae Romae impreſſis. Grammaticas Syriacas habemus Romae excuſas tum a Victorio Scialac, tum ab Abrahamo Echellenſi Maronitis, & quae maximi habetur a Georgio Michaele Amira Edenienſi e Libano, qui eam compoſuit & publicavit, cum jam philoſophus & theologus degeret in urbe *Collegii Maronitarum alumnus* ut ipſemet ait in ſua ad Card. Henricum Caetanum epiſtola dedicatoria. Aliam recentius protulit Zanolinus (n. 264.) an.1742.

412 Arabicam linguam ſunt apud Samuelem Shuckfordium (1) & Bonifacium Finettium (2) qui inter primas linguas computarunt, & conſequenter a linguis primigeniis excludunt tam hebraeam, quam ſyriacam, quandoquidem hae tres linguae demonſtrantur (n.408.) inter ſe affines. Rationes quibus in hanc opinionem venerunt, ſunt primo quia lingua arabica eſt lingua gentis cujus progenitor fuit pius Eber. Sed hic fuit etiam Hebraeae. Secundo quia Arabes ſaltem propiores Mediterraneo cum ſint progenies Iſmaelis, quem genuit Abrahamus ante Iſaccum, indicant arabicam ipſorum linguam fuiſſe illam Abrahami. At non nemo dicet Iſmaelis progeniem accomodaſſe patriam linguam linguae populi qui jam antea erat in regione, in quam diffuſa paulatim fuit, & facta natio, natamque hoc modo arabicam ex commixtione hebraicae cum ea quae ibi antea erat. Tertio tandem quia in ſola arabica lingua reperiuntur radices plurium dictionum hebraicarum, quae leguntur in ſacris libris. At aliae etiam linguae ut Syriaca & Æthiopica praetendunt radices aliorum verborum hebraicorum, quae nec lingua hebraica nec aliae linguae exhibent. Quare dici poteſt has radices proprias linguae hebraicae conſervatas eſſe in linguis ex illa natis, in qua ipſae non reperiuntur, quia pauca de hebraica ſuperſunt, illa ſcilicet quae habentur in ſacris libris. Ineſſicacia igitur cum ſint argumenta, quae pro primatu originis arabicae linguae afferuntur, non eſt recedendum a communi conſenſu doctiſſimorum Arabum, qui ſuam linguam hebrææ vel ſyriacæ filiam appellant.

Certe in ipſa characterum forma quisque videat manifeſta ſyriacarum literarum lineamenta, ita ut inquit Finettius (3) libri arabici cuſico praeſertim charactere (n.143.) exarati a minus peritis primo intuitu ſyriaci cenſeantur. Praeterea in arabica radices nominum, & verborum ſunt tertia perſona praeteriti, & nomina praeter ſingularem numerum & pluralem habent etiam dualem ſicut in hebraica, qui numerus abeſt a ſyriaca. At Arabica ſuam matrem ſive hebraeam, ſive ſyriam, quales nunc habemus, ſuperavit copia verborum, quibus illam locupletarunt omnis generis ſtudia, quae olim apud Arabes quam maxime floruerunt, ut conſtet ex

(1) Sh. Hiſt. da Mond. l.3.
(2) Fi. Ling. ebrai. c. 1 ſe. 7 n.3.
(3) Fi. Lin. ebra. c. 1 ſe. 7 n.12.

Digitized by Google

ex multis qui in hac lingua extant libris, ex quibus factum eſt ut in ea conſervatae fuerint plures hebraeae linguae radices, & certa facta ſit ſignificatio aliarum vocum quae in ipſa erant dubiae vel ignotae, utpote quae in Scriptura vel ſemel vel raro occurrunt.

413. Antiquiorum autem Arabum lingua differt ab illa vulgi hujus temporis, non ſecus ac lingua Græca vetus ſive Hellinica ab ea quæ nunc eſt uſitata, ſive Romaica, atque ſicuti Hellinica ſolo ſtudio jam acquiritur, ita veterem arabicam diſcere oportet. Diſcitur autem longe facilius quam Hebraica & Hellinica, utpote quæ maxime regularis eſt, & expers tot anomaliis, quæ in prædictis linguis occurrunt. Eam multi jam Chriſtiani addiſcunt, & ad illam docendam conſtituti ſunt in Academiis profeſſores, & in Romana quidem unus pro illa diſtinctus a profeſſoribus aliarum linguarum orientalium, propterea quod multæ habentur in hanc linguam verſiones ſacræ Scripturæ, de quibus meminit Calmet (1). Mahumetani etiam huic arabicæ ſtudent, quia in ea ſcriptus eſt Alcoranus, quem juxta Finettium (2) eorum lex vetat in aliam linguam transferre, vel translationem disjungere ab hac primitiva ſive veteri arabica, in qua primum propoſitus fuit ab iis apoſtatis & impiis, quibus uſus eſt Mahumetus in eo componendo, quoniam ipſe legendi & ſcribendi inſcius erat, ut propterea ſui illum appellent prophetam illiteratum. Hujus grammaticam Thomas Obizzinus Novarienſis ex Ord. S. Franciſci Romae protulit ann. 1631. ibidemque aliam dedit anno 1642. Philippus Guadagnoli. Ipſius autem lexicon habemus a Golio pluris habitum illo, quod Giggæus ex Congreg. Oblatorum Mediolanenſium publicavit anno 1632., utpote minus bene diſpoſitum, & ſuperfluis redundans in quatuor ſuis voluminibus.

414. Vulgaris Arabica late diffuſa per plures nationes Mahumetana infectas religione, & per maritimas Africæ regiones acquiſivit in ſingulis propriam dialectum, ex quibus illa Aegypti & Damaſci dicitur ceteris elegantior. Ea facilius addiſcitur quam literalis, utpote libera a multis hujus regulis, quas Finettius (3) enumerat. Eadem magna ex parte tranſiit in Aethiopicam linguam, quoniam plures in ea ſunt voces ab arabica derivatæ præter alias, quas habet ab hebræa vel ſyriaca. Ipſa Aethiopica diſtinguitur in vulgarem & literariam, quae viva amplius non eſt, & apud ſolos literatos remanet.

AR-

(1) Ca. Dict. ar. Bibl. arab.
(2) Fi. Lin. Ebr. c. 1 ſc. 1 n. 1.
(3) Fi. Lin. ebta. c. 1 ſc. 7 n. 18.

Articulus IIII.

De linguis in Aſia primigeniis Sinica & Malaya.

415. Sinenſem linguam inter primigenias ad Aſiam pertinentes Hervas (1) poſt alios numerat, & in hypotheſi, de qua inferius (n.730.) dicam, quod Noe poſt diluvium quidem, ſed ante ipſam linguae confuſionem in hanc regionem ſe contulerit, imperiique Sinenſis fundator fuerit, hanc dicit fuiſſe linguam Noe, quam opus eſt dicamus nunquam e ſua quaſi infantia emerſiſſe, ſiquidem ipſe idem cum aliis obſervat (2) eam non habere alphabetum, prout noſtris etiam temporibus a Sinenſibus ſcribitur per artem, quam credit eſſe illam, quam acceperunt a Noe, & quæ proinde dicenda eſſet non alia ab ea, quæ fuit apud homines ante diluvium. Præterea qui attendat ad illius artificium, videt eſſe in aliarum linguarum (3) comparatione miſerabile, & nullum in ea vocabulum, dum ab aliis gentibus ſcribatur vel pronuncietur incipere per A, nec per E, & nullum terminari per conſonantem, quæ non ſit M, aut N, nec uti literis B, D, R, X, Z, ſed harum loco, ſi pronuncient voces europeas, in quibus illæ ſint, adhibere P, T, L, S. Hæc vera eſſe concludet ſtatim, qui inſpiciat omnes hujus linguæ radices ab ipſo Herva ordinatim (4) expoſitas, & multa ejuſdem verba, quæ idem (5) retulit in Lexico Polyglotto.

Stephanus Fourmont natus in pago Herblaii prope Pariſios ann.1683. & Pariſiis mortuus anno 1745. etſi nunquam fuit apud Sinas, tamen anno 1742. Pariſiis edidit *Linguæ Sinarum Mandarinicæ hieroglyphicæ grammaticam* juſſu Ludovici XV., quæ *liber unicus in ſuo genere* dicitur a Petro des Fontaines in gallice ſcriptis *Cenſuris quorumdam novorum librorum*, quæ ſunt opus periodicum, quod ipſi tribuit Ladvocatus (6), cujus primum volumen prodiit Avenione anno 1744. In hac ille grammatica affirmat (7) *linguam ſinicam non habere niſi vocabula* 326. *aut* 328., *omniaque eſſe monoſyllaba*. Idem dicit de illa Samuel Shuckfordius, addens eam eſſe congeriem hieroglyphicorum, & carere alphabeto. Vocabulorum numerus de quibus hi loquuntur pertinet ad illa quæ aliorum radices ſunt, ſicuti alii opportunius dicunt. In his eſt Hervas (8) qui ait Sinenſem linguam habere ſyllabas radicales 337. quarum pleræque deſinunt in n, vel ng, dum gallice ſcribuntur vel pronunciantur, ut videre eſt in ipſarum integra ſerie, quam exhibet in citata nuper tabula.

416. Unam-

(1) He. Idea. to.16 c.1 & to.17 n.495 & to.18 n.67 & 221.
(2) He. Idea. to.16. c. 4 pag.129.
(3) He. to.18 n.212.
(4) He. Idea. to.18 pag. 76.
(5) He. Idea. to.20.
(6) La. Diz. ar. des Fontaines.
(7) Font. Ingem. to.4 pag.24.
(8) He. Idea. to.18 n.68.

416. Unamquamque ex his vocibus radicalibus dixit Furmontus *quinque tonos diverſos ſuſcipere, & hac via augeri numerum vocabulorum usque ad* 1400. *aut* 1600. ſingulosque peculiaribus ſignis diſtingui in dictionariis. Plures, quos idem citat de his tonis loquentes dixerunt eos reſpondere tonis muſicis Ut, Re, Mi, Fa, Sol. Idem narratur de accentis linguæ Tunchinenſis, quæ Annamitica etiam appellatur, & eſt dialectus Sinicæ. Teſtis eſt Hervas (1) ſe magna cum voluptate audiviſſe Italum reducem ex ea regione, ubi apoſtolico munere plures annos functus fuerat, monoſyllabum Lo diverſis modis reſonare, prout literam O faciebat modo gutturalem, modo labialem, modo naſalem, modo qualem nos ipſi facimus, & pro hac varietate diverſas habere ſignificationes. Quare illi evidens factum fuit, quod iam antea teſtatum fuiſſe noverat (2) Alexandrum de Rhodes Avenionenſem, qui in Tunchino primus anno 1625. Evangelium prædicavit, & Dictionarium Annamiticum Luſitano-latinum, quod alibi (n.370.) accuratiſſimum, hic egregium vocat (3) protulit Romæ typis Propagandæ anno 1651., præter alia, quæ Sotuellus (4) commemorat.

417. Ex ſyllabis interea radicalibus ope non ſolum variorum accentuum, ſed etiam aliquarum in unum vocabulum coagmentatione conflatur lingua innumeris onuſta vocabulis, ita ut idem Hervas (5) teſtetur Romæ ſe evolviſſe lexicon Sinenſe, in quo erant 31843. vocabula, derivata a radicalibus 228. Quod nemo admiratur, qui advertat quammultæ voces naſcantur in linguis Europæ, quæ ſatis limitato utuntur alphabeto. Itaque auctor eſt Gaspar Schottus ex teſtimonio expertiſſimorum hujus linguæ, in ſcriptura Sinenſium (6) *ſingulos characteres ſingulis vocibus & nominibus reſpondere, ideoque tot char acteribus opus habere, quot res ſunt, quas nominare volunt, adeo ut qui intelligibiliter loqui vult, ad decem millia characterum ſciat neceſſe ſit: qui autem eleganter vult ad octoginta millia: & longe plura, qui totam linguam callere deſiderat.* Similia habet Comiers (7) & du Halde apud Hervam (8) qui etiam refert (9) ſub Imperatore Kanghio prodiiſſe ejus lexicon, quod etſi conſtat voluminibus majoris moduli quinque ſupra nonaginta, nihilominus creditur ad ſui perfectionem alia 24. deſiderare, quæ illam neſcio an tollerent a catalogo linguarum inopum, in quo facile intelligi poteſt eam jure collocari, quia apud Sinenſes Scientiæ & Artes nunquam adoleverunt, a quibus copia verborum dependet. Flexier de Reval ex Halde dicit (10) omnes ipſorum doctores præter aliquid de Ethica omnes omnino partes philoſophiæ ignorare. Nec mirum quia ſolum ſtudium linguæ tam implexæ exhaurit omne

Z vitae

(1) He. idea. to. 16 c. 4 pag. 138.
(2) He. Idea. to. 18 n. 159.
(3) He. Idea to. 19 n. 300.
(4) So. Bibliot. Soc. Je.
(5) He. Idea. to. 18 n 68.
(6) Sc. Magl. univ. p. 3 l. 8 ſynt. 2.
(7) Co. Trait. de la parol. pag. 7.
(8) He Idea. to 16 c 4 pag. 137.
(9) He. Idea. to. 1 l. 2 c. 8.
(10) Fl. Catech. phil. l. 4 c. 3 ar. 6 §. 6.

Digitized by Google

vitæ tempus, & vim omnem ingenii, quod in Sinenſibus quicquid aliqui dixerint eſſe minus quam mediocre ex hoc ipſo concluditur, & ex ſtatu artium liberalium, quæ apud illos adhuc ſunt magis imperfectæ, quam fuerint in Italia in ipſarum, ut ita dicam infantia, quemadmodum teſtantur recentes picturæ, quæ illinc ad nos veniunt.

418. Lingua Sinica diſpertitur in tres primarias dialectos iuxta Villianum apud Hervam (1), quarum altera eſt aulicorum, altera literatorum, tertia vulgi. Hæc autem vulgi in toto Sinarum imperio habet quindecim novas dialectos pro totidem ipſius provinciis, quæ tam differunt inter ſe, quantum linguæ a latina ortæ, & ipſius vocabula de rebus nulli hominum incognitis dabit Lexicon polyglotton Hervæ, & alia illud Alexandri de Rhodes paulo ante laudatum. In regno pariter Cochinchinæ, quod eſt ſicut illud Tunchini Sinarum imperatori tributarium alia auditur dialectus, & aliæ in regnis Lavi, Campæ vel Campaiæ, quæ cum jam dictis connectuntur. His finitima ſunt regna Siami, Peguumi, Avæ, & Arakani, in quorum ſingulis ſunt linguæ. quas multi dixerunt primigenias, ſed Hervas has quoque ad dialectos ſinicæ opportunis rationibus ſtatuit (2) pertinere. Quod Siamenſes non ſcribant per hieroglyphica ſive ſymbola, ſed per literas diſtinctas non obſtat prædictæ ipſorum linguæ origini; hunc enim uſum utpote commodiorem uſurparunt,

419. Concluditur linguam ſinicam juxta Hervam (3) reperiri apud gentes, quæ continentur intra decem & octo gradus latitudinis borealis, & duos ſupra quadraginta longitudinis, quoniam auditur a gradu latitudinis quadrageſimo, & longitudinis 149., ubi incipit Sinarum imperium uſque ad Gangis oſtia, quæ ſunt in 22. latitudinis, & 107. longitudinis, De lingua Sinica præter Fourmontum loquuntur Howel, & Boyer apud Hervam (4), & Kircher in *China illuſtrata* Amſtelodami anno 1667. quæ in Hollandicam linguam verſa fuit anno 1668., & in Gallicam cum appendice Lexici Sinenſis anno 1670. & *Hiſtoria generalis itinerum* a Petro Valvasenſi italice Venetiis promulgata (5), & Io. Baptiſta du Halde Pariſiis in patria mortuus anno 1743. ætatis ſuæ 69., qui de ea diſſeruit in ſua *Sinarum deſcriptione* poſt Magalhaens, & Le Conte.

420. Malaya lingua, quæ nomen habet a populo Malayo, qui eſt in peninſula Malacæ, & ideo etiam Malacenſis dicta habetur pro primigenia. Hujus dictionarium Malaco-latinum protulit David Haex typis Propagandæ Romæ ann. 1631. In hac lingua fit commercium per omnes orientis inſulas, & maritimas Aſiæ regiones. Ea ab Echard in Dictionario geographico, quod etiam italice proſtat ex verſione in linguam gallicam, in quam anglica ipſius promulgatio primo tranſiit, dicitur pulcherrima, quod Hervas (6) confirmat, quia facilis pronunciatu, harmonica & be-

(1) He Idea, to.17 n.151.
(2) He. to.17 n.157 161 163 & to.21
(3) He. Idea. to.17 n.3.
(4) He. Idea. to.16 pag.138.
(5) Sto. to.22 c.4.
(6) He, Idea, to. 17 n.165.

Digitized by Google

& bene articulata ſaltem in ipſius dialectis Tagala & Biſaya præter alias quas habet per inſulas Maniolas.

421. Eadem reperitur etiam in inſula Madagaſcaria, quæ eſt in parte Africæ orientali, & apud quamdam ex eadem parte Africæ nationem teſte Herva (1), qui etiam narrat (2) ſe potuiſſe, quæ Romæ audiebat vocabula a Madagaſcariis in collegio de Propaganda fide alumnis, accurate ſcribere ſine ullo errore, quod inquit *nunquam mihi contigit in ulla alia lingua aſiatica americana & africana*. Quod palam facit quam clara & diſtincta ſit, ut merito ſit etiam tam diffuſa. Multas tamen, quas Hervas in decimo ſeptimo ſuæ Ideæ volumine inter dialectos Malayæ numeravit, in decimo octavo poſt examen diligentius inſtitutum (3) concluſit eſſe verius dialectos linguæ Indicæ. De ipſa interea Malaya, Tagala, Biſaya, Javana, & Madagaſcaria cum idem auctor plura vocabula protulerit (4) & orationem Dominicam in earum linguis (5), ex ipſis certior quivis pro libito fiet de ſingularum merito,

ARTICULUS V.

De linguis in Aſia primigeniis, Armena, Indica, Manchæa, Mongola, & Georgiana.

422. Armena lingua primigenia eſt. Qui dixerunt apud Buſching (6) eſſe dialectum veteris ægyptiæ errarunt ex teſtimonio eorum, qui in linguis orientalibus docti, ut Athanaſius Kircher, & Alvares Vigil apud Hervam (7), affirmant nullam eſſe ejus affinitatem cum aliis linguis orientalibus, idque demonſtrat ipſe Hervas ſubiiciens (8) eamdem particulam orationis Dominicæ *Pater noſter* in lingua Armena, & in pluribus orientalibus linguis, ex qua evidens fit hanc ab illis eſſe prorſus diverſam. In hac lingua accidit, quod in aliis, ut ſit Armena literaria, & Armena vulgaris, quæ habet plures dialectos; ex his quinque videas apud Hervam (9) in oratione dominica de ſingulis prolata. Joachim Scroderus Amſtelodami anno 1711. latine publicavit Theſaurum linguæ armenæ, & anno jam 1613. ejuſdem quidem lexicon ediderat Mediolani Franciſcus Rivola, grammaticam vero anno 1624., quae recuſa fuerunt Pariſiis ann. 1633.

423. Indica lingua, quae & Hindua & Brammhana dicitur primigenia eſt. In India aſiatica forte olim pura fuit, ſed nunc poſt tot gentium in eam irruptiones, Græcorum ſub Alexandro Magno, & deinde Perſarum Arabum & Tartarorum contaminata eſt a multis ipſorum vocibus & pro-

(1) He. Idea. to. 17 n. 463.
(2) Id. Ibid. to. 18 n. 92.
(3) He. n. 111 & 116.
(4) He. Idea. to. 20 n. 184.
(5) He. to. 21 n. 56.
(6) Bu. Geogr. to. 26 Introd.
(7) He. Idea. to. 17 n. 205.
(8) He. Idea. to. 17 194.
(9) He. Idea. to. 21. a n. 147.

nunciationibus. De hac lingua habetur grammatica typis Propagandae impreſſa Romae anno 1778. Ipſius dialecti multae notantur ab Herva (1) aliae magis aliae minus & aliae vix matri ſuæ ſimiles. In his juxta eumdem (2) eſt Malabarica, quae etiam Damulica dicitur quia Malabarii nomen Damuler ſibi tribuunt, inquit Bartholomæus Ziegenbalg Danus in grammatica linguae Damulicae, quam Haphniae edidit anno 1776. Eſt Tamulica, cujus grammaticam dedit Conſtantius Beſchius Soc. I. a Danis editam ann. 1738. teſte Herva (3) Tranguebuⅰiae, quam civitatem in Coromandelo ipſi poſſident ubi eſt lingua vulgaris. Eſt Canarina, quae auditur in Canara regno Malabariae. Guſtabit has linguas, qui earum plura verba percurrat in ejuſdem auctoris lexico polyglotto. Sunt Goanà Maraſta Guzaratha aliaeque, & de omnium indole ſpecimen habetur in collectione Orationis Dominicae in variis linguis, Hervae opere (4).

424. Manchaea lingua, quae nomen habet a Tartaris orientalibus in Sinarum imperio, qui Manchaei appellantur, in primigeniis numeratur multis abundans dialectis pro diverſis Tartarorum ſpeciebus. Hervas, qui aliquas attulit (5) ipſius dictiones, certiores nos facit in ipſa jam reperiri plures voces Sinenſes.

425. Mongola lingua ſic appellata a ſpecie Tartarorum, qui Mongolii dicuntur, & Europae etiam aliquam partem occupant, primigenia pariter creditur, quia ex relationibus praedicatorum Evangelii, aliorumque auctorum prorſus diſſimilis eſt a lingua Manchaea, ut vix decem verba ſint utrique linguae communia, inquiunt aliqui apud Hervam (6), immo ne octo quidem dicit apud eumdem (7) Parenninus in literis aedificantibus. Lingua Turcarum eſt dialectus Mongolae, etſi cumulata vocabulis arabicis, graecis & illyricis. Perſica etiam hujus temporis dialectus eſt Mongolae ſatis tamen corrupta, & abundans verbis arabicis & Indiae orientalis propriis. Mongolae dialectum aliqui dixerunt linguam Tibetanam: Hervas vero dubitat (8) an collocanda ſit inter dialectos Hinduae, aut Tartarae, an inter primigenias, & quidem jure; Nam praeter ſimilitudinem in syntaxi cum Hindua & Tartara, quam (9) in ea obſervavit, toto caelo diverſa eſt in ſuis vocabulis, in quibus aliqua ſinenſia credendum eſt eidem ex commercio acceſſiſſe, & cum ſinenſi convenit in uſu earumdem vocum radicalium ad ſignificandas diverſas res ope accentus diverſi, quo eas afficiat. Qui legat orationem Dominicam, quam in lingua Mongola, aliisque tartaricis dialectis, & ipſa Tibetana idem auctor citato nuper loco propoſuit, quales ſint hae linguae, aliquo modo cognoſcet. De Tibetana ſcripſit

(1) He. Idea. to. 17 n. 184 & to. 21 a n. 73.
(2) He. Idea. to. 18 n. 9 & 110 & t. 20 n. 13.
(3) He. Idea. to 18 n. 112 in not., & to. 21 n. 73.
(4) He Idea to. 21 a n. 73.
(5) He. Idea. to. 20 n. 53.
(6) He. Idea. to. 17. n. 210.
(7) He. Idea. to 20 n 53.
(8) He. Idea. to. 18 n. 95.
(9) He. to. 21 n. 91.

Digitized by Google

ſcripſit Auguſtinus Ant. Giorgi Eremita Auguſtinianus in *Alphabeto Tibetano* magnae molis libro Romae impreſſo anno 1762.

426. Japonum linguam credit Hervas (1) eſſe dialectum Mongolæ, cui ineſſe dicit harmoniam (2) latinae ſimilem, quod deinde plane perſuaſit in quibusdam ſententiis, quas retulit (3) extractas partim ex grammatica, partim ex dictionario Japonico hiſpano latino Didaci Colladi Ord. Prædic. (n.376.), impreſſis Romæ typis Propagandæ. Argumenta pro hac Japonicæ linguæ origine ſunt ſatis valida. Imprimis Japones oriundi ſunt a Tartaris; habitus enim corporis illos excludit a progenie Sinenſium, idque confirmat eorum diverſa ab illis lingua hujusque pronunciatio, in qua ſentias illam Tartarorum. Confirmant iterum apud Hervam (4) auctores docti & ſagaces, qui circa eorum regiones religionis chriſtianæ cauſſa commorantes, habuerunt frequentes occaſiones videndi & tractandi advenas Japones. Eſt & argumentum quod determinat Iapones eſſe ex Tartarorum ſpecie, quæ Tibeti regnum conſtituit, religio ſcilicet communis, quae eſt corruptio quædam religionis chriſtianae. Hae obſervationes opportunae ſunt ad ſtatuendum Mongolam eſſe matrem linguae Iaponum; Nam ex dictis (n.425.) ſunt qui Tibetanam volunt eſſe dialectum Mongolae.

427. Praeterea Iapones non intelligunt Malayam, de qua dubitari poterat an generaverit eorum linguam propter vicinas ipſis nationes, quae hanc loquuntur: neque intelligunt ſinenſes loquentes. Horum quidem ſcripta intelligunt, quia iisdem fere characteribus ipſi utuntur. ſed ſi exprimere illorum ſenſum debent, hoc non faciunt verbis ſinenſibus, ſed ſibi propriis, quemadmodum quia Itali Germani Galli, & multae jam nationes iisdem utuntur pro numeris characteribus ſive romanis ſive arabicis, omnes quid ipſi ſignificent eodem modo percipiunt, ſed nemo poteſt hanc eorum ſignificationem exprimere niſi lingua ſingulis propria, ſi alias ignoret. De hoc Hervas teſtem de viſu & auditu producit Hiſpanum qui circa eas regiones in apoſtolico miniſterio exercebatur. De quo nemo mirabitur, qui datam in exemplo numerorum explicationem advertat.

428. Aliud antiquius & omni exceptione majus teſtimonium habemus in epiſtolis S. Franciſci Xaverii, ubi narrat Iapones literatos ſui temporis ſolitos fuiſſe intelligere ſinica ſcripta, quin tamen ea poſſent legere per verba ſinica, quae ipſis ignota erant. Intelligebant autem ex attentione facta ad ſenſum eorum characterum, quem ut facilius apprehenderent, eos ſibi proponebant in tabula cum effigie rei ſignificatae ſingulis impoſita, (5) *Exempli gratia*, inquit, *qui character homini deſignando inſtitutus eſt, ei forma impreſſa hominis incumbit. Sic in ceteris. Inde fit ut admoniti conſpectu ſigni Japones lectores, easdem quidem res cogitationi ſubiiciunt, quas ſina*

(1) He. Idea. to. 17 n.125.
(2) He. to. 18 n. 168.
(3) He. to.21 n.324.
(4) He. Idea. to. 17 n. 224.
(5) Xav. Epiſ. L.5 per Poſſinum.

na ſcriptor in mente habuit: ſed dum voce quod legunt, efferunt, vocabula japonica res illas denotantia pronunciant.

429. Lingua tandem Georgiana ſive Ibera, quoniam Georgia appellata eſt Iberia Aſiatica diſcriminis cauſſa ab Iberia Europaea, ſive Eſpera, quod nomen tributum eſt Hiſpaniae, primigenia dicenda eſt, quando diverſa ſit a Cantabra, de quo dubitat Hervas, ſaltem quantum pertinet ad illam, quae eſt in Imireta una ex Georgiae provinciis (1). Nam de illa, quae per reliquas provincias uſitata eſt, ſunt qui dicunt eſſe dialectum Armenae vel Tartarae linguae, eamque diſtinguunt ab antiqua Georgiana, quae ſuperſtes eſt in ſacrae Scripturae verſione in hanc linguam olim facta, de qua meminit Calmet (2), & quae in liturgia chriſtianorum adhibetur, qui hanc literariam appellant, quam opus eſt addiſcere, vulgarem vero alteram. Rationes quibus credi poteſt Georgianam eſſe Cantabrae dialectum, ſunt quia plura habet nomina, quae in cantabra reperiuntur, & quia multi ſunt auctores, qui inter Iberos Europae & Aſiae, ſive inter Hiſpanos & Georgianos admittunt connexionem, ſeu relationem. Fortaſſe colonia aliqua ex familia, quae poſt diluvium incoluit Georgiam Armeniae proximam, & cantabrice loquebatur, tranſiit in Europam, terreſtrique vel maritimo itinere in Hiſpaniam devenit, ſuamque ibi linguam deportavit. A Stephano Paulino, & Nicephoro Irbachi monacho S. Baſilii habemus Dictionarium Georgianum & Italicum Romae impreſſum typis Propagandae anno 1629. in quo tamen Hervas non reperit plures ex dictionibus, quae ſunt in tribus verſionibus Dominicae orationis pro tribus georgianae dialectis ab eo relatis (3), cum vellet eas cum completa interpretatione italica proponere. Habemus etiam grammaticam hujus linguae in *ſyntagmate linguarum orientalium* Franciſci Maggii, quod ex eadem typographia prodiit anno 1670.

Articulus VI.

De linguis primigeniis Africa.

430. Ex linguis quae ad Africam pertinent Hervas (4) primigeniam vult Copticam, quod jam antea Kircherum (5) dicit ſtatuiſſe. Coptica autem eſt lingua Aegyptiaca antiqua, quae ſicuti Latina dicta fuit etiam Romana a Roma urbe principe, ita Aegyptiaca nomen Copticae etiam habuit a Copto celeberrima olim Aegypti urbe, & juxta Strabonem (6) Thebaidos metropoli, cujus rudera vix reperiri teſtati jam fuerunt Kirchero (7) qui Aegyptum perluſtrarunt fide digniſſimi. Hanc lin-

(1) He. Idea. to.17 n.251
(2) Ca. Dict. ar. Biblia Turcica.
(3) He. Idea. to.21 n.152.
(4) He. Idea. to.17 n.460.
(5) Ki. Turr. l.3 ſe.1 c.ii.
(6) Str. l.17.
(7) Ki. Prodr. c. 1 in fine.

linguam idem dicit (1) ſub Seſoſtri rege Aegypti maxime floruiſſe , & in occaſum declinaſſe ſub Cambyſe filio Cyri Perſarum regis , quem Ricciolius in Chronico magno (2) ad annum ante Chriſtum 530. ſtatuit eumdem eſſe cum eo , quem liber Eſther appellat gentilitio nomine Aſſuerum . Proceſſu autem temporis occupata Aegypto a Græcis , aliisque deinceps gentibus ab uſu communi ubique ſublata omnino fuit .

431. Ipſius grammaticam accuratam & copioſam Raphael Tukius Epiſcopus Arſenovenſis , qui dum hæc ſcribo anno 1787. decrepitus eſt, in lucem Romæ emiſit anno 1778. juſſu S. Congreg. de Propaganda Fide , in cujus collegio eam per plures annos docuit . Breviorem jam olim Kircherus publicavit in fine ſui *Prodromi Copti* Romæ anno 1636. in quo eam vocat etiam Pharaonicam . Ejusdem theſaurum Coptarabicum idem ad typos adornavit cum verſione latina , quem eruit ex codice antiquiſſimo ſibi tradito ut ipſemet narrat in proemio Prodromi a celebri Petro a Valle patricio romano ex Aegypto reduci . De hoc codice dicit (3) *dignus viſus eſt , qui ſine mora publici juris fieret a nobis in latinum verſus* : Neſcio autem an editus unquam fuerit . Bibliotheca quidem S. J. per Sotuellum de eo non meminit loquens de Kircheri operibus , neque laudatus Tukius , qui mentionem quidem facit (4) de ejus grammatica non vero de hoc lexico , ſed illud ſolum Aegyptiaco - latinum commemorat , quod Maturinus Veyſſiereius La Crozius concinnavit , Scholtzius emendavit , & Woideius notis , & tabulis æneis locupletavit , & cujus primum volumen dicit prodiiſſe Oxonii anno 1775. Quando autem in lucem reapſe venerit , exhibebit (5) *dictiones ſingulas ordinatas juxta earumdem finem methodo ab ordine noſtrorum dictionariorum contrario . Sicut enim apud nos inquiſitio dictionum inſtituitur a literis capitalibus : ita apud Coptitas ex literis dictionem deſinentibus vocum inquiſitio inſtituenda eſt* . Quod naſcitur ex indole hujus linguæ , quæ mutationes in declinatione nominum & coniugatione verborum facit in principio ipſorum non in fine .

432. Jure autem ipſum dignum cenſuit publica luce , quia in eo (6) *omnium facultatum & ſcientiarum terminos* invenit copticis vocabulis proprie expoſitos , quos *non eſt credibile ab illius auctore fuiſſe excogitatos , ſed ex auctoribus hujus vel illius facultatis depromtos & ſummo ſtudio collectos* . Magna horum copia fuiſſe dicitur in bibliotheca Alexandrina , quæ lacrymabili incendio periit . Noſtra ætate extat coptica verſio veteris Teſtamenti ex Græca 70. Interpretum , & etiam Teſt novi ex aliqua pariter græca deducta . De illius auctore nihil certi habemus. Non deſunt apud Calmet (7) qui illam tribuant S. Marco Evangeliſtæ , & Martyri ſub Nerone anno Chriſti 61. , qui eam pro Ægyptiis græcæ linguæ ignaris adornaverit .

(1) Ki. Turr. Babel. l.3 ſec.1 c.9 circa med.
(2) Ki. Chronolog.
(3) Ki. Prod. c. 8 pag. 196.
(4) Tu. Rudim. lin. copt. præf.
(5) Kir. Prod. pag. 195.
(6) Ki. Prodr. pag. 184.
(7) Ca. Dict. ar. Biblia Coptica.

Digitized by Google

rit. Eam idem Calmet, & Tukius concludunt fuiſſe jam Eccleſiæ ſæculo quarto, idemque tenet Kircher, qui ſcripſit eam factam (1) *ab hinc*, hoc eſt ab anno 1626., *mille circiter & trecentis annis, quo tempore ſtudium ſacrarum literarum in Ægypto maxime florebat*. Extant etiam verſio quatuor primorum conciliorum, & plures codices ad religionem chriſtianam, & rem eccleſiaſticam pertinentes, ex quibus 24. Kircherus invenit in Bibliotheca Vaticana. Extat tandem hujus linguæ uſus in Oratione Dominica, & aliis precibus, quæ legi poſſunt apud Hervam (2) & in tota Liturgia, etſi vulgus eam jam non intelligit, cui proinde eorum Sacerdotes arabice explicant evangelia, & canonicas epiſtolas, non ſecus ac noſtri italice exponunt populo, quæ latine in Sacro leguntur.

433. Qui primigeniam negarunt linguam copticam Bibliander, Geſnerus, Volaterranus, Eugubinus, & Ambroſius Theſeus, quibus nuper videtur acceſſiſſe Didymus Taurinenſis in ſuo *Literaturæ copticæ rudimento* apud Ephemerides Lit. Rom. (3) contendentes eam affinem eſſe linguis hebraicæ, æthiopicæ, ſyriacæ, aliisque orientalibus plane erraſſe demonſtrat Kircher (4) ſubiiciens oculis verba, quibus ab hebræis, chaldæis, syris, arabiis, æthiopis, armenis & Samaritanis una ſententia effertur, quæ toto cælo diſtant ab illis, quibus eamdem Copti exprimunt. Hervas etiam (5) ſimili exemplo excluſit affinitatem copticæ ad hebræam.

434. At inquiunt adverſarii, ſunt in coptica permulta vocabula propria linguis orientalibus. Horum aliqua, quæ phoeniciam originem manifeſte habent, Barthelemeius (6) & ex ipſo Hervas (7) protulerunt. Sed hoc argumento dicemus linguam anglicam affinem eſſe gallicæ, quoniam in utraque multa inveniuntur vocabula fere eadem & in eadem ſignificatione. Igitur quæ in coptica ſunt vocabula aliarum linguarum dicendum eſt in eam paulatim irrepſiſſe ex populis aliarum linguarum. His rejectis quæ remanent ſunt propria copticæ linguæ, quam eruditi jure concludunt eamdem eſſe cum antiqua ægyptiaca ex eorum collatione cum iis, quæ colliguntur ex ejus ruderibus, quoniam libros pura ægyptiorum veterum lingua ſcriptos nullos habemus. Atque ex eadem uniformitate creduntur ſoli Copti eſſe ex primis Ægypti habitatoribus ex Cam prognatis.

435. Lingua Gala ponitur in primigeniis. In multas ea dialectos eſt quodammodo multiplicata pro diverſis nationibus, quæ ea utuntur in regione, quæ Galas dicitur, & Abyſſiniam magna ex parte circumdat.

Lingua Otentota primigenia creditur ab Herva (8) qui non potuit deprehendere ullam ipſius affinitatem cum nullis linguis. Otentota dicitur a populis hujus nominis, qui circa frontem Africæ, alias Caput bonæ ſpei verſantur. Ipſa per nationes ſeptemdecim, quæ Cafriam conſtituunt ſub diver-

(1) Ki. Prodr. c. 8.
(2) He. Idea. to 21 n. 297 & ſeq.
(3) Ef ann. 178. n. 5.
(4) Ki. Prodr. c. 5 pag. 133.
(5) He. Idea. to. 17 n. 194.
(6) Ba. Acad. Inſcrip. to. 32.
(7) He. Idea. to. 20 n. 117.
(8) He. Idea. to. 17 n. 466.

Digitized by Google

diverſis dialectis reperitur, & difficilis eſt utpote aſpera hiulca & magna ex parte gutturalis, ut quisque cognoſcat ex vocabulis ſexaginta, & ex Oratione Dominica ab Herva (1) in medium productis cum italica explicatione.

436. Lingua Congenſis, cujus multa vocabula idem auctor inſeruit (2) in ſuum Lexicon polyglotton, viſa eidem eſt (3) ex primis. Ejus grammaticam impreſſam Romæ typis Propagandae dedit ann. 1659. Hyacinthus Bruſciotti Capuccinus, qui ibidem fuit Evangelii promulgator natus in Foro Caſſii, quod hodie dicitur Vetralla in provincia ditionis pontificiæ, Patrimonio S. Petri. Plures illa habet dialectos per diverſos populos ad quos extenditur. Inculta adhuc eſt & tot anomaliis abundat, ut qui ibi ad promulgationem Evangelii incubuerunt, vix aliquas breves chriſtianæ doctrinæ inſtitutiones potuerint componere.

Lingua Mandinga ex primis habetur (4), & mater multarum linguarum, quæ ſunt apud gentes circa flumen Senegalis poſitas. Omnes hæ linguæ inopes ſunt vocabulorum, nullumque unquam expertæ artificium a populis in barbarie otio & vitiis ſepultis. Multa ejus verba habes apud Hervam (5) adiecta italica eorumdem explicatione.

437. Lingua Jalofa ſic dicta a Ialofis, gente Mandingis proxima ſeptemtrionem verſus primigenia creditur, ejusque quaſi ſubſtantia reperitur etiam in Nigritia. Plures hujus dictiones Hervas (6) italice interpretatus eſt.

Lingua Fulia cognominata a Fulls, qui ex parte pariter boreali connectuntur cum Ialofis, jure inter primitivas numeratur, quippe diverſas ab aliis omnibus voces habet præter illas, quæ communes factæ ſunt ex mutua inter ſe communicatione, ut videre eſt in verbis, quæ e regione eorum quæ ipſis reſpondent in Ialofa, Hervas poſuit. Fortaſſe aliæ ſunt in hac orbis parte ampliſſima linguæ, ſed deſunt opportuni auctores, qui de illis nos doceant. Quare illae earumque dialecti minus ceteris cognitae ſunt propter ejus habitatores aſpectu & moribus horridos, qui proinde ad ſe aliarum partium homines profecto non invitant. De illis quidem certiores facere nos poterant viri Apoſtolici e Soc. Jeſu, qui per varias ejusdem regiones Luſitaniæ regno ſubjectas diſperſi vineam Domini ad earum gentium ſalutem excolebant, ſi inde evulſi ad tetros Ulyſiponis carceres non fuiſſent deportati, ibique reliquum vitæ ad majorem mercedem a Domino vincae conſequendam in ſitu & ſquallore non conſumaſſent.

A a A r-

(1) He. Idea. to. 20 n. 199 & to. 21 n 301.
(2) He. Idea, to. 20 n. 184.
(3) He. to. 17 n. 467.
(4) He. Idea, to. 17 n. 467.
(5) He. Idea. to. 20 n. 195 & 297.
(6) He. Idea to. 20 n. 195 & 196.

Digitized by Google

Articulus VII.

De linguis in America primigeniis .

438. ALiqui minus acute inſpicientes, Americæ linguas perquam multas crediderunt eſſe linguas prorſus inter ſe diverſas, cum juxta alios ſagaciores, aliquæ non ſint niſi aliarum dialecti. Itaque anno 1676., qui e Soc. J. pro congregatione quadam generali illinc Romam venerant, profeſſi fuerunt Kirchero, ut ipſe refert (1) credere ſe quingentas ibidem eſſe diverſas linguas. Nuperrime alii ex eadem Soc. illic nati educati, optimis diſciplinis exculti, & in dirigendis per viam ſalutis æternæ iis gentibus donec inter illos licuit eſſe, occupati, linguas ibi diverſas eſſe mille & quingentas, & etiam bis mille reſponderunt poſt maturam conſiderationem Hervæ(2)qui eosdem de hoc numero interrogavit. At ipſe (3) omnibus rite perpenſis nolit niſi circiter quinquaginta inter primigenias computare (4). Quoniam autem America diviſa eſt per iſthmum in ſeptemtrionalem & auſtralem de aliquibus utriusque partis ſeorſim aliquid dicam.

439. In parte itaque Auſtrali juxta laudatum auctorem (5) eſt lingua Guarana ſic appellata a gente hujus nominis poſita inter gradus latitudinis 27. & 30., & nullis unquam aliis nationibus ſubjecta, ſed quam multæ in Paraguariæ ampliſſima regione aliæ gentes loquuntur. De ea extant grammatica & dictionarium, quæ idem auctor (6) magni æſtimat, & admirabilia vocat (7) elucubrata ab Antonio Ruiz Soc. J. earumdem nationum per annos viginti apoſtolo, qui cum Matritum anno 1638. miſſus fuerit, ibidem ea anno 1640. typis ſubjecit ad uſum eorum, qui ad illarum converſionem ad chriſtianam religionem incumbunt, de quibus diffuſe egit Muratorius in italico libro *Chriſtianismus felix in Paraguaria*. Hæc autem dicitur omnium ſimillima in multitudine accentuum linguæ Sinenſi, pulcherrima tamen, materque plurimarum linguarum, quæ ſunt totidem ipſius dialecti. Qui velit aliquam animo informare ſpeciem de ejus pulchritudine adeat Lexicon polyglotton Hervæ, vel collectionem orationis Dominicæ in multis linguis ab eodem adornatam, in qua fuſe hæc proponitur (8). De Guaranae dialecto lingua Braſilica, quæ Tupica dicitur a Tupis natione Braſiliæ, & celebratur tamquam ſimilis matri in venuſtate, extat *ars grammatica* ejusque *Dictionarium* Luſitanis typis excuſa auctore V. Ioſepho Anchieta, quæ Bibliotheca Soc. J. commemorat.

440. Idem Hervas in una parte ampliſſimæ regionis, quæ ad regnum Qui-

(1) Ki. Tur. Babel. l. 3 ſe. 1 c. 1.
(2) He. Idea. to. 17 n. 2.
(3) Ibid. n. 490.
(4) Ibid. n. 490.
(5) Ibid. n. 13.
(6) He. Idea. to. 18 n. 68 & 162.
(7) Id. to. 21 n. 10 pag. 97.
(8) He. Idea. to. 21 n. 10 pag. 95.

Digitized by Google

Quitoæ pertinet, undecim numerat linguas primigenias, ſingulas multis dialectis ſtipatas, in alia vero parte dicit (1) audiri linguam, quam Quitenam ſeu Kitenam appellat, quæ eadem eſt cum lingua Peruana, de qua paulo inferius dicam, & certe verba ipſis propria, quæ attulit in citato lexico polyglotto plerunque inter ſe non differunt. Quod dignum erat obſervatione, quoniam regnum Peruviae ſatis diſtat ab illo Quitoae, & utrumque ſub ſuis regibus olim fuit. Philippus Salv. Gilius in Terra Firma, regno Quitoae proximo putat ex multis, quae in ea ſunt linguis, primigenias eſſe, quæ ne remotam quidem cum aliis per orbem terrarum cognitis linguis affinitatem ſtudioſis etiam indagatoribus exhibent. Atque ex his novem numerat (2) in ea hujus regni parte, quam includit præterfluens Orinocus, ſubiiciens ſingulis, quæ ex ipſis enatæ ſunt dialecti nunc ibidem vigentes, aliæ magis aliæ minus ſimiles ſuis matribus. Illuc autem jure credit has linguas allatas a familiis quibus apud Babel contigerunt.

441. Quod in ipſarum aliquibus deprehendantur quædam vocabula hebraica juxta Torquemadam (3) vel alia propria linguis orientalibus, idem credit hæc ab iisdem accepta commercii cauſſa, quod olim cum Aſiaticis habuerint. Atque hinc anſam ſumit exiſtimandi homines in Americam adveniſſe non ex occidente, nec definite ex Hiſpania ut cenſuit Oviedus (4) ſed ex oriente. At equidem hanc opinionem & illationem dum agitur de America auſtrali nullo modo admittam, & ſentiam cum iis, quos Hervas ſequitur & illuſtrat (5) qui hanc credunt occupatam a populis, qui illuc tranſierunt per iſthmum, qui Africam conjungebat cum Braſilia, & proceſſu temporis evanuit terræmotibus, in quo ſundari putat confuſam notitiam de inſula Atlantidæ e regione Africæ poſita. Atque quando ibi inſula revera fuerit & non iſthmus, quoniam ampliſſima deſcribitur, jam ſufficiens erat ut ſupra cymbas illuc deſcenderent, & ex illa in Braſiliam. Ex Oriente & ſignate ex Aſia dici jure poteſt veniſſe homines in Americæ ſeptemtrionalis partem occidentalem ipſi Aſiæ proximiorem: in ejuſdem vero partem orientalem veniſſe ex Europæ locis, quæ ad magnam latitudinem geographicam ne hoc quidem tempore novimus ab ea multum diſtare ſicuti alibi pluribus (6) planum feci. Quare ne in Americam quidem ſeptemtrionalem dici univerſim poteſt veniſſe homines ex oriente, ſed cum limitatione ad unam ejuſdem partem nobis maxime occidentalem, qualis eſt California.

442. Pro hoc diverſo modo, quo ad utramque Americam homines pervenerunt, arguitur a lingua Californienſium, in qua auctore Herva (7) apparent veſtigia linguae Tartarorum: & in Iucatania poſita e regione inſulæ Cubæ lingua Maya, quæ ibi eſt & Jucatania etiam dicitur, habet

 multa

(1) He Idea. to.20 n.182.
(2) Gi. Saggio di Stor. to.3.
(3) To. Monarch. indi. l.1 c.9.
(4) Cv. Stor. india. l.2 c.8.
(5) He. Idea. to. 19 n. 188 & to.21. n. XXII.
(6) De Mirac. n. 750 edit. 3.
(7) He. Idea. t.17 n.111 & 116. & 493.

multa linguæ Sinicæ lineamenta, multasque voces affines Tunquinenſibus: & gens Laboradoriæ e regione Groenlandiæ ſimilis eſt Groenlandiis in corporis habitu, eademque quantum ad ſubſtantiam lingua cum illis loquitur, ut citato nuper loco Hervas refert ex monumentis Rogerii Curtis teſtis de viſu, ex quibus conflata eſt ea de his regionibus relatio, quæ promulgata eſt in Tranſactionibus philoſophicis, & etiam in volumine 25. collectionis Mediolanenſis opuſculorum eruditorum anno 1777. Aliud pro hac opinione argumentum deſumitur ab arithmetica & linguis utriusque Americæ inter ſe comparatis, ex quibus omnes quæ ſunt in una, præſeferunt quamdam inter ſe affinitatem, nullam vero cum illis, quæ ſunt in altera. Quæ obſervatio certiores nos facit incolas unius Americæ commercium aliquod inter ſe habuiſſe, nullum vero cum illis alterius, ſcilicet propter difficultatem tranſitus ab una in alteram; Ex qua iterum pro hac ſententia ſic arguitur. Incredibile eſt homines ex una ſolum parte vel Aſiæ vel Europæ ad alterutram Americam pervenientes tranſiiſſe in alteram, ad quam non eſt acceſſus niſi per iſthmum, quo inter ſe conjuuguntur impeditum montibus inacceſſus & ſtagnis ampliſſimis. Alia fortaſſe in hanc rem argumenta dabunt *Litera Americana* Comitis Rinaldi Carli (1), ubi contendit Americanos eſſe progeniem incolarum inſulæ Atlantidæ, quam revera extitiſſe Bayllius conatus jam fuerat perſuadere promulgatis anno 1775., & 1777., & 1779. tribus libris, de quibus mentionem faciens Joan. Andres (2) dicit multos jam in ejus ſententiam deſcendiſſe, quibus tamen Baer obviam venit obiiciens anglicum *Specimen hiſtoricum & criticum de Atlantida*, in quo contendit penſatis omnibus, quæ de illa dicit Plato. aliam eam non eſſe, quam Judaeam, cujus opinionis rationes aliquas refert etiam Philoſophus ſane doctus & eruditus ſed anonymus, qui Ebroduni anno 1781. in publicam lucem emiſit, *Examen de Epochis Naturæ*, peſſimo libro, quem ſub ſuo nomine vulgavit Comes de Buffon.

443. Sed ſatis de hac quæſtione, de qua aliquid dixi, quia cauſſam aperit; cur linguæ unius partis novi mundi ſint tam diverſæ ab illis alterius. Redeo ad linguas, & de alia quæ pertinet ad auſtralem Americam meminero, Peruana ſcilicet, quæ Kichua etiam & Inca appellatur. De hac Dominicus a S.Thoma Ord.Prædic.grammaticam & Lexicon publicavit Valliſoleti anno 1560., & in dedicatoria ad regem Philippum II. eam laudat, ut pronunciatu facilem, elegantem, harmonicam, & quæ olim late audiebatur. Has dotes credit Hervas (3) neminem ipſi negaturum, qui advertat ipſam abundare vocabulis, quæ reperiuntur in linguis latina italica & hiſpana in ſenſu tamen diverſo, quarum aliqua affert, & alia occurrent legenti adnotationes ab eo factas in orationem Dominicam in hac lingua, quam alibi (4) attulit.

In hac America auſtrali ſunt etiam linguæ Aimara, & Moxa ſic dictæ

(1) Ca. p.2 Cremona.1783.
(2) An.Origi. di letter, c.1.
(3) He. Idea. to.18 n.172.
(4) He. Idea, to. 21 n.3.

ctæ a provinciis quæ hæc nomina habent, quas Hervas (1) in primigeniis numerat. De Aimara Ludovicus Bertonus Romæ anno 1605. edidit hiſpanice *Artem & grammaticam satis copioſam*, quam Hervas (2) egregiam vocat, idemque uſum ſe dicit (3) grammatica linguæ Moxæ publicata anno 1701. a Petro Marban præſide eorum de Soc. J., qui Eccleſiam Chriſti tuebantur & augebant in Moxa provincia ampliſſima, utpote quæ a gradu 15. latitudinis uſque ad 30. extenditur (4). Specimen utriusque linguæ habetur in oratione Dominica ab eodem propoſita cum multis obſervationibus. Cognitio de aliis hujusmodi linguis in auſtrali novi orbis parte repeti poteſt ab ejusdem Cl. Hervæ volumine decimo ſeptimo, & vigeſimo primo.

444. Aliquid jam dicam de linguis primigeniis Americae ſeptemtrionalis. In his linguæ Mexicana, Otomita, Taraſca, Maya, & Mizteca in regno Mexici, quod aliter nova Hiſpania dicitur, dominantes, numerantur a Clavigero (n. 4.) quem ex nobili Angelopitana familia ſed in civitate veræ Crucis natum Hervas ejus amicus luget (5) Bononiæ diuturno morbo conſumptum anno 1787. ætatis ſuae 55. In ſua ille hiſtoria Mexici (6) affirmat non eſſe in linguis Europaeis ullas magis inter ſe diverſas, quam hae quinque inter ſe ſint. Mexicana lingua elegans eſt in verborum compoſitione & etiam diſpoſitione. Hanc compoſitionem in hac lingua, ſicut & in quatuor reliquis guſtabit qui conſulat lexicon Hervae polyglotton, in quo plures illarum dictiones protulit: diſpoſitionem autem in Mexicana quidem, Otomita, & Maya videbit in ipſarum oratione Dominica ab eodem italice ad literam expoſita cum opportunis animadverſionibus, non vero in Taraſca & Mizteca, quoniam de his ſine ulla interpretatione eadem oratio proponitur. Otomita quae juxta eumdem auctorem (7) auditur a 20. gradu latitudinis uſque ad 22., & a gradu 273. longitudinis uſque ad 276., habet accentus ignotos omnibus Europae linguis, ut Sandoval in illa regione evangelicus operarius declaravit per literas ipſimet Hervae datis qui de eorum natura acturum ſe dicit in compendio grammaticae hujus linguae, quam cum illo aliarum linguarum publici juris olim faciet. Interea de Mexicana & Otomita lego in Biblioth. Sotuellii Horatium Carochi edidiſſe Mexici ann. 1645. *Artem copioſiſſimam*, & reliquiſſe *Grammaticam Ottomiticæ, cujus eſt uſus in multis miſſionibus*. De his tantummodo memini primigeniis linguis Novae Hiſpaniae, ceterum Hervas (8) certiores nos facit alium Mexicanum, quem laudat tamquam nulli ſecundum in cognitione eorum, quae ad Americam ſeptemtrionalem pertinent, ſibi ſcripſiſſe in regno Mexici primigenias eſſe ſaltem duodecim.

445. Venio ad Californiam Mexico conjunctam in qua ſaltem tres habentur

(1) *He.* Idea. to.17 n. 63 & 66.
(2) He. Idea. to.21 pag. 60 & 90.
(3) Ibid. pag. 91.
(4) Ibid. pag. 61.
(5) Ha. idea to.21 pag. 59.
(6) Cla. to.4 diſ.1.
(7) He. idea. to. 21 pag. 73 & 120.
(8) He. Idea, to.17. n. 95.

Digitized by Google

bentut primigeniae linguae ex teſtimonio ad Hervam (1) dato per Michaelem del Barco, qui ibi fuit per annos 20. Nomen habent a nationibus Pericua, Guaicura, & Cochima. Prima jam extincta eſt, quia cum peſtis & aliae calamitates eam nationem pene deleverint, pauci ſuperſtites hiſpanice jam loquuntur. De lingua Guaicura ſpecimen habetur in ejus dialecto, lingua Coça a natione hujus nominis ſic appellata pariter deleta, in hac enim lingua habetur oratio Dominica verſa ad literam in noſtram linguam apud Hervam (2), qui eamdem orationem dat etiam in duabus linguae Cochimae dialectis ſed ſine interpretatione. Sed haec & quidem ad literam datur de parte aliqua (3) doctrinae chriſtianae in hac lingua. Hontanus (4) duas dicit eſſe linguas primigenias Huronam & Algonkinam in Canadenſi regione aequalis circiter magnitudinis ac tota Europa ut dicitur in Dictionario Geopraphico Laurentii Echard, quae aliter nova Gallia dicitur, quia ſub Franciſco I. Galliarum rege detecta caeteris regnis adjuncta fuit. Specimen utriusque exhibent vocabula triginta & tria collecta & italice explicata ab Herva (5). Sed de Huronis major copia habetur in narratione de apoſtolicis laboribus Soc. J. pro converſione ejus gentis ad chriſtianam religionem gallice edita Pariſiis anno 1642., in qua ſunt quaedam preces ab Hurono compoſitae, & deſcriptae ab Herva (6) cum ſubjecta Italica verſione ad literam. De eadem lingua, & de Algonkina Sebaſtianus Rasles S. J. eruditam epiſtolam ſcripſit anno 1723., quae habetur in 23. volumine gallici operis quod inſcribitur *Epiſtolæ ædificantes*, quoniam utramque ipſe linguam, aliasque didicerat, cum ad earum gentium converſionem tanto ſtudio incumberet, ut pro ipſis vitam etiam dederit. In epiſtola ſunt in utraque lingua quaedam preces cum appoſita interpretatione, quas Hervas (7) ex illa retulit, qui alibi (8) linguam Algonkinam dicit tanti in ea Americae parte aeſtimari, quanti apud nos Latina & Graeca ita ut a populis etiam aliarum linguarum ediſcatur. Haec de linguis Americae apud gentes, quas homines de Soc. J. chriſtianam religionem docebant, delibavi. De aliis quae ſint in aliis ibidem nationibus, quas alii aliorum Ordinum religioſi excolant, ipſi dicant.

446. Quod tam multae in America ſint linguae primigeniae, cum in tota Europa Aſia & Africa tam paucae ſint, jure repeti poteſt ex eo, quod maxima pars incolarum Americæ vivat diviſa in gentes, quas dicas progenitorem habere unum ex iis, qui coacti ſunt ab aliis ſecedere in confuſione linguæ apud Babel: nec unquam extitit niſi in mexicana & peruviana regione, qui poſſet aut vellet regnum conſtituere, cogens ſibi finitimas tribus obedire, & proinde ſuam linguam paulatim adoptare, nativamque deſerere: nec commercium inter ſe unquam habuerunt, quippe otio

(1) He. to.17 n. 106.
(2) He. Idea. to.21 pag. 121.
(3) Ibid. pag.134.
(4) Ho. Memoi. de l'Ameri. in fine.
(5) He. Idea. to.20 n.193.
(6) He. Idea. to 21 pag.131.
(7) He. Idea. to. 21 pag.123.
(8) Idem to.17 n. 120.

Digitized by Google

otio deditæ vitam vix diſſimilem ab illa beſtiarum ducunt ſine ullius artis exercitio, utentes ſolo circa lumbos integumento, & cibo ſponte oblato a terra, vel fame urgente per piſcationem vel venationem comparato. Quoniam autem bella, regnorum fundatio, & commercium ſunt, ut inferius obſervabo cauſſæ variationis & extinctionis etiam linguarum, quæ frequentiſſimæ fuerunt in Aſia aliiſque veteris mundi partibus, hinc factum eſt ut in illis paucæ inveniantur linguæ primigeniæ, quas dubitandum non eſt in confuſione primæ linguæ ibi quoque abundaſſe pro numero familiarum, quæ ſuas ibi ſedes ſeorſim ſtatuerunt.

PROPOSITIO IX.

Ex linguis quæ ex confuſione primæ linguæ extiterunt non ſunt nec Græca nec Latina quas nunc diſcimus.

ARTICULUS I.

Lingua Græca non eſt primigenia.

447. CUm in linguis, quæ ortum habuerunt in confuſione Babelica, aliqui docuerint eſſe linguas græcam & latinam, contra iſtos ſtatuo prædictam propoſitionem. In his eſt Kircherus, qui de Latina dixit (1) quod ſit *ex primogenitis una*, *quæ ad perfectionem perducta ex adventu Gothorum paſſa eſt corruptionem*. de Græca autem quod eam *nepotes Phaleg a confuſione linguarum ſecum in Græciam detulerunt, unde & poſteri a Phalechi familia Pelaſgi* dicti ſunt. Inferius (2) affirmate dicit, *nullum dubium eſſe debet, quin lingua Græca una ex primigeniis ſit*. Immo cum in Prodromo Copto dixerit examine linguarum inſtituto (3) *ſicuti coptam ad antiquam ægyptiacam, ita utramque ad græcam habere affinitatem*, quam affinitatem (4) ex profeſſo pluribus comprobavit, credere quis poſſet ipſum exiſtimaſſe græcam fuiſſe matrem linguæ coptæ & ægyptiæ. Sed ipſemet ne id credamus prohibet, qui ibi & alibi (5) advertit Coptam & Graecam affines eſſe non penes ſyntaxim, ſed penes formam literarum; & multa vocabula utrique linguae communia, ſicuti etiam penes ſigna numerationis ex jam (n.247.) dictis, & uſum numeri dualis praeter ſingularem & pluralem, atque apertiſſime ibidem dicit, *non ſentio græcam ab ægyptia originem ſuam immediate traxiſſe, multo minus græcam linguam ægyptiam corruptam dicendam arbitror*.

448. Hanc interea opinionem, quod Graeca ſit filia aegyptiae eſt qui dicat

(1) Ki. Turr. Bab. l. 3 ſec. 1 c. 1.
(2) Ibid. ſec. 3 c. 1.
(3) Ki. Prod. c. 5.
(4) Ibid. c. 7.
(5) Ki. Tur. Bab. l. 3 ſe. 1 c. 9.

Digitized by Google

dicat Bochartum (1) Kirchero tribuiſſe, de quo alii viderint, ſicuti etiam de opinione Benedicti Falco in opuſculo Neapoli impreſſo anno 1520. *De origine hebraicarum græcarum latinarumque linguarum*, cujus ſolum titulum novi profecto ſingularem in eo quod plures enunciet linguas hebraicas græcas & latinas, habens fortaſſe præ oculis diverſas harum linguarum dialectos, vel illarum ſtatum uno tempore magis floridum quam alio.

449. Hervas nuper (2) græcam iterum iterumque inter primigenias numeravit, & iis, qui dubitent an ea ſaltem quam admiramur in tot auctoribus, fuerit unquam lingua vulgaris, reſpondet ſe quidem credere fuiſſe, quoniam *lingua latina olim fuit lingua populi romani, & barbaræ gentes Chileni, Guarani, Chibiti linguas habent artificii non minoris latina*. Latinam vero cum dubium ſe ibidem declaraverit, an primigeniis adſcriberet, in proximo deinde volumine (3) eam aperte ab illis excluſit, quippe agnovit eſſe miſtum quoddam ex vocabulis graecis, cantabris, & celticis, & cum in alio poſtea volumine diſtinxerit (4) linguam latinam in romanam, hoc eſt quam diſcimus, & vulgarem, propriam ſcilicet rudis vulgi, jam idem quod nos ſentit.

450. Latina quam diſcimus dicta jam fuit Romana a S. Iſidoro (5) qui nomen latinae voluit eſſe proprium linguae, quae Romae fuit ſub regibus, in qua carmina Arvalia & Saliaria, de quibus inferius dicam, ſcripta fuerunt. Priſcam autem appellavit, quae hoc tempus anteceſſit, de qua celebris grammaticus Feſtus ſaeculo Chriſti ſexto dixit nullam jam fere notitiam ſupereſſe, & nuper Lanzius apud Hervam (6) qui ei adhaeret, perſuaſit eam fuiſſe affinem veteri Etruſcae, quae a graeca eſt magna ex parte. Unde argumentum habetur, quo latina cujusvis temporis a linguis primigeniis excludatur.

451. Equidem pro mea propoſitione quod pertinet ad Graecam ſic arguo. Lingua graeca quae ſuperſtes eſt in tam multis praeclariſſimis auctoribus, quae Hellinica nunc appellatur, & de qua Cicero pro Archia dixit, *græca leguntur in omnibus ferme gentibus*, poſtquam Graeci duce Alexandro Magno eas ſubegerunt, eſt lingua, quae dato quod non ſit ab Ægyptia, fuit longo ſtudio & labore fabricata ab ingenioſis hominibus, & quæ apud ipſos ſolum viguit, non vero apud ignarum vulgus & indocile; Nam ſupra captum & uſum vulgi eſt ſervare leges, quibus fiunt in hac lingua tam multae declinationes & coniugationes, & frequentes in utriſque anomalias. Opprimit quodam modo hujus linguae ſtudium neceſſitas addiſcendi tam in nominibus quam in verbis praeter terminationes proprias numero ſingulari & plurali, alias etiam quae duali tribuuntur, & quas de novo his addiderunt ſparſae in multis auctoribus celebres ipſius dialecti Attica Aeolica Jonica Dorica & Poetica.

452. Ple-

(1) Bo. Geogr. ſac. to. 1 l. 1 c. 12.
(2) He. Idea. to. 17 n 3 & 496.
(3) He. Idea. to. 18 n. 224.
(4) He Idea. to. 20 n. 178.
(5) Iſi Etymol. l. 9 c. 1.
(6) He. Idea. to. 20. n. 115.

Digitized by Google

452. Plerunque in linguis ſatis eſt noſſe verborum voces activas & paſſivas, ſed in græca opus eſt alias tenere, quæ mediæ appellantur quia modo active modo paſſive ſumuntur. Habet præterea græca præter omnes latinorum modos diſtinctum in coniugatione a ſubjunctivo optativum, & præter latinorum tempora alia etiam; Nam duo ea habet futura primum & ſecundum, & tertium etiam in paſſivis, quod paulo poſt futurum appellatur, & duo per omnes modos tempora indefinita, quæ vocantur aoriſti. Eſt igitur græca quam nunc diſcimus difficilior lingua quam ſit expolita latina, & nemo, quod ſciam dixit inveniri inter barbaras linguas aliquam, quæ ſit paris artificii cum hellinica: ergo hæc non extitit in confuſione Babelica.

453. Qui cum Bardetto (1) aliiſque ab eo citatis ſtatuunt græcos eſſe colonias Celtarum orientalium, ſive Scytharum, ipſorumque linguam hellinicam ex celticis vocabulis magna èx parte eſſe ædificatam, & ex illis aliarum gentium, cujusmodi eſt angaria vocabulum deſumptum a Perſis, quod tranſiit etiam in latinam linguam & italam, jam novum argumentum habet, quod græcam primigeniam non credat. Omitto Joannem Ihrem, qui pariter in gloſſario Scoto-gothico, quod in lucem emiſit Haphniæ anno 1769., a lingua ſcythica vult græcam provenire, Nam minus attendi poteſt quia ab eadem ſcythica conatus eſt repetere multas alias linguas, & in his aliquas, quæ primigeniæ communiter reputantur. Eſt alia lingua græca nunc uſitata, quam vulgarem & proprie Romaicam appellant, quia poſtquam imperium Romanum translatum fuit Coſtantinopolim Græci dicti fuerunt Romæi, & nomen Thraciæ, ad quam pertinet Coſtantinopolis, in illud Romaniæ fuit commutatum. Atqui Romaica lingua eſt filia Hellinicæ: ergo neque hæc extitit in confuſione Babelica.

ARTICULUS II.

Lingua latina non eſt ex primigeniis.

454. Lingua latina quam nunc diſcimus filia eſt obſcuræ illius linguæ, quæ Romæ vigebat ſub primis Regibus, primiſque Reipublicæ Romanæ ſæculis, quæ vix aut ne vix quidem intelligitur. Jo. Aldinius (2) eam credit conflatam ex lingua celtica, & aliis pluribus juxta populorum diverſitatem, qui in Latium invaſerunt. Ejusdem ſententiæ eſt Jacobus Maupherſon, qui in latina deprehendit perquammulta vocabula, quæ ſimilitudinem & quaſi identitatem habent cum celticis. Horum copioſum catalogum dedit in *Introductionem ad hiſtoriam magnæ Britanniæ & Hiberniæ* anglice edita Londini anno 1771. (3) profeſſus poſſe etiam longiorem reddi.

Bb 455. Herc-

(1) Ba. Ling. de primi. c.6 ar.6
(2) Al. Ling. lati. orig.
(3) Mac. pag.149

455. Herva contra ipſum nominatim (1) contendit linguam cantabricam non celticam habendam eſſe præ oculis in diſquiſitione originis linguæ latinæ; Nam examinans voces latinas non invenit niſi in paucis radices linguæ celticæ, & in multis rurſus radices cantabræ deprehendit. Quare quæ communes ſint tam celtis quam latinis, quæ non revocantur ad radices celticas, dicas celtas accepiſſe a latinis, quando cum his commixti fuerunt. Radices autem cantabras auctor palam fecit in tam multis latinæ linguæ vocibus, aliiſque aliarum linguarum quæ a latina natæ ſunt, ut in citato volumine paginas plusquam quadraginta occupaverit. Harum ſpecimen in his exhibeo, arripio, aurum, campus, angor, anxietas, caſtigare, quæ manifeſte ſunt a cantabris ejuſdem ſignificationis, arrapà, orià, campoà, ango, anſià, gaſtigatu. Atque tum ibi, tum alibi (2) obſervat latinos numeros, bis, ſex mille, eſſe a cantabris bi, ſei, millà. Sed in reliqua deinde numerandi ratione Latini Cantabros utique deſeruerunt; Nam hi habent nomina reliquorum numerorum tam ſimplicium quam compoſitorum alia ab illis Latinorum, & cum hebræis dicunt decem & unum, decem & duo, & ſic de aliis, non cum latinis undecim & duodecim.

456. Jo. Ludovicus Praſchius (3) ex profeſſo propugnavit latinam eſſe a Germanica; quod alii etiam dixerunt apud Bardettum (4). Bochartus ex dictis (n. 380.) latinas voces magna ex parte cenſuit venire a dialecto Æolica græcæ. Matthæus Aimerich notus ex alio libro Barcinone impreſſo anno 1756., de quo meminit italicum ſpecimen exteræ literaturæ (5) diſtinctius dicit (6) latinam eſſe *miſtum quoddam non modo ex græcis, etruſcis, volſcis, ſabinis, fidenatibus vocabulis, ſed etiam ex hiſpanis punicis, ſyriacis, perſicis. Et quidem voces mappa & mapalia ſeu magalia ſunt punica, gaza & paraſanga perſicæ, gurdus, cetra, lancea, spartum, cantus, phalarica, dureta, celia, voces ſunt antiquæ linguæ hiſpanæ.*

447. Gregorius Cnapius in proemio ſui theſauri Polono-latino græci ex ſecunda editione Cracovienſi ann. 1643. obſervat latinorum verborum *bonam partem e græcis conſtare, & ex harum cognitione vim proprietatem pronunciationem accentum quantitem orthographiam probam latinam dependere.* Utilem hanc gratamque cognitionem de origine hujuſmodi vocum ſibi eripuit celebris ſæculo decimo ſexto latinæ puritatis amator Pomponius Lætus, qui auctore Thoma Serrano (7) græcam linguam diſcere noluit *ne latinam inquinaret*. Tot græcis vocibus latina ditari coepit a tempore, quo Romani acquiſito poſt primum bellum punicum maris imperio frequentes navigarunt in Græciam omnis tunc ſcientiæ, artium omnium emporium, ut illas ſibi compararent una cum græca lingua, qua ſuam nativam mollirent ornarent locupletarent. Hæc ſatis demonſtrant non poſſe linguam latinam ſaltem quam nunc diſcimus in primigeniis haberi.

458. Hoc

(1) He. Idea. to. 17 n. 288 310 & 339
(2) He. to. 19 n. 218
(3) Pr. de Orig. lat.
(4) Ba. Ling. de primi c. 1 ar. 9
(5) Sag. to 2 ar. 50
(6) Ai. Parad. di. 2 not. 7
(7) Se. de indic. Tiraboſchii pag 189

Digitized by Google

459. Hoc argumentum non infirmant, qui obiiciant Plinium, qui poſtquam dixit (1) *Extant certe hodieque antiquiores urbe picturæ Ardeæ in ædibus ſacris*, addit poſt aliquot capita conſervatum nomen auctoris (2) *in carmine quod eſt in ipſa pictura ſcripta antiquis literis latinis*, quod totum conſtat verbis latinis nulli obſcuris, quæ apud ipſum legat qui velit. Habitis enim præ oculis monumentis linguæ, quæ primis urbis temporibus in uſu erat, dicendum eſt cum Tiraboſchio (3) vel Plinium hoc loco non loqui de iiſdem Ardeæ picturis, de quibus antea loquutus erat, vel illud carmen poſterioribus temporibus additum fuiſſe ex interpretatione veteris facta ab iis qui antiquas voces & characteres quibus perſcriptum erat intelligebant.

459. Tandem ſic arguo. Non eſt lingua, quæ ex confuſione Babelica extiterit illa, quam ſibi pars aliqua alicujus gentis ſui induſtria ſibi condidit, ſuoque ſtudio conſervat, quin ea unquam communis fuerit vulgo, quod a ſtudiis abhorret: ſed talis eſt lingua latina quam nunc diſcimus: ergo. Minorem quæ ſola controverſiæ ſubiacet, plures ex profeſſo propugnaſſe novi ex ſpecimine exteræ literaturæ, ubi ſummam proponit (4) orationis Wieſaudi *De ratione Romanorum literas docendi*. In his non omittam Leonardum Bruni, communiter appellatum Aretinum ab Aretio, ubi anno 1369. natus obiit Florentiæ anno 1444. Hic aperte ſtatuit linguam latinam apud veteres Romanos non fuiſſe linguam vulgi, cui quidem ipſi coævus Poggius Florentinus contradixit in tertio ex dialogis ſuæ *hiſtoriæ convivalis* teſte Tiraboſchio (5): Quæ fuerint Aretini argumenta alii viderint.

460. Mihi quidem id ſuadet I: hujus linguæ intrinſeca difficultas, quæ poſtulat diverſas nominum & verborum inflexiones, proprios caſus aſſignat ſingulis verbis pro variis ipſorum claſſibus activorum, paſſivorum, deponentium, neutrorum, communium, quas diſtinguit, relativorum convenientias ſollicite conſiderat, quas grammatici vocant concordantias, conſtructionibus tandem abundat difficillimis. Quis unquam credat plebi & indoctis ſeu ineruditis familiarem fuiſſe tam difficilem linguam, cum ipſimet teſtes quotidie ſimus italicam faciliorem inquinari permultis erroribus ab iis etiam, qui licet nati in Etruria, ubi purior reſonat, & licet optimis etiam diſciplinis exculti, ipſius ſtudium omne neglexerint, quin unquam viderint quæ de hac lingua ſcripſerunt tot celebres auctores, ut Guidus Cavalcanti Florentinus mortuus anno 1300., primus qui de regulis linguæ italicæ ſcripſerit, Celſus Cittadini Romæ natus anno 1553., & Senis unde erant ſui majores defunctus anno 1627., Benedictus Menzini Florentiæ natus & Romæ mortuus anno 1704., Cinonius, hoc eſt Marcus Antonius Mambelli Forolivienſis Soc. J. Ferrariæ mortuus an-

 no

(1) Pli. Hiſt. l.35 c.3
(2) Ibid. c. 10.
(3) Ti, Stor. p.1 n.11
(4) Saggio to.2 ar.2
(5) Ti. Lett. ital. to.6 l.3 c.1 n.32

no 1644. ætatis ſuæ 52., Carolus Dati Florentinus anno 1675. defunctus, aliique quorum qnamdam collectionem in plura volumina diſtributam Joſeph Aromatari anno 1643. Venetiis publicavit, & qui præcipue nominandus eſt Benedictus Buonmattei, qui Florentiæ, ubi anno 1581. natus erat, deceſſit anno 1647., & primus eſt qui proprie italicam grammaticam digeſſit, quem imitati deinde ſunt Benedictus Rogacci Raguſinus Soc. I., & Salvator Corticelli Bononienſis Barnabita (n.55.).

461. Nonne certi ſumus reliquos per Italiam populos, qui linguam habent ab Etruſca tam alienam & diſtantem, ut alteri alteros vix intelligant, opus habere ſtudio non mediocri italicæ grammatices, ut etruſcam in promptu habeant caſtam ſinceramque, prout decet italum ingenue educatum. Hoc argumentum apud Ephemerides liter. romanas (1) magni facit Jo. Chriſtophorus Amaduzius, qui pariter in præfatione ad *opera demetrii Pepani* nuper edita ſtatuit lingnas Hellinicam & Latinam, quam nunc diſcimus nunquam fuiſſe linguas plebis.

462. II. Suadet honor & pretium, in quo Romæ tempore quo maxime floruit hæc lingua, habiti fuerunt ejusdem grammatici, quos juxta Suetonium (2) habere incoepit mortuo jam Ennio, quando Romam venit Cratetes Mallotes ab Attalo rege ad Senatum romannm legatus qui decumbens ex fracto crure ad fallendum tempus, de regulis qnibus Latina dirigeretur ſcripſit, quem alii deinde imitati ſunt tanto ſtudio, ut ipſemet Romani imperii fundator C. Julius Caeſar duos confecerit libros de Analogia, hoc eſt de lingua latina, quoniam de ea ibi agit, quorum ceteroqui ſola quaedam fragmenta ſuperſunt: Et celebratiſſimus M. Terentius Varro de eodem argumento libros XXIV., quorum ſex dumtaxat habemus, perſcripſerit, quibus dixit Cicero (3), *plurimum luminis latinis & literis & verbis attuliſſe*. Et Tiberius Ceſar ſtudioſiſſimus olim liberalium artium cultor latinos grammaticos magni æſtimaverit & coluerit teſte Suetonio in ejus vita, a quo pariter (4) certiores facti ſumus plures extitiſſe de hac lingua ludos romanæ juventuti per urbem apertos, eorumque alunnos fuiſſe M. Tullium, Octavianum Auguſtum, & Antonium Triumvirum, aliosque romanos nobiliſſimos, in quibus equidem numerabo Maecenatem, quem Horatius laudat tamquam (5) *doctum ſermones utriusque linguæ*. Dum idem Horatius dicit (6)

Artes quas doceat quivis eques atque ſenator
Semet prognatos

loquitur de lingua etiam latina; Nam alibi ait de carminibus Livii Andronici (7).

.... me-

(1) Ef. anno 1782 n.23
(2) Su. de Grammat.
(3) Ci. Acad. qu. l.1 n.3
(4) Su. de Gramm.
(5) Ho. Ode.7 l.3 juxta Juvent.
(6) Ho. Saty.6 l.1
(7) Id. l.2 epiſt.1

. . . . memini quæ plagoſum mihi parvo
Orbilium dictare

Et dum Ovidius inquit (1)

Protinus excolimur teneri, curaque parentis
Imus ad inſignes Urbis ab arte viros

loquitur de magiſtris linguæ latinæ; Nam proſequitur in hæc verba

Frater ad eloquium viridi tendebat ab ævo
Fortia verboſi natus ad arma fori.
At mihi jam puero cæleſtia ſacra placebant
Inque ſuam furtim Muſa trahebat opus.

Nec dubito linguæ latinæ magiſtrum fuiſſe, quem Martialis ſub Domitiano aut Nerva ſic compellat

Quid tibi nobiſcum eſt, ludi ſcelerate magiſter,
Inviſum pueris virginibusque caput.
Nondum criſtati rupere ſilentia galli
Murmure jam ſævo, verberibusque tonas.

463. De ipſo Cicerone habemus a Quintiliano (2) illum fuiſſe *grammaticæ artis diligentiſſimum, & in filio ut in epiſtolis apparet recte loquendi & ſcribendi asperum exactorem*, Meſſalamque idem laudat, quod *quosdam totos libellos non in verbis modo ſingulis ſed etiam literis dedit*: Et Auctor ad Herennium ait. *Vitia in ſermone quo minus is latinus ſit, qua ratione vitare poſſimus, in arte grammatica dilucide diſcimus*. Quod teſtimonium auctoris, quem Ciceroni ſaltem coævum multi volunt apud Jo. Albertum Fabricium (3), facit, ut non aſſentiar Tiraboſchio, qui dicit (4) antiquos grammaticos docuiſſe linguam latinam per ipſius exercitationem, non per præcepta ordinatim propoſita, propterea quod extantes ipſorum libri ſolis conſtant obſervationibus circa linguam nullo inter ſe ordine diſpoſitis, vel alio ab illo, quem ars grammatica poſtulat. At hoc argumentum mihi non videtur magni momenti, quippe dicam extare obſervationes utpote exquiſitas nec communes, & propter oppoſitam rationem regulas periiſſe.

464. Suetonius in libro de Grammaticis cum laude meminit de M. Antonio Guiphone, qui Romæ docuit, & *duo volumina de latino ſermone reliquit, & de Atteio, quem appellat nobilem grammaticum latinum*. Alia pro ſcholis ac ſtudio linguæ latinæ apud veteres romanos, eorumque ſollicitudine in addiſcenda & conſervanda ſua lingua dabit Muratorius (5) cum aliis quos citat, quibus addo Aimerichium, qui id nuper ex profeſſo propugnavit (6). Per modum meæ ſymbolæ commemorabo Julium Capitolinum (7) qui refert datos M. Aurelio in magiſtros linguæ latinæ Trofium

(1) Ov. de Ponto. Eleg. 10 v. 15
(2) Qu. l. 1 c. 7
(3) Fa. Bibl. Latin.
(4) Ti. lett. ital. to. 2 Di. prel. n. 31
(5) Mu. Perf. poes. f. 3 c. 1 & diſcorſi della ling. ital.
(6) Ai. Paradox. di. 2
(7) Ca. in M. Aurel. c. 4

Digitized by Google

ſium Aprum Pollionem, & Eutichium Proculum: Ejus autem collegæ Lucio Vero (1) Scaurum: & Maſſimino Philemonem. Nec omittam Ælium Donatum, qui Romæ grammaticam latinam ſæculo Chriſti quarto docebat, & inter diſcipulos habuit S. Hieronymum: nec ſanctionem Imperatorum Theodoſii & Valentiniani, quæ legitur in Codice Juſtiniani, per quam jubent (2) Romæ eſſe inter alios publicos diſciplinarum profeſſores, decem grammaticos latinos, totidemque graecos, qui ſcholas habeant diſtinctas in Capitolio.

465. Poſtquam vidimus fuiſſe Romæ in ipſis aureis & argenteis latinitatis ſaeculis hujus magiſtros, facile erit credere, alias etiam nobiles Europæ urbes illis non caruiſſe. Immo ita omnino credendum eſt, quia extat Plinii junioris epiſtola ad Cornelium Tacitum (3), in qua petit ab eo ut certiores faciat eruditos, qui ipſum Romæ frequentes adhibant, Comi e qua urbe erat Plinius publicas ſcholas erigi conſilio ſuaſione & ſumptu etiam maxima ex parte ſuo, quas docti profeſſores qui dirigerent electi ab ipſis civibus annuum cenſuum obtinerent, qui ſingulis converti-ret: Quod narrat Plinius ſe feciſſe, cum reſcivit Mediolanum mitti pueros ad ſtudia, quia ibi quidem, ſed non Comi erant Magiſtri. Atque cum agatur de ſtudio puerorum non eſt dubitandum hoc fuiſſe de linguis & præſertim latina, idque confirmat inventa inſcriptio, quam Tiraboſchius (4) jure coniicit tempus hujus erectionis non antecedere, quae meminit de P. Atilio grammatico a Comenſibus propter ſua in ipſos merita diſtinctis honoribus inſignito. Extat etiam Valentiniani I. mandatum ad Antonium Galliarum præfectum (5), quo jubet conſtitui in populoſis earum civitatibus rhetores & grammaticos tam latinos quam græcos cum mercede e regio aerario ſumenda.

466. III. Suadet ipſius Ciceronis teſtimonium, qui (6) ait propter confluentes Romam omnes imperii Romani linguas frequentem fuiſſe in viris ceteroquin cultis peregrinam vocum inſolentiam magis quam in feminis eruditis, quia hæ cum ceteris minus communicabant: & alibi (7) commemorat tamquam præcipua commendatione dignas domos Laeliorum, & C. Cæſaris, aliasque paucas, in quibus caſtitas latini ſermonis ſtudioſe conſervabatur. Accedit quod de Auguſto Cæſare refert Suetonius (8) ipſum latini & græci ſermonis peritiſſimum in quotidianis & familiaribus colloquiis uſurpaſſe voces peregrinas & obſoletas, eas demum quas in ſenatu & cum eruditis non adhibebat, ſcilicet ut ſtatim intelligeretur ab inculto vulgo ſervis ancillis ruſticis opificibus.

IIII. Suadent tandem multa quæ extant latina monumenta maxime in inſcriptionibus ſepulcralibus tam ethnicorum, quam chriſtianorum pro tempo-

(1) Cap. in Ver.
(2) Co. Inſt. l x1 tit.18
(3) Pli. Epi. l.7 ep.13
(4) Ti. Lett. Ita. t.2 l.3 c.1 n.8
(5) God. Theod. l.13 tit.3 le.3
(6) Cic. de Orat. l.3
(7) Id. de offic. l.1 c.17
(8) Su. Vir. Auguſ.

Digitized by Google

temporibus quibus latina lingua viva erat ex communi conſenſu, plena ſolloecis, barbariſque idiotiſmis, & inſculpta cum monſtroſa etiam orthographia. Ex his quivis inveniet magnam congeriem apud Antonium Lupum in *Epitaphio Severae Martyris*, quod ipſe mirabiliter illuſtravit. Mutata videbit genera ac declinationes nominum & conjugationes verborum, & novas conſtructiones. Itaque ſpiritus occurret factus generis neutri, & ſpiritum dictum in recto ſingulari, ac ſpirita in plurali: oſſum pro os, unde genitivus pluralis oſſorum: verſi pro verſus, unde verſorum: meſes pro menſes, & meſorum pro menſium: triſtis converſus in triſtus, unde femininum triſta: qui & quem pro quæ & quam: iſpetis pro ſpei addita frequenter vocali i verbis incipientibus per s conjunctam cum alia conſonanti: cojux pro conjux: cojugi pro conjugi: aneme pro animæ: accuſativus caſus paſſim datus præpoſitioni cum: poſuete pro poſuit, & etiam poſivit. quod minus abſurdum eſt, nam depoſivit invenitur in Catullo ut Lupus advertit (1), aliaque contra latinæ grammaticæ leges portenta. Nam laudatus auctor ſæpius dicit (2) *fuiſſe ſusque deque habita a Trajani temporibus, ſed praesertim poſt Gordianos quaecunque ad latinam linguam pertinent*. Ipſe Juvenalis qui vixit ſub Trajano & Adriano has latinarum vocum corruptelas ſic expreſſit, (3) *Jampridem Syrus in Tyberim defluxit Orontes, & linguam & mores ... ſecum vexit*.

ARTICULUS III.

Objectiones.

467. ANtonius Salvinius in animadverſionibus ad Muratorii perfectam poeſim negat latinitatis magiſtros fuiſſe illos, quos veteres latini inter quos Suetonius in ipſa Urbe ſcholas referunt habuiſſe. Erant enim inquit liberti græci, adeoque ſuæ dumtaxat linguæ magiſtri. At hæc ipſius ratio imprimis non eſt omnino vera, judice Tiraboſchio, qui obſervat (4) *cives etiam equitesque Romanos artem grammaticae profeſſos ut L. Ælium, & Servium Claudium* a Suetonio nominatos (5). Deinde ex ea non infertur libertos illos linguam dumtaxat græcam docuiſſe, quemadmodum quod Catullus fuerit Veronenſis, & Virgilius Mantuanus non infert eos non fuiſſe ex primis auctoribus linguæ, quæ Romæ floruit aureo latinitatis ſæculo: nec quia Bembus fuit Venetus, & Rogaccius Raguſinus dubitatur utrumque eſſe clarum grammaticum linguæ italicæ propriæ Etruſcorum, Bembum quidem inter antiquos juxta aliquos primum, alterum vero inter recentiores non ultimum. Qui linguam ſibi peregrinam addiſcit, aptior, etiam evadit ad illam alios docendam, quæ fortaſ-

(1) Lu. Epitaph. §.16 pag.163
(2) Lu Epitaph. §.16 in fine,
(3) Iu, Saty.3
(4) Ti. Lett. Ital. to. 1 p.3 l.3 c 7 n. 2
(5) Su. c.3

Digitized by Google

fortaſſe fuit cauſſa, cur græci præcipue ad diſciplinam latinitatis Romæ adhiberentur. Sed his omiſſis conſequentiam Salvinii excludit Suetonius, qui ut nuper audivimus, aliquos ex his græcis expreſſe dicit fuiſſe grammaticos latinos, excludunt antiquiores Horatius & Ovidius, quorum primus ex dictis (n.462.) meminit de plagoſo magiſtro qui carmina Andronici dictabat, alter vero de illo, a quo frater arma fori ſibi comparabat utique Romæ non Athenis tractanda.

468. At inquiunt alii plenum erat forum dum agebantur cauſſæ a Cicerone, Hortenſio, aliisque latinis oratoribus: & de Caecilio & Terentio, dum ſuas dabant Comoedias, (1) *hos arcto ſtipata theatro ſpectat Roma potens* dixit Horatius. Atqui utraque puro latino ſermone præſtabantur: ergo etiam apud vulgus vigebat lingua latina. Sed hæc conſequentia eſt nulla, quia aliud eſt intelligere aliquo modo aliquam linguam, aliud eam loqui. Sacri oratores nunc in Italia Etruſco ſermone ſecundum regulas grammaticales contexto habent ſuas conciones Bononiæ, Mediolani, Venetiis, Januæ, & per omnem Italiam, ad quas confluit vulgus univerſum, easque ſane percipit quantum ſatis eſt ad ſui utilitatem, etſi lingua vernacula harum regionum mihi videtur magis diſtare ab etruſca, quam hæc a latina. Adde quod ſicuti nunc rudis multitudo aliquando congregatur, ubi habentur latinæ exercitationes & diſputationes, ex aliis profecto incitamentis, quam ut illas apprehendat, ita etiam tunc multi forum & theatra poterant adire aliis de cauſſis, quam ut audirent & perciperent, quæ dicerentur.

469. Inſtant. Qui per Boreales regiones iter habeat, audiet ipſos veredarios caupones & artifices latine loqui: ergo latina lingua non eſt tam difficilis ut ſit ab uſu vulgi excluſa. At etiam in inſignoribus civitatibus reperias viles homines per diverſoria diſtributos, qui linguas peregrinas intelligant & loquantur, & circa fines diverſarum regionum ſunt plerumque in hoſpitiis qui linguam alterius loci loquantur. Nunquid hinc ſequitur omnes linguas eſſe faciles? Itaque ex facto antecedenti conſequentia legitima hæc eſt: ergo viles illi homines didicerunt linguam latinam in ſcholis quo miſſi fuerunt a pueris; quemadmodum in multis Germaniæ regionibus fieri ſolet ab hujusmodi hominum genere, quod melius eſt a re cibaria comparatum quam alibi ſit, ut cum exteris munus ſuum exerceant facilius & tueantur.

470. Inſtant iterum. Sunt in America linguæ aliquæ apud populos prorſus incultos, quas ex Grammatica, ſiquis eam conderet, difficiliores deprehenderet Græca & Latina, ut teſtantur docti Europæi, qui apud illas Evangelii cauſſa diu fuerunt commorati, propter plura in verbis tempora, plures modos, aliasque quas obſervant relationes circumſtantiarum plures quam ſint in linguis Græca & Latina: ergo etiamſi appareant in ſua grammatica ſatis difficiles Græca & Latina, nihilominus vulgo ipſi potuerunt eſſe communes. Reſp.

Ho.l.2 epi.2

Reſp. *omitto ant*, & *nego conſeqm*, quia gentes illæ Americanæ ab iisdem Europæis deſcribuntur omnis ſcientiæ & artis expertes, & ſolis ad vitam neceſſariis parce admodum propter ipſarum inertiam atque deſidiam inſtructæ, adeoque tam inopes verborum, ut ex omnibus quibus utuntur non fieret Lexicon niſi tenuiſſimum. Non eſt igitur mirum, qnod in omnium ore illud reperiatur.

PROPOSITIO X.

Lingua Latina mater eſt Italicæ, Gallæ, Hiſpanæ, & Luſitanæ, quarum tamen uſus in scriptis incoepit ſæculo Chriſti duodecimo.

ARTICULUS I.

De Italicæ Linguæ definita origine.

471. Linguam Latinam, etſi non extitit in confuſione Babelica, eſſe tamen matrem linguarum quas propoſitio enunciat ſuadetur primo quod pertinet ad Italicam, quia ejus verba maxima ex parte a latina deſumpta evidenter ſunt. Certe hæc plura ſunt iis, quæ ex aliis cognitis ipſam deinde locupletarunt, & iis quæ cum nondum demonſtrata ſint eſſe a linguis aliquo modo cognitis dicam verba indigena. Petrus Franciſcus Giambullari ea cenſuit derivata ab antiqua Etruſca in dialogo quem inſcripſit *il Gello* anno primum 1546. impreſſo, de quo Origlia in additamentis ad Dictionarum Ladvocati (1) majori cum laude loquitur, quam Tiraboſchius (2). Hujusmodi ſunt *Vanga*, *Mallo*, aliaque quæ Muratorius (3) collegit in ſuis Diſſertationibus de Italiæ antiquitatibus, quas ipſemet ex latinis fuſioribus fecit italicas breviores. Sunt qui credant deſumpta a Celtis vel Cantabris, quos in Italia aliquandiu contendunt fuiſſe. Quoniam extant ex dictis (n. 404. & 406.) harum linguarum gloſſaria, qui hæc volens conſulat, dubitationem deponet.

472. Longe etiam plura ſunt iis, quæ Itala hauſit ex aliis linguis mutata eorum ſignificatione, ut videre eſt in his *Ciarla*, *Ciarlatano*, aliisque derivatis, quæ creduntur nata a gallico nomine *Charles* latine Carolus per occaſionem Narbonenſium poetarum vel circulatorum qui ubique Caroli Magni geſta canebant vel narrabant. Plura etiam ſunt iis, quæ quantum ad ſubſtantiam in aliis linguis præter latinam reperiuntur, ira ut neſcias cui primitus conveniant, cujusmodi ſunt *guerra*, *guardia*, *guaſto*, *guiſa*, quæ in linguis etiam gallica, hiſpana, & anglica ſuo modo audiuntur.

(1) La. Diz. ar. Giambullari.
(2) Ti. Stor. to. 7 p. 3 l. 3 c. 5 n. 35.
(3) Mu. Orig. d. lin. ital.

Digitized by Google

tur. Angli enim grammatici & lexicographi, ut Ferdinandus Altieri, cum moneant W in principio anglicæ dictionis pronunciari *gu* jam *War*, *Warden*, *Waſte*, *Wiſe* præſeferunt eamdem originem cum prædictis italicis.

Ipſa orthographia a primis italis ſcriptoribus uſitata originem italicæ a latina teſtatur. Teſte enim Leonardo Salviati codices manuſcripti de operibus Boccacii habent optimo, ſeptimo, apto, extimare, ad cui, ad Dio, ad me, letitia, ſententia, aliaque, quæ ipſe noluit retinere in nova editione Decameronis, quam protulit anno 1582., quoniam dum latinum idioma exprimunt, ab italo jam abhorrent, in quo ſcriptura inquit (1) eſt quaſi imago pronunciationis. Atque uſum literæ z pro t ante i, quam ſequitur alia vocalis, ut in letizia e ſentenza pro letitia & ſententia, fortaſſe Triſſino inquit Tiraboſchius (2) debemus. Hic certe Romæ edidit italice anno 1524. *Epiſtolam de literis noviter additis linguæ italicæ*.

473. Multitudinem vocabulorum, quæ itala lingua deſumpſit a latina cognoſcet, qui Caroli Conſtantini Rabbi Bononienſis italicum opus, *Synonima & adjuncta italica* percurrat, quater ſaltem quod ſciam ab eo cum novis acceſſionibus vulgatum, in quo vocabulis primariis per alphabetum diſpoſitis latina ejusdem ſignificationis ſubiiciens, ſtudioſe ea elegit, quæ iisdem ferme conſtarent elementis eodem modo diſpoſitis, ut evidens eſſet inquit in præfatione, *quanto jure italica lingua dicatur nata a romana*. Atque qui habeat prae oculis quam facile ſit mutare unam literam in aliam affinem, dum verba propria unius linguae in aliam tranſeunt, originem a latina agnoſcet in multis etiam italicis, in quibus primo aſpectu ea non cernitur, ut accidit in his *buſſare* & *brina*, quae ſunt a latinis pulſare & pruina, commutata litera P in B.

474. Equidem non omittam advertere reperiri in Plauto, aliisque minus antiquis, ſed latinis auctoribus quidam dicendi modi, & quaedam vocabula, quae cum minus uſitata ſint ab auctoribus dum de elegantia ſermonis ſolliciti erant, videntur propria fuiſſe vulgus, quod utpote a ſtudio humaniorum literarum excluſum eam ſibi latinam linguam condiderat, quam Plinius & S. Hieronymus (3) modo vulgarem, modo ruſticam, modo militarem appellant, atque haec interea italica lingua familiaria ſibi reddidit. Hujusmodi ſunt, quæ apud Famianum Stradam (4) leguntur ex Plautinis fabulis collecta, *Urna hæc literata ab ſe cantat, cuia ſit: ſi poteſtis tacere: nolo murmurillum: homo malus ebriacusque es: quantum eſt mihi cordolium: non curo minacias tuas: hic opus eſt ut pappet*. Et hæc alia, quæ extracta a *Verona illuſtrata* Scipionis Maffei (5) propoſuit Anonymus in gallico *ſpecimine de origine italicæ linguæ* quo incipit primum volumen Pariſiis editum anno 1760. cum hoc titulo *Genie de la literature Italienne* h.e. *Indoles italicæ literaturæ*. Itaque voſtri volti pro veſtri vultus legimus in Plau-

(1) Sal. Decam. pref.
(2) Ti. Stor. lett. 10. 7 p. 3 l. 3. c. 3 n. 33.
(3) Hi. adve. Ruſt
(4) Str. Prolu. l. 3 pr. 2.
(5) Ma. Veron. p. 1 l. xi.

Digitized by Google

Plauto: bucca pro ore ejuſdem eſt, & Juvenalis, & etiam Ciceronis familiariter ſcribentis: caballus & caballinus pro equus & equinus vox erat vulgaris, ſiquidem uſitata ab Horatio in epiſtolis, a Perſio, a Juvenali: vulgus Gellio teſte nanum dicebat pro pumilione, & teſte Seneca (1) tonum pro tonitru: Menare pro ducere reperitur in Apuleio: Cribellum & cribellatum pro cribro & cribrato in Palladio. S. Hieronymus auctor eſt a populo romano quosvis conſanguineos vocatos fuiſſe parentes. Caſſiodorus affirmat (2) veteres dixiſſe colpa pro culpa, ecquis de hoc dubitet cum in Plauto legamus ſalvom & ſervom pro ſalvum & ſervum. Quintilianus certiores nos facit Romanos pronunciaſſe dua & tre pro duo & tres. Deſinentia adverbiorum italicorum in *mente* ut fortemente, giocondamente ſumpta eſt a latinis; Nam in Ovidio legimus, *inſiſtam forti mente*, & in Apuleio *jucunda mente reſpondit*. Quis pariter dubitet uſitata fuiſſe a priſcis latinis hæc vocabula Exercito, Fructo, Gemito, Lucto, Strepito, Tumulto, cum apud ipſos reperiantur in gignendi caſu Exerciti, Fructi, Gemiti & alia ſimilia, quæ notarunt Nonius Marcellus, & Janus Guilielmus Lanvembergius apud Ant. Lupi (3) His addo apud Varronem haberi ſatullus ſatullare & coda pro cauda, apud Terentium adiutare, apud Ovidium terſo, & apud Gellium titio pro torris.

475. Articuli pro caſibus nominum non erant in uſu apud doctos latinos, qui nominibus utentes ſecundum leges grammaticæ iis non indigebant, ſed neceſſarii erant apud vulgus, quod paſſim omittebat conſonantes finales, maxime literam m, & facile immutabat u in o, & i in e, dicens mondo pro mundum, fede pro fidem, & fine pro finis. Quare credam pro recto caſu adhibuiſſe pronomina ille & illa, unde nati ſunt itali articuli *il* & *la*, & pro genitivo præpoſitionem de, ac pro dativo ad, ex quibus facti ſunt articuli *del* & *al*, Auxiliarium verbum *avere* a Latino habere, quod volunt aliqua tempora in lingua italica, reperitur in ipſis latinis; legimus enim in Plauto, *ſatis jam habeo dictum*, & in Cicerone (4) *de cæſare habeo dictum*, pro dixi.

476. Hæc cum aliis multis obſervavit laudatus Maffeius, ut ſuaderet ea quæ quaſi fundamenta ſunt linguæ italicæ vel ipſius characteres fuiſſe in uſu longe ante invaſionem Gothorum, aliarumque gentium borealium, quæ agmine facto Italiam invaſerunt. Quod nuper Terreros dicat (5) a gothis ſaltem originem habere nomina apud italos indeclinabilia in omnibus caſibus numeri tam ſingularis quam pluralis, quia hujusmodi ſunt apud gothos, equidem non admittam, poſtquam novi magnam veterum latinorum partem, ruſticos ſcilicet, militares, vulgus ſolitos fuiſſe elidere conſonantes in fine nominum, & mutare u in o, & pro mundum dicere mondo (n.475.). Quare Italos dicam a ſuis majoribus, non a gothis hæc

 inde-

(1) Se Nat. qu. l. 2 c. 56.
(2) Ca. Orthog c. 3.
(3) Lu. Epitaph. §. 19 pag. 190.
(4) Ci. de Offic. l. 1.
(5) Te. Paleogr. pag. 6.

Digitized by Google

indeclinabilia accepiſſe : apud italos præterea obſervo ea deſinere in vocales exceptis paucis, quæ ad exoticas linguas pertinent, ut David, Iſrael, quæ ceteroquin aliorum italicorum more, ſi velint per adiectam vocalem terminant, contra vero apud gothos illa deſinunt in conſonantes. Itaque Agilulf habetur in corona regum Italiæ, quæ Modoetiæ conſervatur, & Cuningpert in marmorea inſcriptione legitur Ticini. Nihil autem mihi occurrit quod opponam iis, quæ idem Terreros ibidem addit a gothis veniſſe in linguam italam uſum ſolius verbi ſubſtantivi *Sum* cum adiecto alterius verbi participio pro hujus paſſiva ſignificatione abolitis omnino latinorum conjugationibus, quoniam hoc unice modo Itala lingua activa verba facit paſſiva ut notat Corticellius (1) & paſſim grammatici.

477. Ex his obſervationibus bene concluditur italam linguam proxime genitam eſſe non a latina perpolita & urbana, ſed ab agreſti & corrupta, nec audiendi ſunt, qui ex iisdem intulerunt italam extitiſſe ſimul cum latina, etiam dum romana florebat Reſpublica, & latinam propriam fuiſſe patritiorum & civium, eorumque qui ſtudiis vacabant & exculti aliquo modo erant, italam vero ignari vulgus. Leonardus Bruni (2), & Bembus (3) anteſignani fuerunt hujus opinionis, quam laudatus Maffeius deinde promovit, & Quadrius amplexus eſt (4), & noſtra ætate dicitur ea maxime placuiſſe Jo. Baptiſtæ Bianconi, prima die anni 1781. Peruſiæ magno literatorum dolore e vivis repente ſublato, quem multa pro ea congeſſiſſe referunt Ephemerides literariæ romanæ (5) ab ipſo inſtitutæ anno 1772., quibus deinde Anthologia acceſſit, aliud periodicum opus eisdem jam conjunctum, quod initium habuit menſe Julii ann. 1774.

478. Quin immo extitit Jo. Pierius Valerianus qui antiquiorem latina dicit italam linguam apud Tiraboſchium (6): quaſi vero viciſſitudines, quibus omnes linguæ ſubiacent in uſu familiari ſuorum vocabulorum, qui aliqua ex ipſis corrumpit qua elidendo, qua commutando earum elementa, eaque inter ſe coniungendo novis rationibus alienis a regulis grammaticalibus, ſatis eſſent ad conſtitutionem linguæ, quam tota natio reciperet ita ut nomen ſibi proprium deberet habere ad ejus ab omni alia diſtinctionem: & quaſi ad loquendum & ſcribendum cum elegantia & ſine ſoloecismis aut barbarismis in quavis lingua opus non ſit ſtudio aliquo, quod dico, ne amplius ſit qui pro antiquitate linguæ italicæ arguat ex ſcholis, quæ de lingua latina Romæ aureo etiam latinitatis ſæculo habebantur.

479. Siquis neget his argumentis horum opinionem penitus convelli, jam erit, qui eodem jure linguam italicam contendat fuiſſe olim in Syria, & in Græcia propter quædam quæ in eodem italorum ſenſu uſurpantur a Syris & Græcis. Ita Meſchine dicit Syrus, quod italos meſchino, &

pto-

(1) Cor. Regole l. 1 c. 42.
(2) Br. epi. 10 l 6.
(3) Be. Proſe. l. 1.
(4) Qua. ſtor. d. poeſia to. 1.
(5) Ef. ann. 1781 n. 26 ar. Perugia.
(6) Ti. ſtor. lett. to. 7 p. 3 c. 5 n. 33.

Digitized by Google

græcum ptochos parum differt ab italico *pitocco* ejusdem ſignificationis. Sed quid plura de hac opinione, quam Muratorius dixit (1) *ſomnium eſſe, quod nulla indiget confutatione*, & Tiraboſchius (2) omni prorſus fundamento deſtitutam.

Articulus II.

De linguæ Gallicæ, Hiſpanæ, & Luſitanæ definita origine.

480. A Latina eſſe etiam linguam Gallicam eadem ſuadent argumenta; Nam qui Latinam intelligat Gallicæ ignarus, ſiquem in hac lingua librum legat, ſtatim agnoſcat permulta ipſius vocabula a Latina venire. Magis manifeſta eſt origo a Latina linguæ Hiſpanicæ, ſive ut alii dicunt Caſtellanæ a provincia Caſteliæ, quia cum in ea ſit ſedes regis exculta magis eſt & perpolita, & ubique intelligitur etiam in Gallæcia & Catalaunia; ubi minus ſincera eſt, & in toto ampliſſimo hujus regis dominio, quod tot in Europa, Aſia, Africa, & America regiones complectitur. Quanto jure dixerim magis manifeſtam eſſe a Latina originem hujus linguæ demonſtrant exempla ſermonis, quem qui latinam novit, ſed non hiſpanam, dicet latinum, qui vero ſolam hiſpanam ſcit, dicet hiſpanum. En quod lego apud Emmanuelem de Azevedo multis Romæ & Venetiis, ubi nunc degit, editis libris clariſſimum in *poeticæ facultatis amphitheatro* quod Eboræ in publicam lucem emiſit anno 1740. cum ibi eſſet humaniorum literarum profeſſor (3) *Maria ſanctiſſima tu que tantas miſericordias exercitas, que tantas conſolationes das, que tantos favores communicas, que tantos malos reconcilias, animas, reparas, ſuſtentas, armas, reconcilia-me, anima-me, repara-me, ſuſtenta-me contra tentationes diabolicas, inclinationes carnales, affetiones mundanas.*

En aliud exemplum in carmine, quod ut idem ait (4) *Catalanice, Hiſpanice ac Latine ſonat.*

Sol de Aquino de eſphera peregrina,
Heroica, excelſa, clara, prodigioſa,
Gloria de Italia, Gracia myſterioſa,
Arca de ſcientia, fama de doctrina.
Cathedras de infinita diſciplina,
Academias de ſapientia glorioſa,
Methodos de obedientia religioſa,
Tronos fundas de ſacra medicina.
Si declaras ſententias tam profundas,
Si tu frequentas cytharas Phoebeas,
Si apollineas cantas circumſtantias.

Ampli-

(1) Mu. Orig. de ling. ital.
(2) Ti. Lett. ital. to. 3 pref.
(3) Az. n. 102.
(4) Az. Ibid. n. 98.

Amplifica Thomas venas ſecundas,
Adminiſtra poeticas ideas,
Metricas repreſenta conſonantias.

Ita autem Hiſpanica lingua eſt a Latina, ut non pauca habeat gothica & arabica verba teſte Arteaga Matritenſi (1), quia tam Gothi, quam Arabes dominium aliquod in Hiſpania aliquamdiu habuerunt. Nonnulla etiam phoenicia, & multa cantabrica Hervas (2) in ea affirmat reperiri, phoenicia quidem, quia Phoenices loca quædam Hiſpaniæ maritima olim tenuerunt, cantabrica vero, quia cantabram contendit fuiſſe linguam hujus regionis ante latinam. Atque alius hiſpanus Jo. Andres in ſua italica *hiſtoria de omni literatura* profitetur ſe non ſemel obſervaſſe verba hiſpana ex arabicis derivata melioris eſſe ſoni & formæ, quam ſint quæ originem habent a Latina.

481. Qui advertat Hiſpanos aliam omnino linguam antiquitus habuiſſe ab ea, qua nunc utuntur, adeoque neceſſario mutaſſe vel omiſiſſe in novis verbis eas literas, quarum pronunciatio difficilis ipſis erat, quia iis olim carebant, is ſine ulla dubitatione affirmabit originis latinæ eſſe eorum dictiones, quas alii minus cauti a Gothis aut Arabiis repetent. Hujusmodi ſunt Herio, Hacer, Hender, quæ ſunt a latinis Ferire, Facere, Findere omiſſa litera F, quippe ignota Cantabræ ipſorum olim linguæ. Similiter, Ocho, Pecho, Techo ſunt a latinis, Octo, Pectus, Tectum, mutata ſyllaba cto in cho. Conſulendus Aldrete, quem Hervas (3) dicit docte & breviter egiſſe de mutationibus literarum in lingua Hiſpana in ſuo de origine hujus linguæ commentario.

482. A Latina tandem eſt Luſitana, quæ affinis eſt Hiſpanæ, & ut teſtantur Terreros (4) & Feijoo (5) eadem cum Gallæca exceptis vocibus, quibus deinceps Luſitana ſe locupletavit acceptis a gentibus, ad quas navigavit. Quare qui legat acta publica, quæ in archiviis tam gallæcis, qnam luſitanis abundant, ſcripta a ſæculo duodecimo uſque ad ſæculum decimum ſextum, tempus Caroli V., utpote quae plerunque non indigent vocibus peregrinis, agnoſcet inquit Terreros ea eſſe, qaalia ſunt quae pertinent ad unam eamdemque provinciam. Ratio cur una ſit utriusque nationis lingua eſt quia Gallaeci in ſibi conterminas Luſitaniae provincias penetrarunt, quas a Maurorum dominatione liberarunt, & juxta hiſtorias, quas Feijoo commemorat per longum duorum ferme ſæculorum tempus Gallaecia fuit ſub uno eodemque rege cum magna Luſitaniae parte.

483. Emanuel de Faria in ſua Europa Luſitana, quam hiſpanice ſcripſit, quia Matriti tunc degebat, & Hiſpani tunc Luſitaniæ dominabantur, obſervat linguam Luſitanam retinere (6) latinae matris multo plura

(1) Ar. Rivoluzion. to. 1 c. 2 p. 102.
(2) He. Idea. to. 17 n. 325.
(3) He. Idea. to. 20 n. 181.
(4) Te. Paleog. pag. 10.
(5) Fe. Teatro. di 15 n. 34.
(6) Fa. Europ. to. 3 pag 4 c. 9 n. 22 edit. 2.

Digitized by Google

plura lineamenta, quam Caſtellana. Nam Hiſpani inquit terminant multa vocabula in n, ſed Luſitani cum Latinis in m. Hiſpani o latinum efferunt per dypthongum ue, & pro *porta* dicunt *puerta*, & f transmutant in h dicentes *hijo* pro *filio*, & vocalem i intrudunt, ubi Latinus non habet, & *ciento* audias pro *cento*. At Luſitani dicunt *porta, filho, cento*. Argumentum forte illuſtrius de hac majori ſimilitudine habeo apud eumdem Azevedum in proſa & carminibus quæ latina ſimul ſunt & Luſitana. Atque hoc ex proſa dat exemplum, (1) *O quam excellentes glorias manifeſtas nobiliſſima lingua Luſitana. Tu es tam ſelecta, quam profunda. Tua Rhetorica quam ponderosa, tua eloquentia quantas cauſas declaras, quantos modos elegantiſſimos inculcas. O quam ſollicita de tua gente famoſa, conſtante, generoſa, procuras, exaltas, e manifeſtas celeberrimas victorias. Vive annos infinitos lingua bella, conſerva-te pnra celebrando de tua excelſa potria perpetuas glorias*. Ex carminibus hoc ex variis quae affert, audiatur (2).

Roma infinitos annos ſanctiſſima vive
Pacificas gentes conciliando tuas.
Caſtiga indomitos fortiſſima Roma tyrannos.
Horrendos animos tu generosa doma.
Acquire illuſtres turca de gente triumphos.
Diſtantes terras imperiosa rege.

Quare ſuperfluus eſt catalogus quem idem Faria (3) contexuit de quibusdam latinis verbis, quae in hac lingua reperiuntur, in quo ceteroqni ſunt aliqua, quae in nullis probatis calepinis invenias. Praeter latina idem auctor ibidem diſtinctim digerit alia multa, quæ haec lingua deſumpſit ex Araba, Itala, Gallica, aliisque linguis.

484. De harum linguarum origine nulli dubitant, qui ſunt aliqua earum cognitione imbuti, nihilominus quisque non ſine voluptate leget argumenta quibus Bonamicius in volumine XIV. Acad. Inſcriptionum hoc ipſum demonſtrat, & laudatus Feijoo (4) cum Kirchero (5) definite propugnat de lingua luſitana contra multos, qui eam hiſpanae filiam volunt non latinæ. Antiquiores Itali juxta Tiraboſchium (6) vocarunt *Romanza*, linguam gallicam natam ex corruptione latinæ, & ſimiliter Hiſpani juxta Antonium Salvini (7) ſuam ab eadem matre generatam appellarunt *Romance*, quaſi Romanismum, quemadmodum a Græcis lingua latina a loco, ubi perfectior erat, romana ſive romaica fuit appellata, iidemque Hiſpani poſitum *en romance* dixerunt, quod ex latino feciſſent hiſpanum.

485. Atque quia ex primis hiſpanice ſcriptis libris ſunt narrationes plerun-

(1) Aze. ibid. n.101.
(2) Az. ibid. n.100.
(3) Fa. ibid. n. 19.
(4) Fe.Teatro. ubi ſupra n.27.
(5) Ki. Tur. Bab. l.3 c. 1.
(6) Ti. Stor. lett. to.4 l 3 c. 5 n.22.
(7) Sa. not ad poes. Mur. L 3 c.8.

Digitized by Google

plerunque fabuloſæ, factum eſt ut vocabulum italicum *Romanzo* proprium deinde evaſerit ſimilibus narrationibus. Hiſpani enim hunc guſtum traxerunt ab Arabiis ibidem olim dominantibus, qui deinde in alias gentes tranſiit, præſertim poſtquam Michael Cervantes natus Hiſpali ann. 1549., & 1616. mortuus, hiſpanice promulgavit ſuum *Don Chiſciotte*, & gallice ſuum Telemachum Cameracenſis Pontifex Franciſcus Fenelon anno 1651. natus, & 1715. defunctus, præclariſſima in hoc genere opera, quibus tamen prælusit Vaſcus de Lobeira Luſitanus, qui ſæculo decimo quarto protulit ſuum *Amadis* (1) *imaginariam hiſtoriam*, inquit Emmanuel de Faria, *quæ Taſſo judice ſuperat in dignitate & elegantia hiſpanas omnes & gallicas hiſtorias*. An Octavianus Ferrari, qui de hac re ſcripſit, eamdem his fabuloſis narrationibus originem tribuat, alii viderint. Octavianum dixi cum Tiraboſchio (2), quem Ladvocatus in ſuo dictionario Octavium appellat, Mediolani in patria mortuum ann. 1586. ætatis ſuæ 76.

ARTICULUS II.

Argumenta pro definito tempore circa uſum dictarum linguaeum.

486. SEcunda propoſitionis pars determinat tempus, quo hæ linguæ latinæ propagines incœperunt eſſe ita vulgares, ut non ſolum iis uterentur loquentes, ſed etiam ſcribentes, non antecedere ſæculum æræ chriſtianæ duodecimum, ut nuper Melchior Ceſarotti in italo *ſpecimine de lingua Itala* apud Ephemerides Lit. Rom. (3) ſtatuit poſt Tiraboſchium, qui loquens de Hentico a Settimello, cujus extant carmina iterum Florentiæ impreſſa anno 1730. per Dominicum Manni, negat (4), a Settimello factam eſſe verſionem in linguam italam Metamorphoſeon Ovidii, ipſi a Julio Negri (5) attributam, & inter auctores linguæ italæ ab hujus Academia numeratam, propterea quod comperit ipſum floruiſſe ſæculo duodecimo quo italæ linguæ uſus in ſcribendo, quæ quis publicare vellet erat in ſui quaſi infantia. Adde hanc verſionem ab aliis tribui non Henrico Settimellenſi, ſed Pratenſi cujus cognomen erat Simintendi. quem ceteroqui neſcias quando floruerit.

487. Ante iſtos Muratorius dixit (6) *probabile eſſe poſt annum* 1100. *initium habuiſſe uſum ſcribendi nova lingua, qua vulgus utebatur*. Quod ſuadent qui diligenter perquiſierunt ſcripta in his linguis omnium antiquiſſima. Quod pertinet ad italicam hujus uſus primo occurrit in carminibus, quæ cum in hac lingua placerent Friderico I. Imperatori, multos, cum regnaret in Sicilia ad ſe traxit, qui hujuſmodi carminibus ſe addixerunt. Atque

(1) *Fa* Europ. portugh. 2. ediz. to. 3 par. 4 c. 8 n. 65.
(2) Ti. Stor. lett. to. 7 p. 2 l. 3,
(3) Ef, ann. 1786. n. 26.
(4) Tir. *Lett. ital.* to. 4 l. 3 c. 4 n. 6.
(5) Ne. *Scritt. Fiorent.*
(6) Mu. *Perf. poes.* l. 1 c. 3.

Digitized by Google

Atque hinc factum eſt, ut Itala poeſis nata dicatur in Sicilia tempore hujus Imperatoris hoc eſt ſæculo Chriſti duodecimo. Ex his autem carminibus mihi nota non ſunt niſi quædam rhythmica, quæ Ubaldinus Florentinus, cum eſſet apud Fridericum compoſuit anno 1184., & marmore inſculpi voluit, utpote quæ monumentum continent huic familiæ honorificentiſſimum. Hæc carmina auctor libri (n.474.) *de indole italæ literaturæ* (1) excribens ex Vincentio Borghini affirmat nulla alia extare itala carmina his antiquiora, quod credo dicat cum Creſcimbenio, quoniam in hujus hiſtoria de itala poeſi verſatum ſe oſtendit. Mirum autem non eſt alia periiſſe, quoniam ſolis chartis non ſaxis tradita, tamquam balbutientis dictata neglecta fuerunt a poſteris, quorum auribus perſonabant, quæ lingua jam adulta eloquentiſſime promulgabat per Dantem, Cinum Piſtorienſem, Guidum Cavalcantem, alioſque multos.

488. Sæculo deinde decimo tertio Muratorius iterum iterumque (2) obſervat hiſtorias aliquas haberi proſa oratione in hac lingua perſcriptas. Atque Matthæum de Spinello ex civitate Juvenaccii primum dicit, qui annales dedit ab anno 1247. usque ad annum 1268. lingua itala ſcriptos, ſed juxta dialectum Apulam ſeu Neapolitanam a multis apud Jo. Bernardinum Tafurium (3) celebratos, quos Daniel Papebrochius in Actis Sanctorum ad menſem Maii latinos protulit. Quoniam idem Muratorius alibi (4) attulit fragmentum hiſtoriæ Piſanæ italice ſcriptæ de iis quæ contigerunt ab anno 1214. uſque ad 1294. non poteſt affirmate dici hunc Spinellum fuiſſe primum, qui italice ſcripſerit. Poſt iſtos eſt hiſtoria Ricordani Malespini Florentini dialecto meliori ſcripta quam illa Spinelli, quæ pervenit ad annum 1281. ultimum ipſius vitæ, de quo pariter alibi loquitur Muratorius tamquam de primo, qui italica proſa ſcripſerit, oblitus eorum quæ de Spinello dixit, uti jam advertit Tiraboſchius (5). In hac quoque Ricordani hiſtoria videas ſola itali ſermonis rudimenta.

489. Circa idem tempus anno ſcilicet 1257., aut non multo poſt Galeottus a Bononia, de quo diſſerit Tiraboſchius (6) dedicavit Manfredo Siciliæ Regi, italicam ſuam *Rhetoricam novam M. Tullii Ciceronis ex latina vulgarem factam*, quæ primum formis impreſſa fuit anno 1478. Dum quæritur an ante hoc tempus epiſtolæ ſaltem italice ſcriberentur, equidem dico Guittonem Aretinum, qui obiit circa annum 1294. ut definivit Tiraboſchius (7) dediſſe epiſtolas italicas, ex quibus quadraginta Joannes Bottari Romæ edidit anno 1745. cum multis grammaticalibus notis. Quare donec aliud non eruatur exemplum majoris antiquitatis, dicendum ejuſdem ætatis eſſe epiſtolas italice ſcriptas.

D d 492. Cal.

(1) Geni. to.1 p.1 pag.102.
(2) Mu. Scrip. rer. ital. to.1 præf. ad Matth. de Spinello, & antich. ital. dl. 32.
(3) Ta. Scritt. di Napol. ann. 1268.
(4) Mu. Scri. rer. ital. vol. 24.
(5) Tir. Lett. ital. to.4 l.3 c.6 n.12.
(6) Ti. Ibid. to.4 l.3 c.5 n.12.
(7) Ti. ibid. c.3 n.13.

490. Gallicæ linguae usum in ſcriptis Juſtus Fontanini anteriorem fecit illo linguæ italæ (1) dicens ipſos italos lingua gallica prius quam itala ſcripſiſſe. Inſignis profecto eſt hæc ejus hallucinatio, ut quisque cognoſcet, qui cum Scipione Maffeio (2) & Tiraboſchio (3) animadvertat ipſum pro ſua opinione arguere ex ſcriptis gallicis quorumdam italorum, quæ minus antiqua ſunt italicis hiſtoriis Spinelli & Maleſpini ſupra (n. 480) allatis, & italicis carminibus, quæ ex dictis (n. 487.) abundarunt in Sicilia ſub Friderico. quibus ſuam ipſemet ſymbolam aliquando conferebat. Iis qui dicerent cum Lacombe (4) fuiſſe in meridionali Galliæ parte celebres poetas in lingua vulgi ſub nomine Troubadours, vel Trouvadours, vel Trouvers, hoc eſt ut ego interpretor inventores, fuiſſe inquam nono Chriſti ſæculo maxime ſub Ugone Capeto. imprimis reponam extemporalia credi fuiſſe non ſcripta eorum carmina in lingua vulgi, atque hæc quis dicat defuiſſe in aliis linguis de quibus agimus, quorum ideo non fit mentio, quia tot in aliis non fuerunt, qui in hoc exercitio convenerint, quot in hac Galliæ parte vulgo Provincia appellata fuerunt. Deinde opponam Gallum anonymum ſupra (n. 487.) citatum qui ait (5) *Omnes norunt hos poetas Troubadours non floruiſſe maxima ex parte niſi poſt annum* 1100. Tandem dicam Fauchetum (6) alioſque apud Andrem (7) teſtari ſe non inveniſſe carmina gallica ante dimidium ſæculi duodecimi ſcripta, quorum ſpecimen exhibet Dufresne (8), & ex illo Hervas (9). Carmina autem ſolent linguarum uſum in aliis quibusvis diſciplinis præcurrere, & facilius conſervari, adeoque & reperiri, quia a pluribus excipiuntur.

491. Lebeufio, qui dixit hiſtoriam martyrii S. Stephani fuiſſe gallice ſcriptam ſæculo Chriſti nono, opponitur Martene qui non tribuit codici, qui illam continet, antiquitatem majorem ſæculo undecimo, quod cum ab ipſo non determinetur tamquam quid certo compertum, licebit propter analogiam uno adhuc ſæculo minorem facere. Rivet & Clemencet Monachi Maurini auctores hiſtoriæ literariæ Galliæ, qui gallica quædam epitaphia protulerunt tamquam facta ſæculo decimo, convincuntur artis criticæ principia in hoc judicio penitus neglexiſſe. Citato Hervas loco dicit ſub initium ſæculi decimi tertii perfectam quantum ad ſubſtantiam linguæ apparuiſſe Gallicam in operibus Guioti Pruvinenſis. Communis itaque ſententia tenenda eſt, quæ ſtatuit gallica ſcripta circa idem tempus incoepiſſe ac italica.

492. Circa linguam hiſpanam fuerunt quidam, qui dixerunt a Gothis, qui iu Hiſpania regnarunt leges Caſtellana lingua latas, adeoque anno

(1) Fo. Eloq. ital. l. 1 c. 8.
(2) Ma. Offer. lett. to. 2.
(3) Ti. Lett. ital. t. 4 c 1 n. 7.
(4) La. Dizi. d. arti. ar. Trubaduri.
(5) Gen. de la lit. pag. 100.
(6) Fa. Recer. de la lang. franc.
(7) An. Orig. d. Lett. c. 11 pag. 172.
(8) Du. Gloſſ. ar. Sella.
(9) Her. Idea. to. 17 n. 135.

anno ante ipſum Chriſti ſæculum octavum, ſed (1) *demonſtratum eſt contrarium*, inquit Terreros. Alii etiam jactarunt extare poemata hiſpanice ſcripta ipſis ſæculis ſeptimo & octavo Chriſti, quorum quædam exempla affert Emmanuel de Faria (2). Sed Jo. Andres (3) illos jam oſtendit ſequutos traditiones vulgares, nulliusque momenti rationes. Carmina in lingua Caſtellana, quibus conſtat epitaphium in ſacello S. Eugenii templi majoris Toletani poſitum Ferdinando Gudiel, qui obiit anno 1278., Terreros inquit (4) *eſſe monumentum ex antiquioribus poeſeos vulgaris*: Et primum poema in hac lingua (5) eſſe illud, quod in laudem S. Dominici de Silos compoſuit Gonzalus Berceo, qui floruit anno 1211. ex verſibus quatuordecim syllabarum. Aliud in hac lingua poema, quod ſæculum duodecimum nequit antecedere eſt illud de geſtis præclariſſimi Cid contra Arabas, quos ſæpius profligavit, & a Valentia aliisque locis ejecit. Nam Cid juxta Ladvocatum (6) deceſſit circa annum 1098. Hujus poematis libamentum haurias ab Herva (7).

493. Præterea hiſtoria nos certiores facit in hiſpanis provinciis, qnas Mauri ſæculo octavo occuparunt, conſervatam ubique linguam latinam ſaltem tamquam linguam doctam, & neceſſariam ad exercitia chriſtianæ religionis, quæ invaſores licet Mahumetani permittebant. Per horum autem irruptionem factum eſt, ut quæ ex corruptione linguæ latinæ habebantur rudimenta linguæ hiſpanæ, alicubi penitus delerentur, ſubſtituta lingua dominantium Arabum, in cujus ſtudio ſæculo nono Cordubenſes etiam Chriſtiani ipſos Arabas dicuntur ſuperaſſe. Certe S. Eulogius, martyr factus anno Dom. 859. queſitur in ſuis libris de neglecta ab Hiſpanis propria ipſis & religioni latina lingua, & Terreros, qui brevem quamdam hiſtoriam linguæ Caſtellanæ inſeruit in ſuam Palæographiam, hanc linguam dicit fuiſſe tamquam in ſua infantia (8) toto ſæculo octavo uſque ad totum undecimum, quo Alphonſus VI. mortuus anno 1108. Toletum recuperavit, & ab hoc tempore uſque ad S. Ferdinandum, qui rex in Hiſpania fuit ab anno 1217. uſque ad annum 1252., vult ejusdem adoleſcentiam pertinere (9), quæ lento ſatis gradu procedebat, cum uſque ad dimidium ſæculi decimi tertii (10) quæ ad ipſum reipublicæ regimen ſpectabant vel in ſola lingua arabica ſcriberentur, vel in latina cum adjecta arabia interpretatione, aliaque hujus temporis monumenta conſtent lingua quadam monſtroſa & ridicula, utpote ex verbis partim latinis & partim hiſpanis. In montanis autem regionibus, in quas Mauri non penetrarunt, nulla monumenta in vulgari lingua nata a Latina, & Gallæca appellata extant ante ſæculum duodecimum, quo primum in-

Dd 2 coepit

(1) Te. Paleogr pag.26 in not.
(2) Fa. Eur. Portugh. to.3 c.9. edi.2.
(3) An. Orig. d. letter. c.11 pag.270.
(4) Te. Paleog. pag.67.
(5) Ibid. pag.24.
(6) La. Dizi. ar. Cid.
(7) He. Idea. to.17 n.325.
(8) Te. Paleog. pag.3.
(9) Terrer. ibid. pag.16.
(10) Ibid. pag. 22 & 23.

Digitized by Google

coepit ejus uſus in publicis actis, quæ ante latine ſolum exarabantur;

494. Calmet meminit de ſacra Scriptura, quam (1) *Jacobus primus Aragoniæ rex qui obiit anno 1276. decreto cavit, ne quis in Romancio ſeu vernaculo idiomate retineret, & loci Epiſcopo deferret comburendam.* Sæculo igitur decimo tertio certi ſumus ſcriptum eſſe in lingua hispana. Ejusdem temporis credo eſſe quamdam hispanam hiſtoriam, & verſionem ſacrorum bibliorum, ac moralium S. Gregorii factam a quodam Grimoaldo monacho S. Emiliani Dioeceſis Calaguritanæ, quem Maurini paulo ante nominati perperam, ut Andres ſuadet (2), gallum exiſtimarunt. Rege S. Ferdinando lingua vulgi hispana adhiberi coepit etiam in civili adminiſtratione, in foro ejusque actis, quæ ex dictis (n.493.) poſt Arabum invaſionem arabice ſcribebantur, quæ conſuetudo nondum ſæculo decimo quarto ſublata erat; Nam teſte Herva (3) in hispanis tabulariis perquam multa conſervantur ſcripta hujus temporis in lingua Araba, vel tum in Araba, tum in Hiſpana. Sub finem autem ſæculi decimi tertii nova hæc lingua formam explicavit, quæ accedit ad illam, quam deinde expolivit & perfecit, ut videre eſt in exemplo quod Hervas refert (4) deſumpto ex libro precum ſcripto anno 1299. pro Blanca Aragoniæ Regina, qui eſt inter codices ampliſſimæ bibliothecæ Card. de Zelada.

495. Prima linguæ Luſitanæ ſcripta ambigi non poteſt nulla haberi, quæ ſæculum duodecimum antecedant. Qui enim hujus linguæ non adſcititia, ſed própria vocabula præ oculis habet, omnia ex dictis (n.482.) videt eſſe eadem cum gallæcis, quorum uſus in ſcriptione nullus fuit ante ſæculum duodecimum. Sæculo enim vero XIII. Dionyſius Luſitaniae Rex ab anno 1279 uſque ad 1325. illuſtrem prae ceteris linguis reddidit; Nam ut ait Emman. de Azevedo (5) *primus vernaculo idiomate accuratos verſus panxit, majeſtatem authoris referentes. Licet igitur Luſitanis citra ſuperbiam gloriari, poeſim nullibi terrarum, quam apud ipsos habuiſſe tam felix fauſtumque principium.*

496. Antequam hae novae linguae ad communem uſum etiam ſcriptionis tranſirent, facile eſt intelligere apud incultum etiam vulgus remanſiſſe cognitionem aliquam latini ſermonis, quamvis eo non uteretur, tum quia vulgaris lingua multum adhuc habebat de colore ut ita dicam latinae, quem proceſſu temporis amiſit omnibus ſuis dictionibus aliter conformatis juxta grammaticam pro vulgari tandem ſtabilitam: tum quia latinum ſermonem conſtanter audiebat a magiſtratibus & ab omnibus, qui liberaliter educabantur, eoque unice conſtabant ſatis communiter libri & epiſtolae uſque ad totum fere ſaeculum decimum quintum, quo cum jam italica lingua per ipſas patriciorum & eruditorum aedes liberius percurreret plures eruperunt, qui ipſam conati ſunt eliminare timentes ne tandem latinae

(1) Cal. Dict. ar. Biblia Hispanica.
(2) An. Orig. d'ogni lett. pag. 283.
(3) He. Idea. to. 19 n. 87.
(4) He. Idea. to. 21. n. 325.
(5) Az. Poet. amphith. spect. 3 par. erg.

Digitized by Google

næ locum, prout videmus accidiſſe, occuparet. Itaque Romulus Amaſeus anno 1529. coram ſummo Pontifice Clemente VII. & Imperatore Carolo V. duas habuit orationes pro lingua latina contra Italam, cujus uſum ſoli plebi ruſticis tabernariis & mercatoribus dicit relinquendum, idemque cenſuit Petrus Bargæus per orationem habitam in Academia Piſana, & Cælius Calcagnini in ſuo de imitatione tractatu, & Franciſcus Floridus in Apologia Plauti, & Bartholomæus Ricci in ſecundo de imitatione libro, & Sigonius in oratione *de Latinæ linguæ usu retinendo*, & alii apud Apoſtolum Zeno in notis ad Fontaninum, & apud Tiraboschium (1).

497. Nihilominus paulatim diminuta eſt linguæ latinæ cognitio apud vulgus pro incremento uſus novarum linguarum, quo in dies minus neceſſarium latinitatis ſtudium reddebatur. Per gradus autem factum eſſe hujusmodi incrementum nemo dubitat. Sed quales hi fuerint, vix aut ne vix quidem cognoſci poteſt. Quod pertinet ad linguam italicam, hæc ſæculo decimo uſque ad duodecimum ex quibusdam monumentis a Muratorio (2), & aliis erutis, quæ Hervas (3) commemorat, apparet adhuc habuiſſe multa latina verba, & ipſas in verbis conjugationes.

PROPOSITIO IX.

Cauſſæ de diverſa linguarum reſonantia plures ſunt.

498. Est in linguis quæ nunc vigent, iis etiam quæ unam eamdemque matrem agnoſcunt propria in ſingulis dum proferuntur reſonantia. Itaque Italus loquens eſt feſtivus & harmonicus, Gallus celer & alacris, Hiſpanus gravis & uniſonus, Anglus ſibilans & conciſus, Germanus asper & abruptus, ſive juxta Rabutin in libro *Carte geographique de la Cour* Coloniæ impreſſo anno 1668. Hiſpanus loquitur, Gallus canit, Italus mimos agit, Anglus plorat, Germanus ululat, qui hæc dicens forte imitatus eſt effatum vulgo tributum Carolo V., loquendum cum Deo hiſpanice, cum amicis gallice, cum feminis italice, cum avibus anglice, & cum equis germanice, quaſi Carolo V. omnes hæ linguæ fuiſſent familiares, quod certe falſum eſſe oſtendit Muratorius (4). Cum interea de hac diverſitate quæritur cauſſa, equidem ſic dico.

499. Pro linguis primigeniis cauſſa diverſæ illarum reſonantiæ eſt ipſa diverſa conformatio verborum & diverſa accentuum natura; quibus ſingulæ conſtant, quæ Deum ex dictis habent auctorem. Itaque quia quædam linguæ ut Germanica abundant conſonantibus & gutturalibus neceſſe

(1) Ti. Lett. ital. to 7 p. 3 l. 3 c 5. n. 30.
(2) Mu. Antiq. to. 6 diſſ. 32.
(3) He. Idea. to. 17 n. 322.
(4) Mu. Perf. poes. l. 3 c. 10.

Digitized by Google

ceſſe eſt ut talem ſonum edant, quem populi, quibus mollior lingua data eſt aſperum dicant, & ingratum experiantur, ita ut ſi ipſorum verba velint eodem modo ac ipſi pronunciare, rauci quodammodo cogantur fieri.

500. Pro linguis quæ ſunt quantum ut ita dicam ad ſubſtantiam eædem, varietatis cauſa in illarum ſono eſt diverſitas aliqua in organis, quæ ad articulandas voces neceſſaria ſunt. Hæc autem originem habere poteſt vel a progenitoribus nationum qui in ſuos poſteros transfuderint horum organorum eamdem qualitatem, quæ eos determinat ad certos ſibique proprios in loquendo ſonitus, vel a diverſitate climatum & vivendi ratione, quæ varia neceſſe eſt ſit pro cæli varietate. Sola climatis diverſitas potis eſt magnam in organis corporeis efficere differentiam, qua poſita diverſa eſt illorum actio, adeoque & pronunciatio. Quare multi jam olim ut Olaus Borrichius, & Arteaga (1) ſtatuerunt latitudinis geographicæ conſiderationem in hac quæſtione non poſſe prætermitti. Itaque quia nationes boreales ab aere maxime frigido obdurata habent vocis & ſenſuum organa, quamdam etiam duritiem in loquela præſeferunt.

Cæli rigiditas ipſos etiam populorum mores ingeniique & artis opera inficit, in quibus niſi diligenter caveant, ferreum quid & quaſi violentum obſervatur. Græci certe temperatum nacti ſolum dum ad ſtudia incumbebant ea effecerunt opera in omni ſcientiæ & artis genere, quæ tamquam exempla perfecti operis admiramur, & linguam ſibi perfecerunt maxime flexibilem, & harmonicam propter multitudinem vocalium, quibus conſtant ſingula plerunque verba, ut in pluribus duas etiam ſimul conjungat ad novos ſonos ex utriusque venuſtate eliciendos, qui propterea dipthongi appellantur. Roma ſub cælo poſita aliquanto minus quam Athenæ a Septemtrionibus remoto gentem antiquitus aluit magnanimam, & ad imperium natam, quæ latinam linguam condidit robore & dignitate plenam. Itali nunc ingenio alacres, & indole humani, qui ſtudiis & bonis artibus exculti ſint, lingua loquuntur, in qua aliæ nationes ſuſpiciunt ſuavitatem harmoniam efficaciam, & ipſam quaſi imaginem rerum, de quibus agat.

501. Pro linguis quæ ſunt quaſi filiæ ejusdem matris, diverſus illarum habitus, & conſequenter ſonitus cauſſam habet antiquiores linguas, quæ ſua quaſi lineamenta impreſſerunt in alias, quas pro viciſſitudine temporum acquiſiverunt. Hoc modo Hervas (2) quærentibus, quare longe minus diverſæ inter ſe ſint linguæ Itala & Hispana, quam hæ & Gallica, licet cum Gallis contermini ſint Itali, non vero cum Hiſpanis, respondet hujus cauſſam eſſe, Italis & Hiſpanis antequam linguam latinam loquerentur fuiſſe communem linguam Cantabricam, cum interea Galli haberent linguam Celticam, quarum linguarum veſtigia relicta fuerunt in novis linguis.

PRO-

(1) Ar. Rivoluz. to.1 c.2.

(2) He. Idea. to.17 n.316.

Digitized by Google

PROPOSITIO XII.

Nulla adhuc lingua univerſalis inventa eſt vel mediocriter opportuna.

502. POſt tantam linguarum multiplicationem cogitatum eſt a non paucis de inventione alicujus linguæ univerſalis quæ ſcilicet intelligatur ab omnibus cujusvis labii hominibus. In his fuit Kircherus, ſed hic hujusmodi cognitionem inter chimæricas tandem recenſuit. Teſte Maupertuiſio fuerunt etiam Solbrigius, cujus etiam nomen mihi novum eſt, & Leibnitius (1): ſed quid primus effecerit, non refert, de Leibnitio autem dicit ipſum nihil quidem tentaſſe, ſed rem factu poſſibilem exiſtimaſſe, quod de illo etiam Appius de Faba (2) teſtatur. Trevoltiani (3) meminerunt de Hartleyo, qui pariter ſuas neſcio quas in hac re cogitationes propoſuit. Hæc quæſtio ſi ſit de invenienda lingua univerſali, quetenus ipſius verba prolata intelligantur ab omnibus vana eſt. Nam poſtquam ſcimus Deum voluiſſe linguarum diverſitatem, irritus profecto erit quivis hominum quorumcunque conatus in contrarium. Præterea ad compoſitionem hujusmodi linguæ opus eſſet ſolis vocabulis, quæ eſſent ſigna naturalia rerum: at in omnibus linguis ſatis pauca hæc ſunt, illa ſcilicet, quæ Grammatici vocant interjectiones, ut ah ſuſpirantis, hei dolentis, hem indignantis, o admirantis, oh ejulantis, proh exclamantis, st ſilentium indicentis, aliaque, ſiqua ſunt. Quare non aſſentiar Hallbavero, qui ſupponit multa fieri poſſe vocabula ſic naturaliter ſignificantia (4) *ſi eruditi tantæ rei operam ſuam dicare velint*.

503. Sin autem ſermo ſit de inventione linguae, quae ſcripta intelligatur ab omnibus nationibus, disquiſitio quidem inanis non eſt, ſed nihil quod facilis ſit uſus adhuc inventum eſt. De hac re habemus a Kirchero (5) Ferdinandum III. Cæſarem cogitaſſe, ipſique Kirchero negotium demandaſſe, ut eam inquireret. Rem ille tentavit, ſuamque theoriam explicavit in *Polygraphia nova & univerſali* edita Romae anno 1663., cujus baſis eſt uſus numerorum qui communes ſunt plerisque gentibus loco vocabulorum. Eosdem ex his numeris vult reſpondere iisdem vocibus in Lexico, quod quisque pro ſua lingua habeat. Ita Cæli latine, Cielo italice, Himmel germanice vult numero 20. in omnibus diverſarum linguarum dictionariis affici. Profecto qui lexicon ita conſtructum habeant, poterunt inter ſe communicare per literas, etiamſi alter alterius linguam penitus ignoret. Accepta enim epiſtola per iſtos numeros ſcripta conſu-len-

(1) Ma. Di. de doveri d' un Acad.
(2) Fa. Ritratti. to. 2.
(3) Tr. ann. 1756 ar. 30.
(4) Ha. de var. ling perf. n. 19.
(5) Ki. Polyg. Synt ag. 1. c. 6.

Digitized by Google

lendo ſuum Dictionarium, verba quibus ſinguli illi numeri ſibi ſcripti reſpondeant inveniet, iiſque loco numerorum ſubſtitutis jam habebit epiſtolam lingua ſibi propria aliquo modo perſcriptam. (1) *Alexandro VII. glorioſæ memoriæ*, inquit ipſe Kircherus in ſua Turri Babel Amſtelodami anno 1679. *adeo placuit hoc artificium, ut inventori annuæ penſionis minerval aſſignare non ſit dedignatus*.

504. Decem ante Kircherum annis h. e. ann. 1653. Hiſpanus Romæ edidit ſimile artificium, quippe hic pariter numeros adhibuit prn vocabulis. Ipſum Gaſp. Schottus (2) poſtquam accurate declaravit, jure concluſit eſſe ingenioſum ſed factu difficillimum, Brevi illud Auctor propoſuit cum hoc titulo *Arithmeticus nomenclator mundi omnes nationes ad linguarum & ſermonis unitatem invitans*. Nomen non appoſuit auctor, neque Schottus qui ipſum Romae novit indicat, quia cum haec ſcriberet, ejus fuerat oblitus. Anno etiam 1661. qui pariter eſt ante Kircherum, de eadem re librum latine primum, & deinde germanice edidit Jo. Joachimus Becherus Spirenſis Francofurti ad Moenum cum hoc titulo *Clavis convenientiæ linguarum, Character pro notitia linguarum univerſali. Inventum Steganographicum hactenus inauditom, quo quilibet ſuam legendo vernaculam, diverſas immo omnes linguas unius etiam diei informatione explicare & intelligere poteſt*: De his Kircherus videtur inſtructus non fuiſſe, aliter non inſcripſiſſet ſuum opus *Polygraphia nova* niſi forte novam dixerit, quia novam ſequutus viam. Etiam Chriſtophorus Sturmius ſilet de opere Kircheri licet eidem potuerit eſſe notum. Nam annis ab ejus editione tredecim nitide totam declaravit (3) Beckerii theoriam non hauſtam ex ipſomet Auctore, ſed ex Schotto, qui eam, quam alteri anonymi hiſpani praefert tamquam faciliorem & magis univerſalem (4), exponere aggreditur prolato integro titulo operis Kircheriani de Polygraphia, ſibi ab Auctore Roma tranſmiſſo cum jam eſſet ſub praelo: ſed ideo fortaſſe non meminit Sturmius quia de eo ſolum titulum novit.

505, Ante ipſum Beckerium teſte Carteſio (5) Hardius cogitavit de Grammatica univerſali, in qua deſignabat *primitivas voces per unicam notam: nominum, & verborum inflexionem & conſtructionem faciebat per affixa quæ primitivis vocibus adderentur*. De qua commentatione Carteſius dixit, *Neminem reperiet qui hunc laborem ſubire velit diſcendi hanc linguam, in qua nulli adhuc libri conſcripti ſunt*. Video mentionem etiam fieri de *Specimine linguæ philoſophicæ una cum Dictionario juxta ipſum compoſito* anglice ſcripto ab Joanne Wilkins, ſed neſcio quando illud primo editum fuerit. Auctoris quidem nativitas contigit anno 1614., omniumque ejus operum collectio prodiit anno 1708. Ipſum ſpecimen ignotum non fuit Leibnitio, quod eidem non placuiſſe dicitur in Dictionario Ladvocati (6) juxta ultimas editiones.

506. Nu-

(1) Kir. Tur. Babel. in fine.
(2) Sc. Tech. l. 7. c. 1.
(3) St. Colle, exper. Auct. 11.
(4) Sc. Tech. l. 7 c. 2.
(5) Car. Epiſ. p. 1 epiſt. 111. ad Merſ.
(6) La. Dic. ar. Leibnit.

Digitized by Google

506. Nuper Georgius Kalmar Vngarus eamdem iniit viam in libello, quem Berolini Latine edidit anno 1772. cum hoc titulo *Præcepta Grammaticæ atque specimina linguæ philoſophicæ ſive univerſalis ad omne vitæ genus accomodatæ*, quem Romæ italice iterum protulit anno 1773. afferens quaedam praeclariſſimorum hominum de prima editione judicia eidem perhonorifica. Sed quicunque hujuſmodi librum evolvat ſtatim affirmabit nihil doceri quod evadat univerſale; Rem enim difficillimam quae apprehendatur proponit, ſicuti cenſuerunt jam Ephemerides Literariae Romanae ad 7. Novem. ann. 1772. de editione Latina mentionem facientes, & iterum de Italica loquentes ad numerum 20. ann. 1773. Nam conſtat ex quadrigentis quaſi primitivis characteribus, qui ſunt totidem Sigla ſignificantia integram orationis partem, ut nomen aut verbum, quas deinde docet qua ratione declinare conjugare & opportune variare ac disponere quis debeat ad exprimendos ſuos conceptus, ſtatuens certas regulas ſubtiliſſime quidem excogitatas, ſed quæ aliquando in ſola diversa aliquantisper configuratione conſiſtunt, ita ut poſtquam exacte etiam delineatæ fuerint, quod in multis non videtur facile, opus erit attenta legentium advertentia, ſine qua hujusmodi variationes diſcerni nunquam poterunt. Accedit quod cum quamplurima ex quadrigentis ſiglis ſtatuantur pro ſignis diverſarum rerum ſeu cogitationum noſtrarum, quæ inter ſe deprehenduntur habere analogiam vel realem vel metaphoricam, opus etiam erit prævio examine totius contextus ad determinandam ſignificationem, in qua hic & nunc ſumi debeat, quæ fortaſſe alia omnino erit a mente ſcriptoris. Quamobrem quis non videat linguam univerſalem etiam limitatam ad ſolam Scripturam adhuc in hominum deſideriis inanibus connumerari.

507. Nihilominus ſi quaeramus an inter linguas ſit aliqua, quæ univerſalis dici poſſit, quatenus ubique gentium ſint qui eam noverint, dico videri hoc dici poſſe de lingua latina, quam inquit Hallbaverus (1) *qui callet ubivis gentium domi eſt, & reperit quibuscum loqui poſſit*. Unde hæc linguæ latinæ per totum terrarum orbem diffuſio & perpetua ex quo extitit conſervatio, nata ſit, inferius dicam.

E e PARS

(1) Ha. de ling. diſcend. ratio. n. 7.

PARS III.

PROPOSITIO I.

Verba cujuscunque linguæ variantur ad arbitrium populi in verborum conſtructione, compoſitione ſignificatione & uſu.

Articulus I.

De variationibus in verborum conſtructione.

508. Variatae conſtructionis exempla proſtant in iis, quæ ut ait Emmanuel Alvarus de Latina, & de aliis linguis pari omnino ratione dici poteſt (1), *ſpeciem quidem ſoloeciſmi habent, vitioſa tamen non ſunt, quia fere ratione aliqua, uſuque disertorum innituntur*. Itaque Cicero dixit *moris eſt pro mos eſt*: *hoc facto opus eſt, pro fieri* habet Terentius: *Dulce ſatis humor pro dulcis*, eſt Virgilii. Alia multa dabit citato loco Alvarus in certas claſſes digeſta; quæ figuræ verborum appellantur. Huc pertinent verba quibus latine ut cum Quintiliano loquar (2) *patiendi modo dicimus, quæ facimus, ut arbitror, ſuſpicor, & contra faciendi quæ patimur, ut vapulo*.

509. Lingua Gallica jubet dicere *mon ame, ſon Alteſſe*, pro *ma ame, ſa Alteſſe*. Italica vult ut cum quis loquitur de homine ſingulari, dicat in nominativo, *quegli, queſti, coteſti*, quæ eſt terminatio propria pluralium, non vero *quello, queſto, coteſto*. Exempla enim quæ pro his etiam dicendi modis afferantur, pauca ſunt & controverſa, ut Corticellus (3) advertit. Antiquiores itali dicebant, *Egli ha cent'anni che non ho viſto*: recentiores vero dicunt, *Egli e cent'anni*, ubi temporis vocabulum numeri pluralis reſpicit verbum ſingularis numeri, quia ipſummet vocabulum temporis omittitur per figuram eclipſis. Itali pariter paſſim jam etſi in familiari ſolum ſermone, non vero in academico utuntur pronomine *Voi*, pro *Tu*, quod inſuper conſtituunt nominativum verbi ſingularis numeri in imperfecto modo indicativi, dicentes ex. gr. *Voi andavi*, cum communes regulæ poſtularent *Tu andavi*, vel ſaltem *Voi andavate*, ſed uſus jam excludit *Tu* tamquam inurbanum, nec ullam vult in adnexo verbo mutationem: Sicuti autem nemo prudens in latinis aurei ſæculi auctoribus hujusmodi

(1) Al. Gramm. l. 3 n. 20 p. 4.
(2) Qu. Inſt. l. 9.
(3) Co. Regol. l. 1 c. 20.

modi variationes habet pro ſoloecismis , ita quod Muratorius (1) Dantem , Boccacium , alioſque ſæculi 1300. ſcriptores accuſet de *multis ſoloecismis & quamplurimis barbarismis* Antonius M. Salvinius de hac lingua ſibi nativa , ejusque auctoribus peritiſſimus reprehendit in ſuis ad illum animadverſionibus , tamquam temere dictum , & confundens notas grammaticorum figuras cum ſoloecismis , & idiotismos communi jam etiam eruditorum uſu confirmatos cum barbarismis .

510. Exemplum magis inſigne variationis in conſtructione habemus in modo quo lingua itala docti jam ſcriptores utuntur , diverso ab illo antiquiorum , qui eam habitu ut ita dicam veſtiebant linguæ latinæ . Hæc quidem , quin quicquam amittat de ſua claritate , adjectiva ſeparat a ſubſtantivis , relativa ab abſolutis , & rectum caſum alibi ponit quam ante verbum . At italica utpote carens genere neutro , & varietate terminationis caſuum facile incidit in obſcuritatem , dum hujusmodi artificiosam verborum collocationem imitatur , prout jam obſervavit & docuit Card. Sfortia Pallavicinus tum in Commentario de Stilo (2) , tum in animadverſionibus grammaticalibus pro iis , qui italice ſcribunt , quas cum editio romana anni 1661. per Vareſem Franciſco Rainaldi adſcribat , affirmate tribuit Pallavicino Diarium Literatorum italic. (3) poſt Jacobum Facciolatum (4) qui eas ad calcem ſuæ Orthographiæ primo editæ anno 1721. & ſæpius deinde , iterum protulit novo ordine diſpoſitas , iisque auctiores , quas idem ſeparatim anno 1714. ediderat .

511. Argumenta pro hoc quem laudamus linguæ italæ uſu vincunt contrariam veterum magni ceteroqui nominis auctoritatem , qui ea ſatis non animadverterunt , fortaſſe quia præ manibus perpetuo habebant Latinos optimi temporis , humaniorum literarum magiſtros præclariſſimos . Quod certum eſt de Boccaccio , cujus extat etiam Genealogia Deorum latino ſermone exarata , in qua tamen , ſicut in latinis pariter operibus Dantes & Petrarchæ , videas effectus gothicæ vaſtationis , quæ literas quoque invaſit , ut obſervavit jam Paulus Corteſius (5) & enucleate Tiraboschius (6) declaravit . Eximenus indoli etiam hispanæ linguæ , quæ ipſi nativa fuit , contrarias dicit verborum trajectiones .

ARTICULUS II.

De variationibus in verborum compoſitione .

512. CONſpicua ſunt hujus variationis exempla in populis omnium linguarum , in quibus olim fuit usus Scripturæ , qui ſi conſulant , quos habeant veteres auctores , quales apud Latinos ſunt Livius Andro-

(1) Mu. Perf. l. 3 c. 8.
(2) Pa. Stil. c. 5 n. 7.
(3) Dia. to. 33 ar. 2 pag. 473.
(4) *Fa.* Ortogr. pref.
(5) Co. de homin. doc. ſub init.
(6) Ti. ſtor. Lett. t. 2 dis. n. 31. & 32.

Andronicus; Cn. Nævius, Q. Ennius, Pacuvius, & L. Accius, qui eo ordine, quo nominati ſunt, parvo inter ſe temporis intervallo diſtant, plures invenient voces, quarum aliquæ vel omnino jam non intelliguntur, vel ſaltem ſunt materia controverſiarum inter eruditos antiquitatis perſcrutatores. Itaque incertum eſt, quidnam ſibi velint hæ dictiones *Nama Sebesio*, quæ occurrunt in quibusdam antiquis inſcriptionibus. Scipio quidem Maffei eas interpretatur *Sanguis venerabilis*: Gregorius vero Redi apud Cortonenſem Academiam (1) *Gratia ſeu beneficium Sebeſio*.

513. Quam multæ autem dictiones habentur in antiquis, quæ nunc vix percipiuntur, quia literæ aut syllabæ nunc uſitatæ in illis non ſunt, vel aliæ additæ, vel aliquæ in alias permutatæ. De triplici hoc genere variationum in compoſitione vocabulorum latinorum, ſcilicet demptione additione & permutatione cum Jo. Nicolaus Funocius Marburgeneſis multa collegerit (2) exempla, ex illo præcipue hæc ſubiicio. Demptio literarum invenitur aut in initio dictionum, quam grammatici vocant aphæreſim, ut in laboratus pro elaboratus, allus pro hallus: aut in medio, quam dicunt ſyncopem, ut repoſtus pro repoſitus, periclum pro periculum: aut in fine, quam appellant apocopem, ut victu pro victui, oti pro otii. Demptio pariter ſyllabarum obſervatur in initio vocum, ut in rabo pro arrhabo, conia pro ciconia: aut in medio, ut dis pro dives, deum pro deorum: aut in fine ut in momen pro momentum, dein pro deinde. Additio literarum ſimiliter accidit in initio, dicta a grammaticis proſtheſis vel protheſis, ut gnatus pro natus, & ſtlis pro lis: aut in medio, dicta epentheſis, ut creduam pro credam, trabes pro trabs: aut in fine dicta paragoge, ut exemplare pro exemplar, & eſtod pro eſto. Additio syllabarum apparet in initio ut in duis pro bis, & duonus pro bonus: aut in medio, ut in æviternus pro æternus, & in mavolo pro malo: aut in fine ut in donicum pro donec, & dicier pro dici. Permutatio tandem literarum occurrit, dicta a grammaticis antiſtoechon: illa vocalium apparet in carnufex, pro carnifex, faciundum pro faciendum: diphtongorum in aulai pro aulæ, poenio pro punio: & conſonantium in prorſum pro prorſus, ſecutus pro ſequutus. Sub Cicerone evaſerant populus, conſul, pulvis quæ ſub Ennio erant populos, conſol, polvis, & ubi nunc eſt I paſſim olim fuit E, dicebantque veteres teſte Quintiliano (3) Menerva, Leber, Magester, pro Minerva, Liber, Magiſter. Atque in antiquioribus inſcriptionibus legitur ſebe pro ſibi.

514. Ex hac etiam cauſſa difficilis eſt veterum monumentorum lectio in quavis lingua æque ac nunc ſint, tum carmen Fratrum Arvalium, quod poteſt pertinere ad prima urbis tempora, de quo inferius (n.672.) dicam, tum latinum elogium, quod extat in columna roſtrata adhuc ſuperſtite in Capitolio a Senatu Populoque Romano poſita C. Duillio conſuli poſt navalem

(1) Aa.to.2 & 3. 27 28.
(2) Fu. Adolca. lin. lati. c. 7 §. 26
(3) Qu. Inſtit. l.1 c 4

valem victoriam, quam primus reportavit de Carthaginenſibus anno Urbis conditæ 493., & legi poteſt etiam apud Petrum Ciacconium, qui illud vetuſtate in pluribus locis corroſum ſupplevit, & peculiari libello interpretatus eſt, & apud Kircherum (1) & Hervam (2) aliosque: tum inſcriptiones ad Scipionum familiam pertinentes, quas refert Anthologia Romana (3) & ex hac iterum protulerunt editores romani hiſtoriæ literariæ Tiraboschii ad calcem primi voluminis ultima excepta, quæ ejus editione jam abſoluta nondum fuerat detecta, cujus tamen accuratam lectionem poſterius dedit eadem Anthologia (4) quando a tenebris eruta melius legi potuit. Harum inſcriptionum una eſt pro L. Cornelio Scipione Barbato, qui conſul fuit annis ante C. Duillium quadraginta, vel juxta Ricciolium 37., ponit enim (5) hunc Scipionem inter consules anni ante Chriſtum 298. Duillium vero anni 260.

515. Omnes effoſſæ fuerunt prope portam Capenam annis 1780., & duobus ſequentibus, ubi erat Scipionum ſepulcrum, de quo extat Stephani Morcelli elegans poeticus ſermo (6), & in illud Barbati habentur architectonicæ obſervationes in *Monumentis pro artibus liberalibus*, quæ Romæ typis Pagliarini publicantur, pro Auguſto anni 1786. Ex his extra controverſiam jam poſita eſt illa olim inventa, quæ poſita fuit L. Scipioni, qui Corſicam & Sardiniam ſubegit annis circiter centum quinquaginta ante Ciceronem, ſive anno urbis conditæ 514., quam iterum retulerunt cum interpretatione Sirmundi Matthæus Aimerich in fine ſui libri de *Paradoxis philoſophicis*, & Jo. Baptiſta Viſconti in ſua narratione de invento a ſe Scipionum ſepulcro inſerta in citatam Anthologiam anni 1780., & quam inter confictas computavit *Ars critica lapidaria*, quæ ſub nomine Scipionis Maffeii prodiit anno 1765., compacta a Franciſco Seguier ex ſcriptis ſibi ab eo legatis, ut apud Ephemerides Liter. Rom. (7) certiores nos facit Petrus Laurentius del Signore, qui Riccardianas ab eadem cenſura vindicavit.

516. In iisdem latinæ linguæ vocabulis præſertim compoſitis ex propoſitionibus invenias uno tempore eam orthographiam, quæ ipſas integras exhibet, ut in *perluceo* & *abſtringo*: alio vero quæ truncatas ut in *aſtringo*, aut quaſi liquefactas ut in *pelluceo*. Videſis alias vocum latinarum viciſſitudines in *Q. Ennii fragmentis a Hieronymo Columna explicatis*, quae poſt editionem Neapolitanam anni 1590., aliam habuerunt *Amſtelodami ex officina Weteſleniana* 1707. laudatam a Diario liter. Itali. (8) etiam propter addita ea, quæ ante Columnam Martinus Delrio de iisdem ſcripſit, & poſt ipſum Gerardus Jo. Voſſius, qui collectionem veterum latino-

rum

(1) Kir. Arithmolog. p. 1 c. 5 & Tur. Babel. l. 3 ſec. 3 c. 3.
(2) He. Catal. d. ling. n. 311.
(3) Ant. ann. 1780 n. 40 & ann. 1781 n. 48 & ann. 1782 n. 31 32 33 & 23.
(4) Ant. ann. 1783 n. 28.
(5) Ric. Chron. to. 3 catalo. 27.
(6) Mor. Ser. 9. li. 2.
(7) Ef. ann. 1782 n. 1.
(8) Gior. to. 4 ar. 27.

rum tragicorum a Stephanis jam antea editam iterum produxit diligenter illuſtratam.

517. In lingua græca tot occurrunt factæ diverſis temporibus variationes, ut ex illis, quas Bernardus de Montfaucon collegit, extiterit ipſius *Palæographia græca*. Ad cujus ſimilitudinem Pluche edidit Palæographiam gallicam in ſeptimo volumine ſui *ſpectaculi Naturæ*, & Terreros palæographiam hispanam, quam gallicæ ſubſtituit, cum hispanicum fecit hoc ſpectaculum. At quoniam ibi proponuntur diverſi loquendi & ſcribendi modi a Gallis & Hispanis uſitati a ſæculo quinto usque ad decimum ſextum, alios prćterea quisque cognoſcet, qui majorum linguam conferat cum hodierna. Equidem in theſauro Brunetti Latini Florentini, quem gallice ſcripſit ſæculo decimo tertio ex dictis (n. 193.) lego apud Tiraboschium (1) *Langaise*, & *parleure* pro lingua & ſermone, aliasque dictiones, quibus ſine nota barbariæ nemo jam utatur. Nec erit jam qui cum Salviato opponat hunc librum ſcriptum fuiſſe in lingua narbonenſi, non in gallica, poſtquam Falconettus (2) ipſum ex profeſſo confutavit, & plura quæ extant poetarum Narbonenſium carmina palam faciunt inſignem diverſitatem inter linguam ejus temporis gallicam & narbonenſem, qua ratione manifeſtum fit falso putaſſe Fontaninum (3) utramque linguam non admodum inter ſe differre.

518. Quoniam tamen exempla hujus theſauri Brunetti extant cum manuſcripta in regiis bibliothecis Pariſienſi & Taurinenſi, alia proponam ex libris per typos pervulgatis, quæ oſtendunt gallicam linguam non eſſe nunc qualis fuit ſæculo decimo tertio & decimo quarto. Talis eſt Gaufridi de Villehardovin *Latinorum expeditio in Terram Sanctam* anni 1204., cui ipſe interfuit idiomate gallico ſcripta, & a Carolo du Fresne edita Pariſiis 1657., quam deinde Paulus Rannuſius, vel Ramuſius ut alii ſcribunt latinam fecit additis notis. Talis etiam eſt Vita *Ludovici IX. Franc. Regis* gallice exarata a Joanne de Ioinvilla, quo idem Sanctus familiariter utebatur, & a Claudio Menardo edita Pariſiis 1668. cum adnotationibus. Hujusmodi tandem ſunt proſæ & carmina Chriſtinæ de Pizzano italæ feminæ, quam ejus pater, qui in Gallia apud regem Carolum V. erat, illuc avocavit anno 1368., cum eſſet quatuordecim annos nata, ibique obiit famam ingenii & doctrinæ conſequuta ſingularem. Ipſam veterem orthographiam gallicarum dictionum, quæ ſemper in uſu fuerunt, video differre a recenti, quam recepit & præſcripſit Academia, quæ ad perfectionem hujus linguæ incumbit. In ejus enim ultimo gloſſario expunctæ ſunt a multis vocabulis literæ inutiles in aliquibus vocibus B, D, S, aliæque, quæ olim duplicatæ ſcribebantur. Quare legimus jam *omettre*, *avenu*, *gener*, *accoitre*, pro *obmettre*, *advenu*, *gesner*, *accroiſtre*. Idem de lingua hispana demonſtrat Terreros in Palaeographia hispana, qui in ipso

(1) Ti. Lelt. ital, to. 4 l. 3 c. 1 n. 5. & c. 5 n. 12.

(2) Fal. Acad. inſcr. to. 7.

(3) Fo. Elog. ital. l. 1 c. 8.

ipſo ejus titulo dicit in ea etiam *contineri brevem hiſtoriam* communis idiomatis Caſtellani, aliarumque linguarum ſeu dialectorum, quæ in Hiſpaniæ regno ſunt.

Linguam pariter Luſitanam Emmanuel de Faria, qui de illa egit anno 1680. obſervavit eamdem in multis non eſſe cum antiquiori (1). Hæc ſexdecim diphtongos habebat ſcilicet aa, ao, ae, av, au, ee, ei, eu, ij, oo, oa, oe, oi, ou, ui, uu, ſed hodierna inquit ex his multas expunxit, & de aliis ſimiliter mutationibus etiam in verborum conjugationibus in ea factis meminit.

519. Linguam veterum Germanorum Bielfeld ſtudioſiſſimus indagator omnium, quæ ad ſuæ gentis literaturam pertinent, deprehendit tam differre ab illa nunc uſitata, ut ſine particulari quodam ſtudio non intelligatur, & ipſe de ſe profitetur apud Joa. Andrem (2), ne per ſtudium quidem potuiſſe aſſequi ſenſum poetarum ejus gentis, qui antiquiores non erant ſæculo decimo tertio (n. 394.). Qui legat apud Hervam (3) orationem Dominicam qua anno 870. vulgus in Germania in ſuam linguam converſa utebatur, videt aliam eſſe ab illa anni 1483., & hanc etiam differre ab illa anni 1498. Apud eumdem auctorem (4) in eadem oratione invenias magnam differentiam in Anglica hujus temporis ab illa ſæculi duodecimi, decimi tertii, & decimi quarti, & ſimile diſcrimen in Svecica recenti ab illa antiquiori & antiquiſſima.

De lingua Teutonica, a qua eſt Germanica Jo. Trithemius dixit (5) ante annum ſui obitus 1516., manifeſtum fore cuique legenti verſus teutonicos Otfridi monachi Wisburgenſis quantum intra annos ſexcentos mutata illa fuerit. De Danica quæ Teutonicæ filia pariter eſt Olaus Wormius in libro Hafniæ edito anno 1651., qui triennio præceſſit ejus mortem (6) ſcripſit eam, quæ uſitata erat quatuor ante ſæculis aliam videri ab illa ſui temporis. Hervas (7) non acquieſcit teſtimoniis Trithemii & Wormii circa magnas in his linguis lapſu temporis factas mutationes, quia obſervavit orationem Dominicam in lingua Gothica quinti ſæculi eſſe fere eamdem cum illa hujus temporis in aliis Teutonicæ dialectis. At hoc argumentum non eſt opportunum, quoniam ſacræ preces antiquitus in aliqua eccleſia ad uſum populi in cujuſque linguam verſæ ſolent religioſe conſervari.

A R.

(1) Fa. Europ. to. 3 p.4 c.10 n.29.
(2) An. Orig. d'ogni lett. to.1 c.11. pag.262.
(3) He. Idea. to.21 n.188 & ſeq.
(4) He. ibid. n.216 & ſeq.
(5) Tr. Polig. l. 3 ſub init.
(6) Wo. Lite. antiq.
(7) He. Idea. to.20 n.176.

ARTICULUS III.

De Variationibus in verborum ſignificatione.

520. VAriationem ſignificationis unius ejusdemque vocabuli Gellius (1) auctor ſecundi Chriſti ſaeculi viſus eſt ſibi deprehendere in permultis latinæ linguæ dictionibus, ſed certiora occurrunt exempla, quorum aliqua juvat obſervare. Eſto itaque illud in nominibus ponderum monetarum & menſurarum. Aliqua ex his communia quidem ſunt diverſis populis, non tamen in eadem omnino ſignificatione. Itaque quantum ad pondera, libra eſt nomen commune apud multas gentes, ſed Norimbergæ & in potioribus Germaniæ civitatibus ea eſt quid majus quam in Gallia, cum ſit Norimbergenſis ad Pariſinam ut 4797. ad 4608. Et quantum ad monetas, libellæ nomen paſſim uſurpant Florentini, Mediolanenſes, Mutinenſes, Regienſes, Parmenſes, Veneti, aliique populi, ſed in diverſo ſinguli ſenſu; Florentiæ enim illius valor aſcendit ad denarium cum dimidio: Mediolani aliquanto minor eſt: Venetiis accedit ad denarium: Mutinæ ad quatuor quintas denarii partes: Regii Lepidi & Parmæ ad dimidium denarii, & Ferrariæ pro diverſis temporibus varium valorem habuiſſe Vincentius Bellini ibidem mortuus anno 1783. ætatis ſuæ 75. demonſtravit in ſua *libella Ferrarienſi* Italice edita anno 1754. Scutatum pariter nominant Siculi, Melitenſes, Galli, & Itali. Sed in Sicilia valet denarios novem cum tribus quintis, in Melita teſte Agio de Soldanis (2) paulo amplius denariis quinque, in Gallia denarios ſex valet illud, quod abſolute ſcutatum dicitur, & duodecim quod ſcutatum novum appellatur, Romæ decem denarios, & Florentiæ decem cum dimidio.

521. Simili modo cum pleræque gentes iisdem quarumdam menſurarum nominibus utantur, non tamen eadem eſt apud ſingulas eorumdem ſignificatio. Ita ſub nomine leucæ, milliaris, pedis, paſſus non intelligitur determinata quantitas, niſi quis addat ſe loqui de italicis, vel gallicis vel aliis alterius loci, & quidem prout reſpondent certo tempori. Itaque juxta auctorem anonymum gallici libri *Nova methodus ſupputandi* ſecundo impreſſa Pariſiis anno 1682., leuca gallica alia eſt parva & conſtat mille paſſibus, quorum ſinguli ſunt tres regios pedes, alia magna, quæ habet paſſus quater mille: juxta vero Deval geographum regium in ſuis *monumentis geographicis* gallice editis Lugduni (3) 1686., leucam gallicam conſtant bis mille quingenti pedes geometrici, quæ proinde datis quinque pedibus in ſingulos paſſus geometricos ſuperat leucam magnam pedibus quingentis: juxta tandem Danvillem (4) leuca gallica hodierna eſt

(1) Ge. Noc. Act. l.13 c.17.
(2) Ag. Ling. punic. grammat. p.109.
(3) Du. Memoir. pref.
(4) Da. Eclair. geog.

Digitized by Google

eſt pedes romanos 3000., adeoque accedit ad leucam parvam. Hiſpana eſt circiter quatuor milliaria italica, & hac paullo majorem eſſe Danicam dicit Andreas Hwid Danus apud Ephemerides Lit. Romanas (1). Similiter pedis, palmi, & digiti nomine diverſa venit longitudo apud diverſos populos diverſo tempore, quae in his primitus fortaſſe nata eſt ab iis, qui auctoritate ſua alios traxerunt ad hujusmodi menſurarum uſum, quas ſinguli determinarunt ſuomet pede, qui cum ne in ſingulis quidem ejusdem familiæ hominibus paris omnino ſit longitudinis, multo minus in iis, qui naſcuntur in regionibus magno inter ſe intervallo ſeparatis. Quoniam quisque amat noſſe quot pedes in ſua regione uſitatos ſit aliquid, quod videt enunciatum per pedes alterius loci, ideo extant tabulæ, in quibus ad unum definite, puta ad Pariſienſem alii omnes alicujus nominis referuntur: Itaque Ignatius Ronconi unam dedit (2) quæ ad pedem pariſienſem alios refert italicarum civitatum.

522. Exemplum obſervatione dignum variationis in ſignificatione vocum habemus etiam in Daemone, & Dæmonio, quæ vocabula apud veteres latinos, qui Platonis doctrinam ſuscipiebant, promiscue uſurpabantur pro ſpiritu tam bono quam malo, cui natura eſſet, & etiam commoratio media inter Deum conſideratum in cælo, ubi gloriam ſuam explicat, & homines in terra viventes juxta definitionem illam Platonis (3) *πᾶν τό δαιμώνιον μεταξὺ ἐςί θεȣ̃ καὶ θνητȣ̃*. h.e. *quodvis dæmonium Deum inter & homines verſatur*. Neque enim placet verſio Ficini. *Omnis natura dæmonum inter mortales deosve eſt media*, quia Plato non loquitur de ſola natura dæmonum, ſed de loco etiam in quo ſunt. At poſt fundatam religionem chriſtianam Dæmon & Dæmonium communiter accipitur pro ſpiritu malo, ut jam obſervarunt Origenes (4), Euſebius (5) & S. Auguſtinus (6), & qui reprehenderunt Xilandrum, quod illud Plutarchi (7) Τὶ υφελιμώτατον, Θεόσ. Τὶ βλαβερώτατον Δαίμων, verterit, *Quid utiliſſimum? Deus. Quid pernicioſiſſimum? Genius*: Dæmon enim vel Diabolus debuerat dicere, non Genius, cum Plutarchus optimo opponat peſſimum. Ipſi nos certi ſumus non poſſe apud vulgus italum Sanctos Angelos appellari dæmonia ſine nota contumeliæ, quæ horrorem in ipſum excitaret.

523. Simile exemplum habetur in aliis vocibus, quæ nunc contumelioſæ ſunt, cum olim non fuerint. Talis eſt Barbarus, quæ nunc hominem crudelem vel incultum ſignificat, olim vero nihil aliud ſignificabat, quam hominem non Romanum. Quamobrem Vandali auctore Fleurio (8). qui ſolam virtutem militarem æſtimantes ignorantiam palam profitebantur, Romanosque odio habebant vel contemnebant, non ſolum barbari ab aliis gentibus dicebantur ſine illorum offenſione, ſed ipſi

(1) Ef. ann. 1783 n.26.
(2) Ro. Diz. d'agricult. to. 3 in fin.
(3) Pl. Conv.
(4) Or. c. Celſum l.5.
(5) Eu. Præp. 1 l.4 c.5.
(6) Au. de civi. l.9 c.19.
(7) Pl. Conv. ſeptem ſap.
(8) Fl. Hiſt. Eccl. l. 31 n.54.

ſe barbaros appellabant. Illuſtre pariter exemplum ſunt voces, quibus tamquam æſchrologis, ut grammatici dicunt, ſiquis aliquo tempore uſus fuiſſet, impudentis notam incurriſſet, a qua alii alio tempore eadem lingua utentes remoti fuerunt, quandoquidem in ſcriptis eorum, qui ſine dubio pii erant & honeſtiſſimi reperiuntur. Quod argumento eſt homines alterius vel loci vel ætatis per ea verba ſignificaſſe ſolam ideam rei aliquo modo in ſe turpis, ſed ſine iis adjunctis, quae vel ſtomachum jam movent, vel pravam aliquam animi diſpoſitionem nunc ſignificant.

524. Atque hæc videtur ratio, ut Auctor artis cogitandi obſervavit (1), quæ coegit Hebræorum doctores ſubſtituere alia vocabula quibusdam, quæ in bibliorum hebraicorum textu leguntur, quia cum honeſte ea ſonarent tempore Moyſis & Prophetarum, quo nondum pars eorum ſignificationis facta fuerat ulla impudentia, hanc jam credebantur oſtentare quotquot ea pronunciarent. Ne tamen textum Deo inſpirante vel dirigente perſcriptum immutarent, quod irreligioſum fuiſſet, ſcripſerunt e regione ipſius ad marginem synonimas votes, quas legerent tantummodo in synagogis, nequis alias audiendo mentem ideis minus honeſtis deturparet, quas eæ voces jam ingerebant: ergo arbitrium hominum variare poteſt voces quaſcunque, & ne eæ quidem, quarum uſus alias non caruit Divina inſpiratione vel directione, ſubtractæ fuerunt ab ejus poteſtate.

525. Sed majori dignum obſervatione eſt, quod populus ejuſdem temporis & loci velit, ut voces ad unam ſignificationem a ſuomet arbitrio jam determinatæ eamdem in certis circumſtantiis non retineant. Hoc quotidie videmus contingere in mutuis ſalutationibus, in quibus qui ſibi occurrunt, profitentur ſe alterius ſervos demiſſiſſimos, aliiſque utuntur vocibus, quæ ſine controverſia ſumuntur ut mera ſigna urbanitatis, non vero in propria ſignificatione. De his intelligitur, quod per modum proverbii dicitur *Verba curialia*, hoc eſt officioſa, *non obligant*; Habet enim vocabulum *Curiale* hunc etiam ſenſum, ut videre eſt in Gloſſario Caroli du Fresne Ambianenſis, Pariſiis mortui anno 1688. ætatis 78. De iiſdem loquens S. Franciſcus Saleſius faſſus eſt, quod ſi illorum ſenſus eſſet, qualis communiter extra officia ſolet eſſe, mentiretur, qui illis uteretur. Sed quoniam tunc ſignificant ſolum ſpeciem quamdam urbanitatis (2) *iis pleno jure quisque utitur, poſtquam hæc publica invaluit & univerſalis conſuetudo*. Idem dicit Card. Pallavicinus de laudibus exaggeratis, quas frequenter in librorum dedicationibus legimus, quas negat eſſe mendaces, (3) *poſtquam iis uſus magna ex parte primam primigeniamque ſignificationem ademit*. At qui eaſdem exaggeratas dicunt, ſin minus de mendacio, de adulatione certe accuſant, adeoque tamquam vitioſas reprehendunt. Verius huc ſpectant figurati modi loquendi, ut Ironiæ, Para-

(1) Ar. pa. 1 c. 14.
(2) Sa. Vita divin. p 3 c 5.
(3) Pa. de bono. l. 4 c. 1 n. 5.

Parabolæ, Hyperboles, communes omnibus linguis, in quibus aliud intelligitur quam id quod dicitur.

Articulus IV.

De variationibus in verborum uſu.

526. Circa variationes in uſu verborum pervulgatum eſt effatum Horatii (1).

Multa renaſcentur quæ jam cecidere, cadentque
Quæ nunc ſunt in honore vocabula, ſi volet uſus,
Quem penes arbitrium eſt & jus & norma loquendi.

Renatorum exemplum habemus in italico verbo *abbioccare* latine deprimere, quod glosſarium Academiæ nota inuſſit obſoletorum, ſed nunc in familiari ſermone eſt uſitatum !. Et in italicis adverbiis *guari* e *ſovente* latine multum & ſæpe, quæ nunc ſine ullius admiratione non raro adhibentur, cum ſub finem ſæculi decimi quinti teſte Chriſtophoro Landino (2) inter inuſitata jacerent.

527. Ex vocibus apud Italos olim uſitatis, nunc vero inauditis exemplum eſto adverbium *a bioscio* reſpondens latino oblique, quod equidem nunquam ab ullo audivi, cum tamen Academia in ſuo lexico dixerit communiter adhiberi. Ita pariter cum radice *avaccio* latine celeritas eliminata jam ſunt ab italo ſermone decem aliæ ab ea derivatæ dictiones, quarum multitudo eſt argumentum eorum uſus olim frequentis: Et ſolum participium *accasciato* latine gravis vel caſcus reſtat ex verbo *accasciare*, penitus abolito ſubſtantivo *accaſciamento*; Et quæ olim tantopere placuerunt *concioſſiacbe*, e *concioſſecbe*, latine quoniam, nunc vix unquam in academicis ſermonibus audiuntur, & multo minus *concioſſiacosacbe*, e *concioſſecosacbe*. Similiter Hiſpani olim dicebant *alogar*, *coda*, *coma*, *guarir* in eodem ſenſu ac Itali, & alia habebant verba italicis aut latinis ſatis proxima, quæ nunc ipſi teſte Herva (3) inter obſoleta collocarunt.

528. Exemplum tandem eorum quæ uſus apud Italos introduxit, eſt terminatio in O primæ perſonæ imperfecti in modo indicativo, ut *io amavo*, relicta terminatione in A *io amava*, quam Corticellius nuper expreſſe monet (4) ne ab ea quis recedat utpote *per firmiſſimam regulam ſtabilita*. Sed jam olim inquit Salvinus (5) *Amphictyones hoc eſt præſides linguæ* illam in O in colloquiis familiaribus ita approbarunt, ut dixerint ridiculos fore, qui alia in A utpote ab uſu communi jam aliena uterentur: Et Buonmetthæus apud Rogaccium (6) connivendum exiſtimavit in ejusdem uſu generali, cui optandum eſt conſentiant omnes grammatici, quoniam

(1) Ho. Art. poet.
(2) La. Com. del purgat. ſub init.
(3) He. Idea. to. 20 u. 178.
(4) Co. Regole. l. 1 c. 34.
(5) Sa. in not. ad c.8 l.3 poes.Mur.
(6) Bo. Ling. ital. p.3 c.1.

niam terminatio in O non ſolum non officit claritati ſermonis, ſed illam auget diſtinguendo hoc modo primam perſonam a tertia: Et citato loco Rogaccius dicit, *Quando prima imperfecti terminata in Va reddit ſenſum obſcurum & ambiguum, ſatius terminabitur in Vo.*

PROPOSITIO II.

Extinctæ omnino ſunt linguæ Oſca vetus Etruſca, Palmyrena & aliæ.

ARTICULUS I.

De extinctione linguæ Oſcæ.

529. EVidens eſt exſtinctio linguæ Oſcæ, quæ juxta Jo. Baptiſtam Paſſeri (1) erat lingua propria Samnitis, Campanis, Volſcis, aliiſque late populis, qui diu contra Romanos pugnarunt, & quæ ætate P. Scipionis, qui primus Africanus cognominatus fuit, adhuc vigebat, cum ejus amicus Q. Ennius poetarum romanorum anteſignanus eam teſte Gellio loqueretur, qui propterea (2) *tria corda habere ſe dicebat, quia loqui etiam græce & latine sciret*: tempore vero Tiberii, ſub quo floruit Strabo, ſupererant ex ejus narratione (3) ſolum aliqua hujus linguæ quaſi fragmenta in comoediis Atellanis, ſic dictis ab Atella, Oſcorum civitate olim nobili in Campania felici, quæ erat vel in vicinia Averſæ, quam Normanni ædificarunt, vel ubi hæc civitas nunc eſt, quam proinde Ricciolius (4) Atellam vocat.

230. De hac tamen lingua usque ad noſtra fere tempora non habebamus niſi quoſdam characteres inſculptos in aliquibus ſigillorum inventis cruſtulis, & paucis Oſcæ gentis numis, quæ eruditis nota jam fecerat Hannibal de Abbatibus Oliverius Jordanus Piſaurenſis. Sed circa medietatem hujus ſæculi in lucem venit diffuſum monumentum marmori inciſum in hac lingua ex ſagacitate Jo. Stephani Remondinii Januenſis ex Congregatione Sommaſcha, qui cum illud non multis ante annis erutum e ruderibus civitatis Abellæ non longe a Nola viderit factum limen privatæ domus, ubi non ſolum pedibus, ſed etiam vehiculis atterebatur, obtinuit ut inde evulſum collocaretur in Seminario Nolani Pontificis, apud quem Theologi munere fungebatur, cujus muſeum hoc modo inſigne evaſit. Cum miſſum ſtatim fuerit ipſius exemplum præclariſſimo Antonio Franc. Gorio, hic illud communicavit Jo. Baptiſtæ Paſſerio antiquariæ facultatis

(1) Pa. Lin. oſc. pag. 4.
(2) Ge. l. 17 c. 17.
(4) Ri. Geogr. li. XI.
(3) Str. Geogr. l. 5.

Digitized by Google

tis oraculo, ut ſiquo modo poſſet illud explicaret. Rem aggreſſus vir ſagaciſſimus & eruditiſſimus quamdam ipſius interpretationem excudit, quam Gorius in publicam lucem emiſit typis Liburnenſibus ann.1752. (5), & iterum laudatus Remondinius Januæ anno 1760., additis Veneti cujusdam iniqua cenſura, & apologetico ejusdem Paſſerii, & quibusdam ſuis eruditis adnotationibus. Atque cum auctor deinde meditando crediderit aſſequutum ſe eſſe certam cognitionem de aliis hujus monumenti vocabulis, noviter omnes ſuos circa illud conatus typis Romæ ſubiecit ann.1775. in *Linguæ Oscæ specimine ſingulari, quod supereſt Nolæ*, in quo totum conſpicitur cum oſcis characteribus, & eruto ex illis hujus linguæ alphabeto.

531. De hac inſcriptione meminit Stanislaus Bardetti (2) natus in caſtello Arquato nobili oppido Ducatus Placentiæ anno 1688, & Mutinæ mortuus ætatis ſuæ anno 79., agens de *primis Italiæ habitatoribus, eorumque lingua* in duobus poſthumis libris italice ſcriptis, & Mutinæ impreſſis altero quidem anno 1769., & altero anno 1772. Meminit etiam Hervas (3) qui eam credit pertinere quidem ad linguam Oſcam, ſed pro ea ipſius ætate, qua jam ſatis corrupta fuerat per recepta plura vocabula linguæ dominantium jam Romanorum, quæ erant partim latina, & partim græca; Etenim ante hoc tempus Oſcos vult (4) loquutos cantabrice. Quare præter cantabricas obſervat plures ibi inveniri voces affines latinis, quas jam antea copioſe notaverat laudatus Paſſeri (5).

ARTICULUS II.

De extinctione veteris linguæ Etruſcæ.

532. Celeberrimam veterum Etruscorum linguam deperditam omnino eſſe antiquarii vehementer lamentantur. Periit illa, licet late diffusa per plures ab ipſa Etruria diſſitas in circuitum regiones, & licet ab iis diligenter exculta, quoniam ſcimus a Diodoro Etruſcos (6) *literis & imprimis naturæ ac rerum divinarum perſcrutationi plurimum ſtudii impendiſſe*, & a T. Livio eidem coævo (7) *Romanos pueros, ſicut nunc græcis, ita tunc etruscis literis erudiri ſolitos*, & licet usque ad quartum Eccleſiæ ſæculum cognita multis eſſet, quoniam Ammianus Marcellinus apud Amadutium teſtatur (8) *haruspices conſilio inviſſe Julianum Aug. prolatis libris auguralis disciplinæ, quæ in Etruria nata etruſcis etiam concredita erat literis & vocibus*, de quibus libris mentio etiam fit apud Ciceronem (9) & Cenſorinum (10).

533. Hu-

(1) Gor. Symbol, to.1.
(2) Ba. Ling. d'Ital. c.1 ar.8.
(3) He. Idea. to.18 n 80.
(4) Her. ibi. n.75
(5) Pa. ling. Oſcæ in fine.
(6) Di. Hiſt. l. 8 c. 1 & 2.
(7) Li. Dec.1 l.9.
(8) Am. Alphab n.13 edit.2.
(9) Cic. de Divin.
(10) Cen. de die nat. c xi.

Digitized by Google

533. Hujus linguæ dignitatem & amplitudinem commendant etiam multa, quæ extant ipſius monumenta, quorum aliqua habent verba etruſca ſed characteres latinos, quibus Paſſerio conjectore (1) attriti a Romanis Etruſci uti coeperunt anno ab Urbe condita 464.: plura vero proprio ipſis charactere conſervantur exarata, in quibus ſunt celebres tabulæ Eugubinæ anno 1444. detectæ numero ſeptem, quæ pro duodecim computantur, quia quinque ex utraque parte ſcriptæ ſunt, de rebus ut communiter dicitur ad paganam Etruſcorum religionem ſpectantibus agentes. Henricus Smetius omnium primus, teſte Amadutio in ſuo *Alphabeto veterum Etruscorum ſecundis curis inluſtrato*, impreſſo Romæ anno 1775.(2), aliquam harum partem cum ſuis characteribus publicavit. & deinde Janus Gruteros. Mitto illos, qui eaſdem romanis literis deſcripſerunt.

534. Omnes autem & quidem etruſcis literis protulit Thomas Dempſterus, qui ut tuto catholicam religionem conſervaret, nativum Scotiæ ſolum ac paterna bona deſeruit, & Bononiæ obiit anno 1625. Poſt Dempſterum eaſdem eodem modo habemus a Jo. Bapt. Paſſeri, & ex his ſecundam juxta Dempſterum, & undecimam juxta Paſſerium iterum Gorius protulit per ejus ſchema in ære inciſum juxta archetypum, quod eo mortuo, cum Romæ venditum fuerit, ex eo Amadutius eamdem conſpiciendam præbuit ad calcem ſui alphabeti.

535. Completa tamen & perfecta ipſarum ſignificatio myſterium adhuc eſt inquit Tiraboſchius (3), & Amadutius vaticinatur (4) *ſemper incertum fore, quid etruſcæ ſcriptiones obvolvant, etſi eiſdem magnorum virorum interpretationes acceſſerint*, quandoquidem videmus antiquarios, qui ex communi conſenſu prima occupant ſubſellia, tantopere inter ſe diſſentire. Itaqua Gorius Eugubinam tabulam, cujus ſchema dedit, putavit continere quoddam carmen lamentabile, cujus interpretationem Xaverius Matthaeius (5) italicis verſibus expreſſit: Maffeius vero Gorii opinionem juxta Amadutium ita improbavit, ut eam (6) *riſu potius quam cenſura* dignam cenſuerit: Paſſerius tandem eamdem voluit habendam eſſe pro tabula rituali fulguralis disciplinae. Neque mirus eſt hic diſſenſus, ſed neceſſarius, quia ſinguli earum interpretes ſequuti ſunt vias omnino diverſas, de quibus mentionem facit Anthologia Rom. (7) in elogio Jo. Baptiſtae Paſſeri, cujus in hac inveſtigatione conatus merito celebrantur, ut quiſque fatebitur, qui conſulat tertium Muſei etruſci volumen, & *Picturas Etruſcorum*, quae Romae prodierunt tabulis CCC aere inſculptæ & opportunis declarationibus & diſſertationibus illuſtratae.

536. Mihi quidem circa tabulas Eugubinas notae ſunt ſex interpretationes toto caelo diverſae. Hadrianus Scrikius apud Amadutium (8) ſingula

(1) Pa. Paralip. in Dempſt. p.246.
(2) Am. Alph. n. 4.
(3) Ti. Lett. ital. p.1 n.31.
(4) Am. Alph. n. 9.
(5) Ma. Libri poet. d. Bibl. t 4
(6) Am. Alph. n.12.
(7) Ant. ann. 1780. n. 20.
(8) Am. Alphab. n.8.

Digitized by Google

gula unius ex his tabulis verba ad linguam teutonicam revocavit: Joannes Lami ad latinam: Gorius, & Bourguet ad graecam: Bardettus (1) ad umbricam recentiorem: Aloyſius Lanzi ad veterem latinam, quam a graeca magna ex parte provenire contendit in ſuo de hac re opere, quod ſub praelo romano nunc eſt. Hervas (2) cui Lanzius communicavit, quæ jam impreſſa apud ſe habebat, perſuaſum ſe dicit ab acutiſſimi viri argumentis, quibus alia ipſe de ſuo addidit deſumpta a verbis latinis, quae apud incultos noſtri temporis habitatores Latii adhuc remanent. Obſervatum enim eſt gentes quae majorum ſuorum linguas amiſerunt, ſemper aliqua ipſius verba conſervare, & niſi ſtudio particulari, quod non facit incultum vulgus, antiquam pronunciationem corrigant, hanc in nova lingua, quam loquantur retinere. De verbis itaque latinis plura idem ſubjecit, quæ apud Latii incolas adhuc vigent, & multo plura ex iis, quæ iidem pronunciant eo modo, quo certi ſumus veteres Etruſcos opus fuiſſe pronunciarent, cum ipſorum lingua careret literis B, D, G, O. Quare ne has quidem apud Latiales audias: & dum exculti Itali dicunt ex. gr. bandito, accendere, gallina, gamba, olmo, illi dicunt vannitu, accennere, vallina, jamba, ulmu.

537. Paſſerius tandem (3) in nulla ex tabulis Eugubinis cenſuit haberi linguam etruſcam genuinam, ſed in duabus pelasgam, in ceteris vero Eugubinam, quas ceteroquin inquit Amadutius (4) *ex Etruſca profectas, vel eidem affines fateri neceſſe eſt*, veramque credit ſententiam Maffeii, qui vocabula mille circiter & quadraginta, quæ in iis continentur, putat ex æquo dividenda eſſe inter duas jam dictas linguas, *& detractis propriis numinum virorum & urbium nominibus vix triginta* ad etruſcam pertinere. Nominabo etiam Symmachum Mazzochium, qui ex multis Etruſcæ vocabulis ab Hebræa deductis hujus progeniem ex dictis (n. 376.) eam credidit. Dum celebris Bernardus de Montfaucon Maurinus, nobilis Occitanus, mortuus anno 1741. ætatis ſuæ 86. affirmavit (5) *nullam eſſe inter idioma etruſcum, & alias notas linguas affinitatem* iis contradicit, quæ ab aliis audivimus indagatoribus experientiſſimis, quos propterea præſtat audire.

538. Non omittam mentionem de inſcriptione Peruſiæ eruta ex cella quadam ex lapidibus conſtructa egregie inter ſe ſine ulla calce unitis, quæ proinde opus creditur veterum Etruſcorum. Eam referens Scipio Maffeius (6) ſtatuit non poſſe ab ullo hominum intelligi, quia vocabulis conſtat prorſus inconditis & inauditis. Stanislaus vero Bardettus (7) credidit ſe illius ſenſum aſſequutum per linguas veterum Gallorum & Germanorum commixtas cum græca & latina, quoniam ex his omnibus putat conſtare linguam quam vocat Umbricam recentiorem, in eo diverſam ab antiquiori,

(1) Ba. Ling. de prim. c. 7 ar. 4.
(2) He. Idea. t. 2c n. 125.
(3) Pa. Alph. apud Amad. p. 58.
(4) Am. Alph. n. 10.
(5) Mo. ſuppl. de antiq. vo. 6 l. 6.
(6) Ma. Obſer. to. 6
(7) Ba. Ling. de prim. ital. c. 7 ar. 3.

Digitized by Google

ri, quod hæc haberet vocabula ex gallicis & germanicis nata, & propria eſſet primis Italiæ habitatoribus.

539. His animadverſis non nemo dicet otio ſuo eos abuti, qui hac lingua nondum ſufficienter cognita quid publicis typis efferant legendum, ut quos Amadutius (1) nominat Ludovicum Cutellinium Cortonenſem, & Io. Rubeum, quorum primus Philippo Venuti parentavit carmine contexto ex vocabulis hujus linguæ, quod latine etiam reddidit: ſecundus vero inſcriptionibus in hac pariter lingua diem baptiſmi Ludovici Borbonii Parmæ nati celebravit. Sed quis quicquam ſtatuat circa ſignificationem verborum linguæ, in qua nondum ipſa omnium literarum ſuarum poteſtas extra omnem controverſiam poſita eſt? quandoquidem Amadutius (2) undecim ordinatim nominat, qui in ea determinanda operam ſuam collocarunt: quod ſignificat poſterioribus non placuiſſe, quæ alii ante ſe ſtatuerunt. Interea quoniam delectat ſaltem de nomine cognoſcere eos qui cum eruditorum laude ſtudioſe monumenta etruſca pertractarunt, nominabo Raphaelem Fabretti Urbinatem, Etrasmum Froelich ex urbe Grecii In Stiria, Janum Plancum Ariminenſem, Michaelem Pfeiffer Ratisbonenſem, Marium Guarnacci Volaterranum, Alexium Mazzochi, Paſcha'em Magnoni, Hannibalem Olivieri Piſaurenſem, Jo. Hieronymum Carli Senenſem locis ab Amadutio (3) citatis, Joſephum Clementem Dini in literis Gualfondianis italice impreſſis Florentiæ anno 1744., alios dabit Ludovicus Bourguet in prima diſſertatione primi voluminis Academiæ Etruſcæ Cortonenſis, cujus quædam epitoma habetur in Notitiis Liter. Tranſalpinis (4).

540. Sed illi præcipue nominandi ſunt, qui hujus linguæ alphabetum ſtabilire, & poteſtatem ſingularum literarum determinare conati ſunt. Hi appoſito in omnibus anno, quo ſuum ſinguli protulerunt, ſunt juxta Agium de Soldanis (5) & Amadutium (6) Theſeus Ambroſius anno 1539., Petrus Franciſcus Giambullarius Florentinus anno 1549., Sanctes Marmocchinus Ord. Prædrc. anno 1550., Paulus Merula Dordracenſis anno 1605., quod iterum edidit Gruterus, Gabriel Gabrielius Eugubinus anno 1680., Coſmus della Rena Florentinus anno 1690., Philippus Bonarota pariter Florentinus ann. 1726., Edmundus Chiſchellius ann. 1728. iterum publicatum a Carolo Mortonio a Secretis Soc. Reg. Lond. Ludovicus Bourguet anno 1735., Ant. Franciſcus Gori anno 1737., & Scipio Maffeius Veronenſis anno 1739.

541. Præcipua mentione dignum eſt alphabetum Gorii, mortui anno 1757. Florentiæ, ubi natus erat anno 1691., quod protulit in Muſeo Etruſco, & ex hoc iterum Amadutius (7), quia in vim characterum hujus

(1) *Am. Alph.* n. 13.
(2) *Am. Alph.* n 5.
(3) *Am. Al.* n. 3 & 8.
(4) No. to. 2 p. 1 1. ſuppl. pag. 161.
(5) Sol. *Lin.* Pun. pref.
(6) *Am* alph. n. 5.
(7) *Am.* alph. pag. 56.

Digitized by Google

jus linguæ ab eo determinatam perquam multi conſenſerunt, ipſumque Acta Lipſiæ ad annum 1739. commendarunt. Atque cum Scipio Maffeius illud improbaverit in ſuis italicis *Obſervationibus literariis* volu. 5., Gorius iterum iterumque vindicavit edita anno 1742. *Defenſione alphabeti veterum etruſcorum*, noviſque pro illa animadverſionibus propoſitis in libro, ubi de opinione ejuſdem Maffeii circa italos primitivos diſſeruit.

542. De alphabeto Andreæ Adamii Vulſinienſis anni 1737. nihil dico, quia audio ab Amadutio *cerebroſum eſſe ac monſtroſum, ut recenſeri non mereatur*. Nihil pariter de Jacobo Franc. Zanetto Venetiis nato anno 1737. & Patavii mortuo anno 1782, qui in italico opuſculo *Nova tranſformatio characteris etruſci*, quam tamquam in ſomnis a ſe viſam in publicam lucem emiſit anno 1751., contendit Etruſcam linguam derivatam eſſe a gothica ſeu runica, quoniam ejus auctor contemptum incurrit eruditorum, ipſumque credo præ oculis habuit laudatus Paſſerius ſomniatorem vocans, qui Etruſcos (1) ab horrido Septemtrione in Italiam traduxit, quam opinionem pluribus dicitur alibi (2) confutaſſe.

543. Ceterum opinio, quod veterum etruſcorum lingua ſit non jam a populis vel Europæ vel Aſiæ ad inſignem latitudinem geographicam poſitis, ſed ab iis qui occuparunt poſt diluvium regiones relate ad Etruriam ſeptemtrionales aliis placuit, in quibus eſt Bardettus, qui in citatis ſuis libris contendit primos Italiæ habitatores fuiſſe colonias ex gentibus, quæ circa Padum jam habitabant, antiquos ſcilicet Gallos a Gomer oriundos, atque Germanos ab Aſcenez, ſive alio Noe nepote prognatos, adeoque horum etruſcorum linguam non aliam fuiſſe, quam harum gentium linguam. Certe video Gellium dubitaſſe an gallica eſſent quædam verba, quæ cum eques Romanus (3) *dixiſſet, univerſi riſerunt*.

544. Mihi quidem conferenti Bardetti opinionem, quam ante illum alii tenuerunt cum illa, quæ ſupra naves deducit primos in Italiam homines vel ex Ægypto, vel ex Phoenicia, vel ex aliis orientalibus plagis, prima veroſimilis videtur, minime vero ſecunda, quia homines non credam cogitaſſe de navigatione ad ſibi comparandas novas regiones prout illorum multitudo in dies creſcens poſtulabat, niſi poſt occupatas vacuas terras, in quas ſolis pedibus aditus patebat directus. Auctor recentiſſimus, qui italice ſcripſit de patria primitiva artium, quæ a graphidos facultate dependent quamplurimum favet huic opinioni, dum ut lego apud Ephemerides liter. rom. (4) Etruriam vulgo cognitam diſtinguit ab aliis quas nominat, in quibus eſt illa, quam circa Padum oſtendit floruiſſe: quod novi diſtinctius factum a laudato ſupra (n.536.) Lanzio, qui Etruriam proprie dictam vocat mediam inter Etruriam ſuperiorem, quæ boreales Italiæ partes, & inferiorem quæ auſtrales complectitur. Qui ſecundam opinionem, quæ Italorum progenitores e navibus educit, am-

 plexi

(1) Pa. Ling. Oſc. §. de Scriptura.
(2) Pa. to.1 Pictur. in vaſcu. pag.21
(3) Gell. Noc. Atti l. xi. c.7.
(4) Ef. ann. 1786. n.35.

plexi ſunt, commemorati a Tiraboſchio (1), quibus ipſe acceſſit & Mazzochius in diſſertatione inſerta in tertium Cortonenſis Academiæ Etruſcæ volumen, fortaſſe in eam deſcenderunt, quia verba etruſca hebræis aut græcis affinia eſſe ſtatuerunt.

545. Amadutius quidem quod dixi improbabit, qui iterum iterumque (2) contra Bardettum nominatim, & quotqnot ſimilia cenſuerunt, dixit eos *παραδοξοις delectatos audacia tentamina*, quae alibi *cerebroſa* appellat, *ridenda potius quam ſeria cenſura expungenda ſuſcepiſſe : cerebroſam quarumdam ex tabulis* Eugubinis *interpretationem ſeptentrionalium etymologiarum ope exhibuiſſe : dormientibus ſomniculoſiores : monſtra eruditionis* peperiſſe, quæ *ſerio confutanda quis aggrediatur?* Sed mera verba de illiberali dicendi genere non ſunt argumenta, quæ opinionem aliquam falſam oſtendant. Quod vero eo modo declamans ſupponat ejus falſitatem eſſe evidentem non cohæret cum his, quæ ibidem dicit, *cimmeriis tenebris in hac re circumcingimur*, quibus ſe etiam comprehenſum hoc loquendi modo aperte confitetur.

546. Quoniam autem magni intereſt ad eruendam etruſcorum verborum, quæ extant veram ſignificationem, noſſe hujus gentis originem, alios commemorabo, qui de ea egerunt, quorum plerique de nomine tantum mihi noti ſunt. In his ſunt, qui volunt Etruſcos eſſe ex Phoenicia, cum certiores hiſtoria nos faciat Phoenices fuiſſe inſignes navigatores. Agius de Soldanis dum affirmat (3) linguam phoeniciam eſſe matrem punicæ, & hanc etruſcæ favet huic opinioni. Joſeph M. Riccobaldi del Bava eos repetit vel ex Phoenicia, vel ex Ægypto in italica *diſſertatione hiſtorico etruſca* de antiqua origine ſtatu lingua & characteribus Etruſcorum Florentiæ impreſſa anno 1758. Philippus Bonarota definite ex Ægypto deducit in ſuis ſupplementis ad Etruriam regalem Dempſteri. In ſententiam Bonarotæ conſpirant, qui cum Anglis hiſtoriæ univerſalis auctoribus antiquitatem linguæ etruſcæ parem volunt cum illa Ægyptiæ & quotquot in Etruſca Græcam inveniunt; Nam Græca affinitatem habet cum Ægyptia ſeu Coptica, cujus literæ & permultæ voces in ipſa ſunt manifeſtæ. Confirmant tandem qui volunt Pelasgos nationem inter græcas computatam eſſe Etruſcos, qui ex Etruria in Pelasgiam olim navigarunt, ibique poſt aliquod tempus ipſi vel ipſorum progenies in Italiam redierunt, ex quo reditu crediti fuerunt Pelasgi & etruſcorum progenitores.

547. Hanc opinionem de itu & reditu Etruſcorum in Pelasgiam nuper propoſuit & propugnavit Jo. Baptiſta d'Arco in libro italice Cremonæ impreſſo anno 1786., *De patria primitiva artis circa bonam in operibus diſpoſitionem*, cujus ſuccum quemdam extraxerunt Ephemerides Liter. Roman. (4). Hi inquam confirmant opinionem Bonarotæ, quia ſi Etruſci

(1) Ti. Stori lett. to. 1 p. 1 n. 1.
(2) Am. Alph. n. 4 & 8.
(3) Ag. Ling. puni. di. 2 pag. 55.
(4) Ef. ann. 1786. n. 33. & ſeq.

ſci prius ſunt in Italia, quam in Pelasgia, pronum eſt dicere ad Italiam appuliſſe ex Ægypto potius, quam ex alia orientali regione, poſito quod Etruſca lingua affinis ſit linguæ græcæ, quæ non temere dicitur venire ex Ægyptia. Auctor in hac theſi ſequi ſe profitetur veteres ſcriptores quos producit, & in his Thucididem, qui narrat Græciam barbaram & incultam fuiſſe quando Pelasgi in eam venerunt. Quare multa quæ circa mythologiam, & quascunque liberales artes tribuuntur Græcis tamquam primis auctoribus, credit verius dici deſumpta ab Etruſcis, quæ Græci deinde expoliverunt & perfecerunt.

548. Sed his omiſſis proſequor indicem aliorum, qni de quæſtione circa originem Italorum ſcripſerunt. Extat opus Petri Leonis Caſellæ *de primis Italiæ colonis* publicatum Lugduni anno 1606., & Octaviani Ferrari qui obiit anno 1586. liber *de origine Romanorum* Ticini impreſſus anno 1588., & Antonii Maſſæ ejusdem ſæculi ſcriptoris opuſculum *de origine & rebus Faliscorum*, & Pauli Zanchii tres libros *de Orobiorum & Cenomanorum origine*, elegantes quidem teſte Tiraboſchio, qui de his omnibus loquitur (1) ſed ab artis criticæ regulis aberrantes, ut eidem coævi Gaudentius Merula in libro *de Gallorum Cisalpinorum antiquitate & origine*, & Bonaventura Caſtighonus *de Gallorum Insubrium antiquis ſedibus* obſervarunt.

ARTICULUS III.

De extinctione linguæ Palmyrenæ, aliarumque.

549. EXtincta omnino eſt, & etiam ſepulta lingua Palmyrena quæ ceteroqui tertio Eccleſiæ ſæculo maxime florebat regnante celebri Zenobia, quæ Romæ obiit ſpoliata regno ab Aureliano, de qua anno 1758. quidam ſub ficto nomine Hautovillæi hiſtoriam dedit laudatam a gallicis Annalibus typographicis (2). Hujus Reginæ effigies in albo marmore expreſſa dum viveret, conſpicitur in ædibus Magiſtratus Valettæ, principis nunc civitatis inſulæ Melitenſis. De hac tamen lingua hoc ſaltem novimus illam fuiſſe Syriacae dialectum, quod quivis Palmyram ſciens ad Syriam pertinere potuiſſet coniicere. Sed de hoc certi jam facti ſumus a Barthelemio, qui id demonſtravit in gallico opuſculo *Animadverſiones in alphabetum & linguam Palmyrenam*, de quo cum laude loquuntur Trevoltiam (3), & diſtinctius auctores hiſtoriae literariae in primo volumine *ſpeciminis circa exteram literaturam*. Finettio hoc opusculum etſi publici juris factum anno 1754. ignotum erat, quando typis ſubiecit anno 1756. ſuum de lingua hebraica italicum tractatum, in quo dixit (4) nondum cognitum eſſe Palmyrenae alphabetum. Viderat enim ſolum epiſtolam de la Croix ad Camberleyn, ubi refert Reinfeldium in

(1) Ti. Lett ital. to.7 p.2 l.3.
(2) Ann.ann.1760 to.1 pag.67.
(3) Tr. ann.1754. ar.110.
(4) Fi. c. 1 ſe. 4 n. 4.

Digitized by Google

in ſuo *Periculo Palmyreno* minus felicem fuiſſe , nec tenebras hujus linguae diſſipaſſe , & credidit Renaudotio (1) qui contendit irritos ſemper fore quorumcumque in hac disquiſitione conatus , cujus quidem argumenta optima ſunt in hypotheſi quod inſcriptiones Palmyrenae eſſent in re quales ad eam diem creditae fuerunt , quam falsam Barthelemius deprehendit . Sed cum in Finetii manus laudatum opuſculum venerit ipſumque legerit nondum abſoluta impreſſione ſui tractatus , de eo in ultima ipſius pagina non ſolum meminit cum laude , ſed alphabetum palmyrenum ab eo jam propoſitum iterum exhibuit .

Clemens Biagi apud Ephemer. Liter. Rom. (2) mentionem facit de inſcriptione Palmyrena cum verſione latina , quæ extat in Capitolio , eaque uſum dicit etiam Barthelemium , & unam eſſe ex demonſtrationibus , qúa ipſe Palmyrenam ſtatuit eſſe dialectum Syriacae , quandoquidem Syriaca eſt inter linguas doctas . Cum ex omnium conſensione affines ſint Hebraea & Syriaca , nemo admirabitur , Auguſtinum Ant. Giorgi velle Palmyrenam linguam eſſe dialectum Hebraicæ in epiſtola *de inſcriptionibus Palmyrenis , quæ in Muſeo Capitolino adſervantur* Romæ anno 1782. , quam laudant Ephemerides Liter. Rom. (3) .

550. Veterum Perſarum linguam fruſtra inveſtigamus ex illa , quae ibi nunc eſt , dialectus quædam ex verbis tauricis , arabiis , armenis . quæ pro locorum varietate inſignes patiuntur alterationes , & Hervas oſtendit toto cælo eſſe diverſa rerum nomina a Perſis nunc uſitata ab illis antiquorum , quæ invenit . Eam Kircherus (4) conjecturis indulgens credit chaldæam fuiſſe . Quintilianus (5) meminit de lingua Sabina , & Præneſtina tamquam de alienis a ſermone Romanorum , & quidem de Sabina ſcimus a Varrone (6) *eam radices in Oſcam linguam egiſſe* . Quis ſtatuat quæ fuerit lingua in quinque nationibus , quas Eratoſthenes apud Plinium (7) dicit interiiſſe , & quæ in inſulis Fortunatis ante ſæculum decimum quintum , ſub cujus initium Europæi ipſis potiti fuerunt ? Alvarus quidem Vigil , qui ibi diu vixit , & in linguis obſervandis diligens predicatur ab Herva (8) , illam penitus extirpatam teſtatur .

551. In Hiſpania inveniuntur , inquit Terreros (9) *innumerabiles numi ex argento & ære* cum characteribus vel phoeniciis vel latinis vel græcis vel gentium quas conſtat ibidem remotis temporibus aliquandiu frequentes fuiſſe : atque ex his numis aliqui etiam reperiuntur , qui ex una ſui parte habent hos incertos , & ex alia romanos . Qui eos credat pertinere ad linguam , quæ olim fuit in Hiſpania , penitus deinde extinctam per invaſionem vel gothorum vel romanorum , non poterit convinci er-

roris

(1) Re. Acad. Inſcr. vol.4.
(2) Eſ. an.1780 n.24.
(3) Eſ. ann. 1782. n. 45.
(4) Ki. Tur. Bab. l. 3 ſe. 2 c.7.
(5) Qu. Inſt. l. 1 c. 9.
(6) Va. Lin. lat. l. 6.
(7) Pl. Hiſt. l. 1 c. 30 ſub fin.
(8) He. Idea. to.17 n.181.
(9) Te. Paleog. pag. 114.

Digitized by Google

roris. Qui autem in illis dicunt videre ſe ſpeciem characteris runici, ſeu gothici primitivi, ut alii loquuntur ad diſtinctionem gothici vulgaris, qui eſt corruptio romani, conſequenter dicent eos continere linguam runicam, illucque deportatos fuiſſe aut excuſos a primis gothis Hiſpaniæ invaſoribus. Terreros ſuſpicatur eſſe characteres uſitatos ab hiſpanis pro ſua lingua ſive cantabra, ſive alia quacunque, quam ante gothicam aut romanam incurſionem loquebantur, quorum uſus ſublatus deinde eſt etiam apud populos, qui cantabram conſervarunt, ex neceſſitate communicandi cum aliis hiſpanis, a quibus cum tota lingua fuerant jam ſubmoti. Quando quis linguæ runicæ & cantabricæ peritus, & in diſſolvendis myſteriis cryptographicis exercitatus poſt moleſtum examen plurium ex his inſcriptionibus incognitis concludat eos non pertinere ad alterutram linguam, jam certus erit de quadam nova lingua penitus deperdita.

552. In America periit lingua Pericua, quæ olim in California propria erat nationis cujusdam, quam peſtis & aliæ calamitates pene extirparunt, ut qui ex illa reſidui ſunt hiſpanice jam loquantur. Sic Michael del Barco, qui per annos 20. vineam Domini in ea provincia excoluit teſtatus eſt literis Bononiæ datis ad Hervam (1). Periit etiam teſte Gilio (2) lingua dicta Muiſca, quæ elapſo ſæculo communis erat populis in Novo regno circa S. Fidei civitatem commorantibus, cum ipſe ibidem viderit libros hac lingua conſcriptos ab iis, qui eo tempore Chriſtianam religionem illuc attulerunt. Lingua Chilena, dicta etiam Araucana a celebri hujus nominis natione in regno Chilenſi, late audiebatur in America a gradu 24. latitudinis auſtralis usque ad 37., ſed late etiam nunc ſopita eſt a vocabulis hiſpanis pene ubique jam reſonantibus, prout Hervas (3) dicit ſe audiſſe ab evangelicis illarum regionum cultoribus, quos inde evulſos Italia nunc habet, a quibus credo hauſit hujus linguæ vocabula ſexaginta & amplius inſerta in ſuum lexicon polyglotton (4) de rebus, quae nulli hominum ignotæ ſunt, & orationem Dominicam, quam deinde (5) exhibuit.

553. Clades hujus linguæ fortaſſe accidit, quia cum Araucani ſub Philippo II. rebellaverint, atrox bellum opus fuit ſuſtinerent, quod illos fortaſſe attrivit, deſcriptum ab Alphonſo de Ercilla Matritenſi in poemate *Araucano*, quod continet hujus belli narrationem, cui ipſe interfuit, & dum conſtanter ſtrenui militis partes implebat, ad illas etiam accurati hiſtorici incumbebat, referens in adverſaria, quæ ſingulis diebus contingerent, quibus in ſuo poemate diſtributis inſignem etiam poetam ſe probavit multis nominibus commendatum communiter teſte Jo. Franciſco Masdeu (6), poſtquam publici juris illud ipſe auctor fecit in Hiſpania anno primum 1577., & iterum auctum & expolitum anno 1590 Quod Arau

(1) Gi. Stor. to. 3 l. 3 c. 2.
(2) He. Idea. to. 17 n. 105.
(3) He. Idea. to. 18 n. 211.
(4) He. Idea to. 20 n. 184.
(5) He. to. 21 n. 1 pag. 86.
(6) Ma. Poes. Spagnol. to. 1 pag. 45.

Digitized by Google

Araucanæ linguæ, idem multis aliis linguis quæ per ampliſſimas novi ut ajunt orbis regiones florebant, quotidie accidit cura præſertim operariorum evangelicorum, qui barbaras tribus ad vitam civilem & chriſtianam inducentes reddunt faciles ad Hiſpanorum linguam ediſcendam. ut ab illis regimen & tutamen novæ illarum reipublicæ facilius percipiant. Itaque Hervas (1) nominat duas & viginti linguas, quæ olim erant in Marananía, & nunc amplius nullibi ſunt. De aliquibus tantum memini deperditis linguis, quia præter nomen aliquid de illis noveram, quod dicerem.

PROPOSITIO III.

Extinctæ omnino non ſunt linguæ Samaritana, Coptica, Syriaca, Armena literaria, & Æthiopica literaria.

554. Cum linguam Samaritanam nulla jam gens habeat, eam Finettius dixit (2) non ſolum mortuam eſſe, ſed jamdiu ſepultam: quod equidem non dicam, poſtquam vidi ipſummet meminiſſe de Pentateuchi verſione in hanc linguam, quam inſeruerunt in Polyglottam Pariſienſem Joannes Morinus natus Bleſis anno 1591., & mortuus ann. 1659., & in Londinenſem Brianus Waltonus Ceſtriæ Epiſcopus Eterodoxus mortuus anno 1661., & inventi ſemper fuerunt, qui huic linguæ ſtuduerunt ab ipſomet citati, a quibus novimus Samaritanam conſtare ex verbis magna ex parte chaldaicis, multiſque hebraicis, aliiſque alterius generis, quod non eſt mirum, quia Samaritani erant gens, quae a Chaldæa miſſa fuit ad incolendam regionem, e qua evulſi fuerant, qui regnum Iſrael, cujus metropolis erat Samaria, componebant, eo in ſempiternum deleto, ut alibi (3) declaravi.

555. De lingua Coptica, quæ olim per totam Ægyptum audiebatur, pluresque habuit in omni diſciplinarum genere ſcriptores, extant ex dictis (n.432.) non pauca rudera in pluribus codicibus, quos aliqui linguarum orientalium amantes, qui nunquam deſunt, intelligunt, & quotquot ſunt Eccleſiæ miniſtri in ea regione, in qua Chriſtiana liturgia in hac lingua ab Apoſtolorum tempore ſtabilita religioſe adhuc exercetur.

Lingua Syriaca, quæ ante adventum J. Chriſti, & per plura deinde æræ Chriſtianæ ſæcula late reſonabat per magnam orientis partem, vix jam deprehenditur in aliquo ipſius angulo apud montanos Meſopotamiæ. Uſque ad initium hujus ſæculi audiebatur etiam in quibuſdam Libani pagis, quorum incolæ ratione ſitus raram cum aliis communicationem habebant. Sed nunc ibi quoque eſt deſueta. Quare quod Baltaſſar Francolinus,

(1) He. Idea. to. 17 n.83. in princ.
(2) Fi. Ling. ebra. ſe.5 in fine, & 6.
(3) Is. Mirac. a n.440. edit.3.

Digitized by Google

nus, nobilis ſub idem tempus theologus ſcripſit, Syriaca lingua (1) *modo utuntur Maronitæ, qui Libanum incolunt*, accipiendum eſt cum jam dicta limitatione, ut novi ab homine hujus gentis, Syriacæ linguae Romae profeſſore, qui mihi teſtatus eſt exceptis paucis prædictis pagis linguam Maronitarum a duobus ſæculis eſſe arabicam, & hoc jam tempore nullibi apud iilos eſſe vernaculam, atqne falſum dixit, quod legit in Finettio (2) *hodie in quatuor dumtaxat, aut quinque montis Libani pagis vulgaris eſt lingua Syriaca*. Quoniam tamen ſacra religionis chriſtianæ exercitia apud Syros in hac lingua adhuc peraguntur & multis abundat præclariſſimis ſcriptoribus, nunquam caruit multis, qui ſtudioſe illam ſibi comparant. Quod dixi de Syriaca dictum volo etiam de Chaldaica, cujus pariter uſus conſervatur in Liturgia apud Chaldæos, quandoquidem unius ab altera diſcrimen vidimus jam ſupra (n. 410.) eſſe ſatis tenue. Hanc autem ſive has linguas ſyriacam & chaldaicam apprehendere iis qui calleant hebraicam tam facile dixit eſſe Lucas Burgenſis (3) *ut ſpatio bimeſtri, quantum theologo neceſſe eſt poſſint addiſcere*: ſed non credit Nicolaus Chignoli obſervans opus fuiſſe (4) *Hieronymo homini nempe ut acerrimi iudicii, ita & ingenii celerrimi, & in hebraicam linguam provectum quam longiſſime, in condiſcenda chaldaica non mediocri diligentia, ſed pertinaci ſtudio*. Propter easdem cauſſas Armena literaria adhuc ſuperſtes eſt apud doctos (n.422.), & perpetuo uſitata in ſacris apud chriſtianos Armeniæ.

556. Lingua Æthiopica extat adhuc in libris; literaria ſcilicet (n.414.), quæ conſtat vocibus origine hebraicis, aut chaldæis. Quare multi eam dicunt filiam hebraicæ, & aliqui chaldaicæ, quin immo ſunt qui chaldaicam abſolute appellant. Abundat etiam arabicis. Nunquam autem defuerunt, qui ipſi ſtuduerint propter plures S. Scripturæ libros, qui in hanc linguam converſi publici juris per typos facti ſunt, novum ſcilicet Teſtamentum, Pſalmos, Cantica & aliquos Prophetas minores. Hæc enim verſio facta jure creditur quarto vel quinto aerae vulgaris ſæculo, non decimo ſexto, ut Scaliger putavit a Finettio (5) aliisque confutatus. Facta autem fuit pro chriſtianis, quibus ea lingua tunc vulgaris erat præſertim in Abyſſinia, ampla Africae regione, parte quadam Æthiopiae ab auctoribus praeſertim antiquis commemoratae, quae ſine dubio circa ea tempora ad Eccleſiam Chriſti fuit aggregata. Abyſſiniae Imperator olim dictus fuit Pretegiani, quia ſic ipſum aliqui crediderunt appellatum a Marco Polo nobili Veneto, qui juxta Ladvocatum (in diction. ſub finem ſaeculi 13. redux in patriam a ſuis diuturnis itineribus ſcripſit lingua Veneta vel per ſe vel per alium, quae in ipſis obſervaverat admiratione digna, translata deinde in plures linguas. Sed eruditi jam, ut notat Finettius (6), adverterunt hoc nomen non fuiſſe datum a Polo ulli princi-

pi

(1) Fr. Tyroc. theo p. 1 n. 4.
(2) Fi. Ling. hebr. ſe. 4 n. 5.
(3) Bu. de chald. paraph.
(4) Ch. Exercitat. in Daniel. 4 p. 1.
(5) Fi. Ling. Ebrai. ſec. 8 n. 4.
(6) Fi. Ling. ebr. ſe. 8 n. 2.

Digitized by Google

pi africano, ſed cuidam aſiatico, & quidem tartaro, qui poſtquam chriſtianam religionem cum ſuis ſubditis amplexus fuit, appellatus fuit *Preſter-Chan* in eorum lingua, quod latine eſt adorantium ſeu religioſorum Imperator, & ex illo factum eſt nomen Pretegiani mutato preſter in prete, & chan in gian.

PROPOSITIO IV.

Lingua Punica ſuperſtes eſt in Melita, aliisque Mediterranei maris insulis.

557. ANtequam propoſitionem oſtendam quæ ſit lingua Punica dicam. Hanc inquit Maldonatus (1) *hebraicæ confinem fuiſſe* Hieronymus & Auguſtinus ſæpe teſtantur. Circa S. Auguſtinum nota mihi ſunt duo loca (2) in quibus id affirmat. Alii deinde auctores linguarum orientalium periti, ut Emmanuel Sa (3), Kircher (4), Samuel Bochart (5), Weitenaver (6), & alii Punicam ab Hebræa natam docent. Quando Petrus Agius de Soldanis patria Melitenſis in italico libro de Lingua Punica Romæ edito anno 1750. dixit (7) *tum Arabica tum Hebræa provenimt a Punica, quæ ſine dubio earum eſt mater*, crediderim per oſcitantiam auctoris vel per errorem typographi verbum *Hebræa* occupaſſe locum verbi *Punica*; Nam in poſteriori ſuo libro ſupra verſus punicos, quos Plautus in Poenulo, hoc eſt parvo poeno propoſuit, ſæpiſſime profeſſus eſt (8) linguam punicam venire ab hebræa.

558. Qui hanc linguam confinem hebraicæ, vel hujus filiam ſtatuunt, negant eamdem eſſe, ut aliqui contendunt, non quidem eamdem cum hebraica nunc cognita, ſed cum veteri ex quibusdam argumentis a Finettio (9) relatis, quæ tamen ipſe oſtendit propoſitum non evincere. Quare verum non eſt, quod Calmet dixit (10) *Punica ſive Phoenicia ut ſatis conſtat eſt vetus hebraica lingua*. Eſſe eamdem cum lingua Phoenicia, quæ venit etiam ſub nomine Chananeæ cenſuit jam Salmaſius in ſuis Plinianis exercitationibus, & Athanaſius Kircher in ſua Turri Babel, & laudatus Agius in ſua Lingua Punica, & quidem jure optimo, cum Phoenicum colonia ſint Poeni, ſic appellati propter ſublatam a Latinis aſpirationem a litera P, quare synonima etiam ſunt poenicium, poenicum, ac punicum. Cum tamen S. Hieronymus dicat (11) *Afri phoenicum linguam nonnulla ex parte mutarunt*, jam in lingua punica haberi phoeni-

ciæ

(1) Ma. in Matt. c. 25 v 22.
(2) Au. Quæs. in eptath. l. 7 c. 16. & in liter. Petiliani c. 104.
(3) Sa. Not. in Iſai. c. 7 v. 24.
(4) Ki. Prodr. copto, c. 8.
(5) Bo. Geogr. ſacr. l 2 c. 6.
(6) We. Lexic. ar. Aſtaroth.
(7) Sol. pag. 29.
(8) Sol. Annone dis. preli. pag. 19.
(9) Fi. lin. hebr. c. 1 ſe. 6 n. 1.
(10) Ca. Dizi. art. Halma.
(11) Hi. Praef. ad l. 2 in epiſ. ad Gal.

Digitized by Google

ciæ dialectum ſignificat, & confirmat Kircherus, qui obſervat tempore Plauti ita punicam degeneraſſe a phoenicia (1) *ut vix dignosci poſſet*, quod probat ex uno Plauti verſu, dicens pro aliis conſuli poſſe Bernardum Ildretum, apud quem (2) *vocabula punica ſingulari ſtudio congeſta reperientur*.

559. Qui in punica dicunt haberi ipſam linguam Arabicam Agius (3) cum aliis de errore accuſat, eosque pariter ineptis argumentis oſtendit (4) uſos eſſe, qui in Melitenſi hujus temporis lingua, quam ipſe contendit eſſe punicam, viſi ſibi ſunt videre tertiam quamdam linguam natam ex Arabica & Punica veteri, ſive Phoenicia.

560. Pro facta jam propoſitione arguo ex eo, quod plura verba, quæ ſine controverſia ſunt punica, audiantur hac etiam ætate a vulgo in inſulis Melitæ Gauli & Coſiræ ex multorum teſtimonio, quod omni exceptione majus eſt. In his eſt nuper Agius, qui id affirmat in libro italice impreſſo Romæ anno 1757. cum hoc titulo, *Hanno Carthaginenſis, hoc eſt vera explicatio primæ ſcenæ actus quinti comoediæ Plauti Poenulus per hodiernam linguam Melitensem ſive veterem Carthaginensem*, cujus libri epitomam dant Annales literarii Italiæ (5). Ante Agium idem ex parte ſaltem affirmavit Joannes Quintinus Auguſtoduni natus, & mortuus Pariſiis anno 1561. plusquam ſeptuagenarius, qui poſtquam Melitæ duobus annis commoratus fuerat, ſcripſit (6) permulta hujus Plautinae ſcenae verba intelligi a Melitenſibus, ſicuti etiam plures Arabicas Avicennae dictiones.

561. Quod mirum non eſt inquit Agius (7); Nam ſicuti itali aliqua gallica verba intelligunt, quia linguae itala & gallica oriuntur a latina, ita propter communem ab Hebræa originem punicæ & arabicæ, qui unam ex his noverit, aliquid de alia percipit, Quod autem Melitenſes non intelligerent totam punicam ſcenam Plauti, hoc neceſſarium fuiſſe dicit, propterea quod plures dictiones proceſſu temporis ita corruptæ fuerunt, ut vix lineamenta aliqua idiomatis punici retinerent. Atque ſicuti opus fuit hominibus, qui probe intelligerent latinam linguam, ut reſtituerent ſuo nitori Plauti latini ſexcenta loca depravata ut dicitur in editione per Lambinum facta, ita opus fuit homine linguæ punicae perito, quam laudem equidem Agio non invideam, ut quæ irrepſerunt in verſus punicos Plauti mendoſa vocabula, cognoſceret & emendaret.

562. Plures ex his vitio temporis corruptis vocibus punicis haberi in omnibus editionibus Plauti quisque concludet qui eas inter ſe conferat; Videbit enim in his duas vel tres dictiones eſſe, quæ in aliis non ſunt niſi una: in his eſſe literas certo in loco, quæ in aliis eodem in loco non ſunt,

(1) *Ki*. Prodr. sept. c. 7 pag. 178.
(2) Ild. Antiq. de Espag. c. 2.
(3) Ag. Ling. pun. diſ. 2 pag. 45.
(4) Ag. Annone pag. 22 in notis,
(5) An. to. 2 l 1 c. 1 n. 2.
(6) Qu. Deſcr. Melite.
(7) Ag. Annon. diſs. pag. 22.

vel deſunt; in his inchoari unum vocabulum per literam vel ſyllabam, quæ in aliis ſunt finis vocis præcedentis. Has varietates videre eſt in editionibus, quæ majorem habent celebritatem, Friderici Taubmanni, juxta quam alia Patavii facta fuit anno 1725., & Dionyſii Lambini, & Samuelis Petit, & Samuelis Bochart, & Joannis Clerici, atque cum ſint in tribus primis editionibus verſus punici ſexdecim, in illa Clerici ſunt undecim, quæ evadunt duo ſupra viginti apud Finettium (1) qui illos exſcribit, quoniam Scaliger eos repræſentavit tamquam habentes ultimam ſyllabam, quæ conſonat alteri in medio ſingulorum poſitæ: In illa autem Bochartii non ſunt niſi decem, quemadmodum in aliis multis ante Bochartum teſte Agio (2), qui cum credat hos errores in verſibus Plauti punicis a ſe ſublatos ope linguæ, quam ipſe maternam (3) vocat, conjungens vel ſeparans literas, quæ perperam fuerant disjunctæ vel unitæ, ſuiſque in ſedibus reſtituens, quæ inde evulſæ in alias fuerant translatæ, jure etiam credit omnes jam Plauti punicas voces intelligi a Melitenſibus.

563. Ante Agium pariter factam propoſitionem tenuit Io. Henricus Maius, celebris juxta ipſum (4) linguarum orientalium profeſſor in *Specimine linguæ Punicæ in hodierna Melitenſi*, quod anno 1718. vel Jenæ vel Marpurgi publicavit, (5) *calamo*, ut ipſe ait, *currente fuſum*, *ac ea inſuper ætate*, *qua audere non dedecet*. Eamdem tenuit etiam Jacobus Ribier de Gattis Melitenſis Oxonii mortuus anno 1736., quem non video ab Agio nominatum, ubi poſt Jo. Albertum Fabricium (6) perquammultos citat (7) qui de Plauti ſcena punica ſcripſerunt: nominat tamen alios ex familia de Gattis (8) quos cum dicat a Maio conſultos circa linguam Melitenſem, credibile eſt ipſum horum impulſu ſuum *Specimen* publicaſſe.

564. Accedit noſtræ propoſitioni ſuffragium eorum qui magnam partem linguæ punicæ inveniunt in illa, quæ adhuc viget in quibusdam Hiberniæ & Scotiæ locis, quorum proinde regnorum gentes jure ex ſupra dictis (n.398. & 403.) credas origine poenas vel phoenicias, & in iis nativam linguam agnoſcas, quæ a Teutonis eas regiones invadentibus ſuam libertatem tutatæ ſunt in loca montana naturaliter munita ſe recipientes. Sic inter alios putat Vallanceius, qui de punica etiam Plauti ſcena teſte Herva (9) loquutus eſt. Apud Ephemerides liter. rom. (10) fit mentio de inſcriptione bilingui punica & græca, quam vocant etiam phoenico-græcam, & dicunt extare in Melita, de qua tamen non memini Agium loqui. Cum dicatur altera alterius interpretatio, ex ea colligi poterit ſignificatio aliorum verborum punicorum.

565. Erit fortaſſe qui nobis obiiciat quatuor diverſas interpretationes

(1) Fi. Lin. ebrai. c.1 ſe.6 n.3.
(2) Ag. Annon. pag. 85.
(3) Ag. Annon. pag. 26.
(4) Ag. Lin. puni. di.1 pag.22.
(5) Ma. Spec. di. 2 in fine.
(6) Fa. Bibl. Lat. l.1 c.12.
(7) Ag. Annone. pag. 17.
(8) Ag. Ling. puni. diſ 2 pag 53.
(9) He. Idea. to.18 n.104. ſub fin.
(10) Ef. ann. 1787 n. 24.

Digitized by Google

nes ſcenæ Plauti, quas diſtinctè Hervas retulit in fine voluminis vigeſimi primi ſuorum operum, alteram in editione Plauti per Lambinum, alteram in miſcellaneis Samuelis Petit, tertiam in geographia Bochartii, & quartam Vallanceii, quarum nulla in illam Agii conſpirat. Sed nulli ex his fuerunt Melitenſes, & nulli habenr pro ſe tot, qui ipſis conſentiant, quot habet Agius Melitenſis. Sunt qui dicant in ipſo Plauto haberi interpretationem ſuæmet ſcenæ, etſi ut Bochartius ait (1) *liberiorem, qui de verbis parum ſollicitus, ſatis habuit ſenſum explanare*. At qui advertat cum Agio (2) interpretationes, quas eruditi de his verſibus protulerunt, maxime inter ſe differre, dicet id ab illis temere credi, quoniam manifeſtum eſt eos, qui in hac diſquiſitione diligenter verſati ſunt, non habuiſſe pro explicatione data a Plauto, quæ ex ipſo ſolet produci.

566. Finettius quidem punicam linguam dixit non ſolum mortuam & ſepultam, ſed in cineres etiam redactam, nec ab hac ſententia recesſit viſo etiam libro Agii de lingua punica (3). Sed non vidit alterum de Hannone, quia dum ea ſcripſit nondum impreſſum fuerat. Cum Trevoltiani agentes de hac noſtra propoſitione, dixerunt (4), ſi bene memini, argumenta quæ pro ea afferuntur, non eſſe ſatis opportuna, vel loquuti ſunt de aliis argumentis, quam de illo, quod attuli, vel eos ſibi relinquo. Quid præterea in hac re dicat Scipio Maffeius, quem novi ab Hiſtoria literaria Italiæ (5) de ea egiſſe in obſervationibus literariis (6) alii viderint.

567. Grammaticam linguæ punicæ in Melita ſuperſtitis Agius anno 1750. Italice Romæ publicavit cum hoc titulo, *Nova schola grammaticæ ad facile ediscendam linguam Punico-melitenſem*, quam poſſe se iterum typis committere *correctam & amplificatam*, quoties libuerit, ſignificavit in Hannone (7). In ea quæ proſtat, video tribui tres numeros ſingularem, dualem, & pluralem nominum declinationibus, non vero verborum coniugationibus. Ad ejus calcem addidit pariter italice, *Ideam Dictionarii linguæ punico-melitenſis*.

568. Quod punicam cum adiuncto melitenſis dixerit, ſapienter fecit, tum quia exiſtit, tum quia naturale eſt nonnihil diverſam ab ipſo antiquo tempore fuiſſe linguam punicam hujus inſulæ adeo ab Africa ſemotæ ab illa quæ in ipſa Africa audiebatur: tum quia apud Afros hujus temporis nullibi ea amplius exiſtit. Everſo enim illorum regno ſenſim periit. Tempore quidem Plauti, qui duobus ante Chriſtum ſæculis obiit, Romani omnes eam aliquo ſaltem modo intelligebant, quoniam in eorum theatro celebris hic comicus fabulam Poenuli exhibuit, in qua una ex ejus perſonis Hanno Carthaginenſis plura ſpargit verba punica, & ſe-

(1) Bo. Geogr. p. 1 l. 2 c. 6.
(2) Ag. Annon. pag. 23.
(3) Fi. Ling. ebra. ſe. 6 n. 5.
(4) Tr. ann. 1778. ar. 52.
(5) Sto. vol. 3 l. 2 c. 8 n. 2.
(6) Ma. Oſs. to. 5 pag. 281.
(7) Ag. Annone. pag. 21.

Digitized by Google

mel fuſius per plures verſus punice loquitur. Nec mirum eſt, quia pacis tempore mutuum erat inter utramque gentem commercium, & bello jam accenso utrobique aderant plures captivi. Quare longe etiam poſt Plautum non deerant Romæ, qui punicam linguam intelligerent, & teſtis eſt Plinius capta jam Carthagine Senatum Romanum (1) *peritis linguæ punicæ dediſſe negotium tranſferendi in latinam linguam duodetriginta volumina* poeni Magonis de Agricultura, quæ illinc victores Romam detulerunt, quamvis de hac re latine *M. Cato præcepta condidiſſet*.

569. Per plura etiam ſæcula in ipſa Africa Romanis jam ſubiecta hæc lingua viguit. Sub Alexandro enim Severo, hoc eſt ſæculo tertio poſt Chriſtum lata fuit lex, vi cujus Fideicommiſſa fieri poterant lingua punica. Ætate etiam S. Auguſtini ea ibidem vulgaris erat; Nam in epiſtola circa initium ſæculi quinti ſcripta ad Crispinum Calamenſem ab eo petit, ut punice Mappalienſibus proponantur quæſtiones, quæ circa quosdam Fidei articulos, qui etiam ad populum pertinebant, inter eos agitarentur, (2) *ſcribantur*, inquit, *quæ dicemus, & a nobis subscripta eis punice interpretentur*. Brevi tamen deinde ejus uſus apud Afros ita ceſſavit, ut idem Auguſtinus ſæpius teſtetur eam penitus jam abolitam fuiſſe. Quare Critici unanimiter jam dicunt in ejus 74. epiſtola ad Novatum legendum non eſſe Latinæ ſed Punicæ linguæ peritos paucos jam reperiri. Simul cum lingua ceſſavit etiam usus characteris ipſi proprii. Hujus ſpecimen aliquod habemus in paucis quae extant monumentis, ſed nemo adhuc fuit ut obſervat Finettius (3) qui illius valorem certo potuerit determinare.

PROPOSITIO V.

Lingua latina, quam nunc diſcimus, viva adhuc dici nequit, ſed ne unquam quidem, ex quo extitit dici poteſt extincta, nec unquam videtur extinguenda: quæ de lingua etiam hellinica affirmantur.

ARTICULUS I.

Lingua latina adhuc viva dici nequit.

570. HÆc propoſitionis pars in eo fundatur, quod lingua viva appelletur illa, qua vel vulgus ipſum, vel potior populi pars conſtanter utitur in adminiſtratione reipubl., in publicis congreſſibus, in

(1) Pl. Hiſt. l.18 c. 3 in fin.
(2) Au. epis. olim 73.
(3) Fi. Ling. ebr. c.1 ſe.6 n xi.

Digitized by Google

in foro, in ſenatu, in legum promulgatione, in ſcribendis libris, epiſtolis, inſcriprionibus, & publicis monumentis. Atqui evidens eſt nullibi vulgus modo uti lingua latina, quam nunc diſcimus, quin immo nunquam ea uſum fuiſſe ſupra jam (n.459.) concluſimus: & evidens pariter eſt nullibi potiorem cujusvis gentis partem conſtanter ea uti in adminiſtratione Reipubl.; Reſonat enim illa ſolum in ſacris ritibus, quos Eccleſiæ Catholicæ pars quæ Latina dicitur, communes voluit eſſe in hac lingua, & intra ſolos parietes Academiarum, quæ humaniores literas, & ſuperiores diſciplinas latine tradunt, & in paucis aliis locis & raris temporibus conſuetudine quadam determinatis ut in anniverſariis quibusdam orationibus, & apud paucos, qui ubique ſunt ejus aliquo modo periti, quoties alloqui velint alios linguæ ſibi ignotæ, qui apud ſe diverſentur: cetera autem omnia ad adminiſtrationem reipublicæ etiam ſpectantia fiunt lingua apud quamvis gentem vulgari: immo hæ ſolæ locum jam habent in diverſis regionibus apud cauſidicos, qui non ita multo ante ſolum latine ſcribebant in cauſſis quas magiſtratus ipſis committerent diſcutiendas: ergo lingua latina dici adhuc viva non poteſt.

571. Qui in notione linguae vivae non admittat tamquam ipſius attributum uſum quemdam communem apud potiorem reipublicæ partem, eumque conſtantem, concludet vivam eſſe ex argumentis, quibus jam jam oſtendam linguam latinam, ex quo extitit, nunquam extinctam fuiſſe, ſed reprehenſionem incurret de immutatione ſignificationis communiter receptæ hujus nominis Lingua viva.

Articulus II.

Lingua Latina extincta non fuit ſæculo Chriſti nono.

572. Sic arguo. Lingua latina, quam nunc diſcimus, viva ſine controverſia fuit usque ad ſæculum a Chriſto octavum vel nonum, ut advertunt Auctores Lexici Latini ad uſum Taurinenſis archigymnaſii, cum diverſo tamen ſui ſtatu pro diverſis temporibus, juxta vulgarem diviſionem in ejus ætatem primo auream, cujus periodus initium habet anno Urbis conditae 514., ſive anno ante Chriſtum circiter 240., finem autem anno V. C. 757. qui eſt poſt Chriſtum decimus quartus: deinde argenteam, quae incipiens ubi aurea deſinit, extenditur usque ad annum Chriſti 117.: tum æneam usque ad annum 400. Auctores qui ad has aetates pertinent diſtinctim proponit Joannes Marchellus in fine ſui I*ndicis critici vocum vitandarum* in lingua latina Mediolani impreſſi anno 1753, qui rationes affert de ſingulis, quos in alia aetate collocavit, ac Facciolatus & alii celebres grammatici ſtatuerunt.

573. Æneam aetatem ſequitur ferrea, quae deducitur usque ad initium ſaltem ſaeculi noni. Per hæc igitur tempora, quibus vivam invenimus

nimus latinam linguam, eamque unice adhibitam a ſcriptoribus non græcis, tam ſacris quam profanis cujusvis nationis, quae olim fuit Romanis ſubiecta, quorum multa ſuperſunt opera, certum eſt illam extinctam non fuiſſe. Mirum profecto eſt tamdiu vivam fuiſſe linguam latinam, cum a ſaeculo poſt Chriſtum quarto tot Boreales gentes, quae alias omnino linguas loquebantur vulgo gothicas aut runicas appellatas invaſerunt Romanas provincias. Equidem argumentum in hoc video earum indolis, quae non ſolum in populos, quos ſibi ſubiiciebat crudelis non erat, ſed ipſorum etiam moribus & linguæ ſe accomodabat. Teſtis enim eſt Terreros, in Hiſpania ubi a ſaeculo quinto usque ad octavum Gothi dominati fuerunt (1) *nullum extare neque in lapidibus, neque in metallis, neque in ſcriptis eorum linguæ monumentum*.

574. Opus jam eſt oſtendere ne ſaeculis quidem ſubſequentibus illam dici poſſe aliquando extinctam, cum ſint qui id affirmant. In his ſunt primo qui id limitant ad Italiam perpetuis bellis dilaceratam, ex quo Longobardi ex Pannonia in eam irruentes ejusdem dominium ab ann.568. per duo & amplius ſaecula occuparunt, quam proinde dicunt in tantam ignorantiam incidiſſe, ut Carolus Magnus Francorum tunc Rex, & poſtea Occidentis Imperator ad ejus liberationem accurrens, prout erat in literis verſatus, ejus miſertus magiſtros ex exteris remotisque gentibus acciverit, qui ipſa elementa ſuae olim linguae eam docerent. Haec a multis narrata Cl. Denina nuper ſupponens vera, dixit (2) Carolum Magnum anno 781. ab ultimis occidentis partibus magiſtros in Italiam deduxiſſe, qui ipſa Latinae linguae elementa ibidem docerent.

575. Horum hallucinatio inſignis eſt. Nam Carolus M. ſub finem ſaeculi octavi anno ſcilicet 773. aetatis ſuae trigeſimo in Italiam venit literarum omnium expers, ibique ipſarum deſiderio inflammatus iisdem ſtudere incoepit ſub italo magiſtro, quemadmodum habemus ab Eginardo uno ex ejus adminiſtris, & vitae hujus regis auctore omnium optimo, qui ait, *Carolus in diſcenda grammatica* latina *Petrum Piſanum diaconum ſenem audivit*, quod alii circa ea tempora ſcriptores apud Tiraboſchium (3) repetunt. Idem in Italia invenit Paulum Diaconum, & Paulinum Aquileienſem dictum, certe Italum, non Gallum, neque Germanum, ut aliqui dixerunt invicte confutati a Tiraboſchio (4). Atque ambo ſaeculo etiam nono aliquandiu inter vivos fuerunt, eosque ita rex amavit & coluit, ut ſecum voluerit eſſe in Gallia, ubi Petrus Piſanus teſte Caeſare de Boulay in primo hiſtoriae univerſitatis Pariſienſis volumine fuit *primus ſcholæ palatinæ & regiæ inſtitutor*.

576. Idem rex Carolus Theodulphum *propter ſcientiæ prærogativam, qua pollebat ab Italia in Gallias adduxit*, ait antiquum Chronicon cum multis

(1) Te. Paleog. pag.5.
(2) De. Rivol. d'Ital. to.1 pag.400.
(3) Ti. Stor. Lett. to.3 l. 2 c. 1 n.7.
(4) Ti. ibid. c. 2 n.2.

Digitized by Google

multis aliis apud Tiraboſchium (1) eumque voluit eſſe Aurelianenſem Epiſcopum, & Abbatem Floriacenſis Monaſterii, ut multis eſſet utilis, qui quantum in literis humanioribus & ſeverioribus excultus fuerit, cognoſcitur ex iis, quae ante dimidium ſaeculi noni verſu & proſa ſcripſit, ejusque eſt carmen, inquit Bellarminus de Script. eccles.

Gloria laus & honor tibi ſit Chriſte Redemptor,

quod canitur in die palmarum, quod ab eo factum fuit vivò adhuc Carolo M., non ſub ejus ſucceſſore Ludovico, ut aliqui apud Magrium (2) ſcripſerunt, qui proinde occaſionem aliquibus dederunt negandi factum illud fuiſſe ab hoc Theodulpho, quoniam Alcuinum obſervarunt longe ante Ludovici imperium mortuum de hoc carmine meminiſſe. Tantum igitur abeſt ut Carolus M. exteros Latinæ linguae magiſtros Italis dederit, ut hos pro populis ſibi ſubiectis ab Italia deſumpſerit. Quod juvat confirmare verbis Bernardi Juſtiniani mortui anno 1489. aetatis ſuae 81., qui de honoribus ſibi collatis ab Academia Pariſienſi, cum eſſet Pariſiis anno 1461. Reipublicae Venetae legatus ad Regem Ludovicum XI. in Oratione ad Academicos habita, *Vos* inquit *memores latinas literas ab Italis accepiſſe, Italis etiam deſignaviſtis collegium amplum & illuſtre*

577. Hujus aevi ſunt Odelbertus Archiepiſcopus Mediolanenſis ab anno 803. ad 813., & Maſſentius Patriarcha Aquileiae, qui plura docte ſcripſerunt latina lingua in quaeſtionibus de rebus ſacris ſibi propoſitis a Carolo Magno. Et Autpertus Abbas in Monte Caſſino ab anno 834. ad 837. Et Bertarius ibidem Abbas ab anno 856. ad 883., quo Saraceni ipſum cum omnibus fere monachis trucidarunt, ambo in ſacris & profanis literis verſati. Et Erchempertus monachus pariter Caſſinenſis auctor hiſtoriae de Longobardis, qui dominati fuerunt Benevento a Muratorio (3), aliisque iterum iterumque editae, in qua narrat, quae ſibi etiam ab anno 881. & ſequentibus acciderunt. Erant igitur in italia hoc tempore latinae linguae aliarumque diſciplinarum periti, quas aliis communicabant, quin opus fuerit ex exteris gentibus illos deducere, & ſiquis forte ex remotis locis in Italiam vocatus tunc fuit ad munus docendi, id tribuendum erit ſoli ipſius nominis celebritati.

578. Quid quod temere omnino dicitur Carolum M. ullius ſcientiae praeceptores in Italiam miſiſſe. Nam imprimis unus dumtaxat eſt, qui id dixerit anonymus monachus S. Galli, quem plures deinceps deſcripſerunt, quin adverterent ipſius narrationem praeſeferre conſpicuos male compactæ fabulæ characteres, quos luculenter evolvit & in medium producit Tiraboſchius. Deinde inter antiquos ſcriptores de geſtis Caroli M. eſt alius anonymus monachus Engoliſmenſis, qui apud Du Cheſne (4) ſcripſit, *Rex Carolus iterum a Roma artis grammaticæ & computatoriæ magiſtros ſecum adduxit in Franciam, & ubique ſtudium literarum expandere juſſit*. Igitur

(1) Ti. Ibid. l.3 c.2 n.5.
(2) Ma. Vocabo. eccl. ar. Palmarum.
(3) Mu. Rer. Ital. ſcri. t.2.
(4) Ch. Vita Caroli. c 8.

tur non ſolum ſaeculo nono in Italiam non venerunt ex remotis gentibus, qui literarum ſtudium in ea renovarent, ſed ex Italia ad illas plures Itali ad ipſum promovendum fuerunt evocati.

579. Mortuo Carolo M. anno 814. a filio Ludovico Pio, qui in ejus ampliſſimam dominationem ſucceſſit, rex Italiae Lotarius filius declaratus fuit. Sub utroque, dominis maximae Italiae partis fuerunt ibidem latae plures in lingua latina leges, quae dicuntur Longobardicae, quia Carolus voluit rex etiam Longobardorum appellari & Lotarius regibus origine Longobardis e throno dejectis eorum dominio ſucceſſit. Quoniam autem latina lingua ſcriptae ſunt hae leges, neceſſe eſt fateri fuiſſe etiam tunc permultos, qui eam intelligerent. In his legibus reticenda non eſt una ejusdem Lotarii data circa annum 823., & relata a Muratorio (1) qua in novem primariis Italiae civitatibus Ticini, Evereja, Auguſtæ Taurinorum, Cremonae, Florentiae, Firmi, Veronae, Vicentiae, & in Foro Julii publicas ſcholas conſtituit, quoniam videbat ut ibidem dicitur *doctrinam ob nimiam incuriam atque ignaviam cunctis in locis funditus extinctam*, quae verba intelligenda ſunt vel de raritate eorum, qui tunc ad eam incumberent, vel de doctrina linguae latinae purgatae, vel de illa aliarum diſciplinarum.

580. Circa idem tempus anno ſcilicet 826. invenimus decretum Concilii Romani ſub Eugenio II. Papa, quod apud Tiraboſchium ſic habet, (2) *In univerſis Episcopiis & aliis locis, in quibus neceſſitas occurrerit, omnino cura & diligentia habeatur, ut magiſtri & doctores conſtituantur, qui ſtudia literarum liberaliumque artium, ac ſancta habentes dogmata aſſidue doceant*, idemque deinde anno 853. ſub Leone IV. in alio Concilio Romano confirmatum fuit, & per haec verba declaratum, *Etſi liberalium artium præceptores in plebibus raro inveniantur, tamen divinæ Scripturæ magiſtri & inſtitutores eccleſiaſtici officii nullatenus deſint*. Hujus ſaeculi ſunt Romani Pontifices Eugenius II. anno 824., Gregorius IV. anno 827., S. Leo IV. anno 847., S. Nicolaus I. cognomento Magnus anno 858., & Stephanus V. anno 885., omnes Romae nati, & de ſingulari doctrina celebrati. Atque Anaſtaſius quidem Bibliothecarius, celebris Abbas Romanus, græce & latine doctus in vita S. Nicolai ultima ex iis, quas de Romanis Pontificibus ab eo habemus, refert hunc Sanctum ſortitum fuiſſe parentem omnis ſcientiae praeſertim ſacrae & liberalium artium amantiſſimum: Et Joſeph de Novaes (3) in illa Stephani V., quem ipſe VI. vocat, ut iis ſerviat, qui inter Pontifices numerant etiam illum, qui die tertia ab electione obiit, nondum conſecratus, narrat eum in ſuis miniſtris non habuiſſe niſi homines, qui praeter probitatem doctrinam haberent. Ergo erant in Italia ſaeculo nono, qui latinae linguae peritiam haberent, & quidem non mediocrem.

581. Vin-

(1) Mu. Rer. ital. to. 1 p. 2.
(2) Ti. Lett. ital. to. 3 l. 3 c. 1 n. 33.
(3) No. de Pontefi.

Digitized by Google

581. Vindicata linguae latinae intelligentia apud Italos pro ſaeculo nono, eam iterum opus eſt oſtendere fuiſſe in aliis etiam Europae nationibus hoc ipſo ſaeculo, & aliis duobus ſequentibus, quoniam olim quidem Petrus Paulus Vergerius Juſtinopolitanus, qui circa annnum 1431. obiit octogenarius dixit apud Jo. Hieron. Gradenigum (1) *Poſt avulsum ex Italia imperium afflictamque a barbaris, nemo fuit per multa tempora, qui ſui temporis res geſtas illuſtri aliquo genere orationis deſcriberet. Non erat hominibus ſtudium res quæ gererentur mandare memoriæ, nec ferme erat ullum literarum genus in pretio*. Nuper vero Jo. Georgius Valchius in *Hiſtoria Critica latinæ linguæ* confidenter dixit neminem ſaeculis IX. X. & XI. fuiſſe in Italia, Gallia, & Germania, qui legere, ſcribere, & multo minus poſſet latine loqui.

582. Dico igitur a permultis latinis auctoribus, qui in obiectis regionibus floruerunt praedictis ſaeculis, hos coargui & Valchium praeſertim de turpi inſcitia. Pro Gallia & Germania contra illum ſatis eſt unum aut alterum nominare. Itaque ex Gallia profero Hincmarum Epiſcopum Rhemenſem, cujus epiſtolae datae etiam ad Papam Nicolaum typis proſtant impreſſae, & Remigium Antiſiodorenſem, virum ea aetate doctiſſimum, multorumque de ſacris rebus librorum auctorem quos habemus, & Ionam Epiſcopum Aurelianenſem poſt Theodulphum ſupra (n.576.) citatum, cujus juvat meminiſſe, quoniam Claudius Epiſcopus Taurinenſis vocatus ad Concilium Pariſienſe anni 827. congregatum pro quaeſtione circa cultum ſacrarum imaginum, quem ille factus Iconoclaſta condemnabat, noluit ire, dicens eſſe congregationem aſinorum, ut refert Dungalus unus ex Claudii impugnatoribus ipſi coaevis praeter hunc Jonam, qui inter alios ab eo ſcriptos libros, quorum aliqui etiam in gallicam linguam tranſlati & impreſſi fuerunt, ut lego in Dictionario Auctorum Eccleſiaſticorum Gaſparis Storti, tres habet contra hunc Claudium, qui anno 839. adhuc vivebat.

583. Ex Germania profero Rabanum Epiſcopum Moguntinum, qui inter alia multa ſcripſit ad Gregorium quartum Papam (2) *opus admirandum*, ut ait Bellarminus, *ſoluta & ligata oratione de laudibus Sanctæ Crucis*: eique coaevum Strabum Fuldenſem, primum auctorem gloſſæ ordinariæ in utrumque Teſtamentum. Ex tota Gallia ſimul & Germania profero canones conciliorum Turonenſis anni 813., & Moguntini ann. 847., de quibus meminit Muratorius (3), qui volunt ut Epiſcopi curent transferri in linguam vulgi conciones, quas latine ipſi tunc pronunciabant. Igitur ſaeculo Chriſti nono non ſolum extincta non erat lingua latina, ſed ea ſola adhibebatur ab Epiſcopis in ſuis ad populum homiliis, quaſi hæc lingua pars eſſet ſacræ cærimoniæ, quemadmodum etiam nunc fit Romæ in Sacris, quae ſolemniter coram ſummo Pontifice celebrantur.

(1) Gr. Ragionam. ſu la lett. grec. c. 1.

(2) Be. Script. Eccles.

(3) Mu. Orig. d. ling. ital.

Digitized by Google

584. In Scotia habemus citatum Dungalum, & in Anglia Alcuinum multis ab eo & quidem ſatis eloquenter perſcriptis libris celebrem & familiaritate Çaroli Magni, qui inde illum evocavit, ut ſibi eſſet graviorum diſciplinarum magiſter. Sed quoniam latini ſcriptores remotis regionibus, & extra Italiam hoc ſaeculo unanimiter conceduntur, ſuperfluum eſt de illis dicere.

Articulus IV.

Lingua latina extincta non fuit ſaeculo Chriſti decimo.

585. Venio ad ſæculum decimum, de quo pariter Valchius generalem latinae linguae ignorantiam obiecit, & ante ipſum acta Concilii Rhemenſis anni 992. dixerunt in ipſa Roma, ubi ſtudia ſaltem ſacra magis quam alibi colebantur, vix tunc fuiſſe, qui prima noſſet diſciplinarum elementa. Saeculum quidem decimum horridum fuit propter quemdam quaſi furorem, quo multi Europae populi quodammodo correpti, dum ſe invicem dilaniarunt, omnibus etiam literis ingentem cladem attulerunt, non eam tamen, quae illas omnino deleret. Cum viderimus ſuperiori ſaeculo conſtitutas a Lotario in novem Italiae civitatibus publicas ſcholas, ſancitosque a Romano Concilio canones ad conſervationem & progreſſionem literarum, facile eſt inferre fuiſſe etiam ſaeculo decimo, qui in Italia ſaltem linguam latinam callerent. Scimus quidem illam tunc mirabilem in modum vaſtatam a civilibus bellis, & ab incurſionibus Saracenorum & Ungarorum, non ita tamen ut omnes etiam docti & magiſtri fuerint trucidati. Ex Monachis Montis Caſſini, qui Capuam ſe receperunt anno 883. effugientes a Saracenis, qui Bertarium ex dictis (n.377.) cum aliis occiderunt, fuit Joannes Abbas ab ann.915. ad 934., qui hiſtoriam hujus calamitatis deſcripſit, qua uſum ſe dicit in componendo ſuum Chronicum Leo Marſicanus ſic appellatus a patria, ex monacho factus Cardinalis & Epiſcopus Oſtienſis.

586. Praeterea quae extant Romanorum Pontificum Joannis XV. & Gregorii V., quorum primus Pontificatum iniit anno 985., ſecundus autem anno 996., & ſanctiones Conciliorum Romanorum ejusdem temporis, & monumentum Ioannis XVII., publicatum Romae ann. 1750. a Cl. Praeſule Stephano Borgia, & a Novaes deinde (1), quod certiores nos facit illum in pago Rapagnani dictionis Firmanae natum, *adhuc adoleſcentem Romam ductum adeo literis incubuiſſe, ut toto Vrbis applauſu anno 1003. fuerit Pontifex creatus*, planum faciunt permultos fuiſſe tunc Romae, qui linguæ latinæ, aliarumque graviorum diſciplinarum ita periti erant ut eas poſſent ex cathedra docere. Quare attendi non debet quod dixit Concilium, vel potius Conciliabulum Rhemenſe anni 992., quod Baronius jam elevavit

(1) No. de pontef. ſec. xi.

vavit. Eodem decimo ſæculo floruerunt duo etiam propter ſcientiam inſignes Epiſcopi Atto Vercellenſis ab ann.924. usque ad annum circiter 930. & Raterius Veronenſis ab anno circiter 930. uſque ad 968., quo ſe ab hoc Epiſcopatu abdicavit. Utriusque extant plura typis impreſſa latina opera, in quibus diverſi generis ſcientia reſplendet, ac de illis Attonis nuper præclare meritus eſt Carolus Burontius del Signore accurata & magnifica eorum editione Vercellis 1768., in qua quædam protulit, quæ ut ipſe ait *hactenus usque vel eruditis penitus incognita fuerunt*. De utriusque autem ſollicitudine ut qui de Clero vellent eſſe, ſtudiis vacarent, monumenta habentur indubitata apud Tiraboſchium (1). Atque quoniam Raterius Leodienſis fuit, in eaque regione ſacras & profanas literas diligenter excoluit, extra Italiam etiam manifeſtum eſt latinam linguam, aliasque diſciplinas non fuiſſe hoc ſaeculo extinctas.

587. Pro Germanica ejusdem ſæculi literatura teſtis eſt laudatus paulo ante Gregorius V., natus in Saxonia, cognatione coniunctus cum Othone III. Imperatore, olim Epiſcopus Verdenſis, qui pro ſua inſigni doctrina & pietate Gregorius minor fuit appellatus. Teſtis pro illa Gallorum hujus Gregorii ſucceſſor Silveſter II. primus ex hac gente Papa Aureliaci natus, & Gerbertus dictus, donec fuit primo Archiepiſcopus Rhemenſis, & deinde Ravennas, qui cum eſſet in omni fere ſcientiæ genere exercitatus, maxime vero in Mathematica, creditus a multis fuit alia via quam humana inſtructus. Qui conſulat volumen ſextum de hiſtoria literaria Galliae, quam habemus a Maurinis, vel hujus voluminis epitomam, quae legitur in italicis Notitiis literariis tranſalpinis (2) multos inveniet, qui in Gallia non ſolum latinis, ſed graecis etiam literis floruerunt hoc ipſo ſæculo, quo literarum neglectus magnus ubique fuit etiam propter perſuaſionem de proximo mundi hujus fine, qui omnium mentes occupaverat.

588. Sed brevi quisque cognoſcet, quam falſo dicatur ſcientiam omnem, & linguam latinam, ubique ſæculo decimo defeciſſe, qui ſolos etiam conſulat auctores ordinatim poſt Bellarminum agentes de Scriptoribus eccleſiaſticis uſque ad eorum tempora, cujusmodi ſunt Labbæus, Caſimirus Oudinus, & Theologi Grecenſes, quorum nomine extat *Epitome chronologica Scriptorum eccleſiaſticorum*, cujus prima pars publicata Grecii anno 1730., exhibet ſcriptores *a Moyse usque ad annum Chriſti* 1000., in qua inveniuntur ſcriptores quidam ab aliis prætermiſſi, quorum opera habentur in Bibliotheca maxima Patrum ex editione Lugdunenſi anni 1677. apud Aniſſonios ſtudio Philippi Deſpont accurata, & in tomos 27. diſtributa: ſecunda autem pars Grecii pariter impreſſa ſed ann.1735. eſt de Scriptoribus eccleſiaſticis ab anno 1000. uſque ad annum 1550. Ex ingenti numero, qui hinc colligitur eorum, qui latine reapſe ſæculo decimo ſcripſerunt manifeſta erit hujus Valchii plane ſingularis hallucinatio, & inſignis in ſcribendo temeritas, vitia hujus ſuæ hiſtoriæ, quæ fuſius Matthæus Ai-

(1) Ti. Lett. ital. to.3 l.3 c.1 n.18. (2) Not. t.2 p. 2 ar.2.

Digitized by Google

merichius (1) demonſtravit, & quæ eodem referente (2) animadvertit jam Jo. Baptiſta Gener Romæ mortuus 27. Septemb. anni 1780. in Hiſpania natus 24. Januar. anno 1711. Cum hujus Valchii hiſtoria vituperationem, laudem rurſus Tiraboſchii (3) commeruit ejus *diatriba de amoenitatibus hiſtoricis ex Ciceronis peregrinatione collectis*.

Articulus IV.

Lingua Latina extincta non fuit ſæculo Chriſti undecimo.

589. SÆculo etiam undecimo fuiſſe linguam latinam in Italia probant contra Valchium latinæ literæ non inelegantes Guidi Aretini celebris (n.60.) propter perfectionem additam diſciplinæ cantus eccleſiaſtici, a Baronio (4) promulgatæ, & ab aliis deinde, quas dedit ante ann.1024., quarum una eſt ad Theodulphum Epiſcopum non Aprutinum, ut dicunt Theologi Grecenſes, ſed Aretinum, cui etiam dicavit duos de arte cantus a ſe inventa libros ſub titulo Micrologi, alterum ſoluta oratione, alterum vero jambicis verſibus, qui adhuc latent in aliquibus bibliothecis. Idem probant opera SS.Leonis IX., & Gregorii VII., quorum primus Romanam ſedem conſcendit anno 1049., ſecundus autem anno 1075.: Et illa S. Brunonis Cardinalis & Epiſcopi Signenſis, qui in lucem venit Aſtæ Pompeiæ circa annum 1049.: & illa S. Petri Damiani ſcripta ut obſervavit Tiraboſchius (5) ſtilo ſupra ſui temporis conſuetudinem eleganti, qui obiit Faventiæ anno 1072., cum natus eſſet Ravennæ circa annum 1007., aſſumpto a nomine fratris de ſua educatione præclare meriti, Damiani cognomento, relicto patrio de Honeſtis, quod cum eſſet uſque ab eo tempore clariſſimum, etiam propter immortalem ſplendorem ipſi collatum a ſuo Sancto Romualdo, qui anno 1027. æternum in caelo praemium obtinuit vitae per annos viginti ſupra centum integerrimae, novum noſtra aetate ornamentum acquiſivit a ſummo Pontifice Pio VI. feliciter regnante, a cujus ſorore nati ſunt praeſens pervetuſtae hujus familiae columen, ejusque frater purpuratorum patrum ſenatui adſcriptus & propter egregias animi ſui dotes carus omnibus.

590. Idem probant opera S. Anſelmi, quem Lucae Epiſcopum patruus Alexander II. Papa creavit, & Mantuae anno 1086. mortalis corporis exuvias reliquit, quae adhuc ſunt incorruptae: Et hiſtoria Mediolani ſcripta ab Arnolpho, & Landolpho ſeniore coaevis S. Gregorii VII., in publicam lucem educta primum a Muratorio (6): Et plura carmina Alfani Archiepiſcopi Salernitani ab anno 1057. uſque ad 1085., recenſita a Theologis Grecenſibus, quorum aliqua commemoravit etiam Baronius (7): Et

(1) Ai. Paradox. di. 4.
(2) Ibid. adnot. 15.
(3) Ti. Lett. ital. p.3 l.3 c.2 n 11.
(4) Ba. Ann. eccl. ann.1022.
(5) Ti. Letr. ital. t.3 l.4 c.2 n.23.
(6) Mu. Scrip. rer ital. to.4.
(7) Ba. Anna. Eccl. ann.1012.

Digitized by Google

Et poema latinum Gulielmi Apuli, in quo geſta Normannorum in Italia deſcripſit uſque ad mortem Roberti Guiſcardi domini Apuliæ, & deinde etiam Siciliæ, quæ accidit anno 1085., cui poeta ſuperſtes fuit, cum illud dicat ſe ſcripſiſſe juſſu Rogerii filii Roberti: Et hiſtoria ejuſdem argumenti eodem Rogerio mandante ſoluta oratione expoſita a Goffredo Malaterra homine ceteroqui non Italo, ſed probabiliter Normanno, quæ deſinit in annum 1099.: Et Chronicon Lucæ Protoſpatæ Apuli *De rebus in regno Neapolitano ab 860. ad 1102. geſtis*. Horum trium ſcriptorum opera iterum edidit Muratorius (1): Et primum Lexicon latinum congeſtum ab italo quodam Papia, & ab eo publicatum anno 1053. juxta Tiraboſchium (2), cujus plures olim factæ fuerunt editiones poſt primam Mediolanenſem anni 1476.

591. Probant laudes eximiæ eruditionis & eloquentiæ, quam hiſtorici tribuunt Alexandro II. nobili Mediolanenſi, qui S. Petri in cathedra Romana ſucceſſor fuit anno 1061. Et ſcholæ de philoſophia, quas Archiepiſcopi Mediolanenſes in atrio templi principis jam olim apertas ſæculo etiam undecimo conſervabant & fovebant, ad eas ſæpe accedentes, & *magiſtros & ſcholares in ſtudiis* confirmantes, ut ait Landulphus, qui Mediolani degens hiſtoriam hujus temporis nobis reliquit, publicatam a Muratorio (3). Et ſimiles ſcholæ in aliis Italiæ civitatibus celebres, quales Faventinæ, & Parmenſes, ad quas S. Petrus Damiani narrat ſub initium hujus ſæculi ſe contuliſſe (4) nominans etiam Ivonem unum ex ſuis magiſtris. Et Ravennates, in quibus celebris erat ſchola Juriſprudentiæ, cum ad eam mitterentur ab aliis civitatibus controverſiæ circa aliquod jus exortæ, ut Ginannius (5) oſtendit: Et Bononienſes ſin minus publicæ, & a Magiſtratu ad communem uſum conſtitutæ, certe privatæ, quandoquidem ad hanc civitatem ſtudiorum ſeveriorum cauſſa venit S. Bruno Epiſcopus Signenſis, & alii apud Tiraboſchium (6).

592. Scholas pariter fuiſſe in Britannia probant Chronicorum libri, quos habemus a Mariano Scoto monacho Fuldenſi, qui dicitur cognatione conjunctus cum Venerabili Beda, & mortuus Fuldæ vel Moguntiæ anno 1086. ætatis ſuæ 58. Fuiſſe in Loharingia ſuadent opera Humberti Cardinalis, qui cum eſſet ut ait Bellarminus (7) graece & latine doctiſſimus a S. Leone IX. ex coenobio Tullenſi Romam evocatus fuit, & Conſtantinopolim miſſus, ut plures tolleret Graecorum errores. Ejus liber contra Graecos de Azymo ab ipſo initio dicitur ſcriptus anno 1054. Fuiſſe etiam in Germania probatur ex operibus S. Brunonis Colonienſis, Carthuſianorum fundatoris ad Caelum evocati anno 1101., in quibus cum eruditione coniun-

(1) Mu. Scrip. rer ital. vol.5.
(2) Ti Ti. Stor. Lett. to.3 l.4. c. 3. n 3.
(3) Mu. Script. rer. ital. vol.4.
(4) Dam. l. 5 epiſ. 16. & l.6 epi.17. & 30.
(5) Gi. Lett. Ravenn.
(6) Ti. Stor. lett. to.3 l. 4 c. 7 n. 12. & 18.
(7) Be. Scrip. eccl.

niunctam videmus claritatem, & quamdam raram tunc elegantiam: tum ex Victore II. qui Oeniponti natus a ſede Aichotadienſi ad Romanam evectus fuit anno 1055., de multa doctrina, & de inſigni probitate commendatus: tum ex hiſtoria Lamberti, qui Schaffunburgenſis a patria appellatur, deducta usque ad annum 1077., qui a Bellarmino dicitur (1) *inſignis & verax hiſtoricus*, ejusque *in loquendo puritatem, & ſupputando ſolertiam* Scaliger celebrat apud Theologos Grecenſes (2): tum ex Hermanno Contracto nobili genere nato in Svevia, qui obiit anno 1054. monachus Augienſis, linguae latinae, graecae, & arabicae peritus, nec hospes in rhetorica, poetica, hiſtoria, philoſophia, aſtronomia, & theologia, cujus aliqua extant opera, & cui Bellarminus dicit (3) tribui antiphonas *Alma Redemptoris*, & *Salve Regina*, & praeclariſſimam Sequentiam *Veni Sancte Spiritus*: Sed *Salve Regina* quidem ſunt apud Novaem (4), qui aliis tribuunt: *Veni* autem *S. Spiritus* Innocentio III., & Durandus apud Magrium (5) Roberto, qui Galliae Rex fuit ab anno 993. ad annum 1031.

593. Fuiſſe tandem ſcholas in Gallia abunde contra eumdem Valchium patebit ex iis, quae jam dico contra celebrem Fontenellem, qui nationis ſuae honori imprudens offecit, dum dixit linguam latinam in Gallia ſaeculo undecimo eo redactam, *ut non eſſent, niſi quidam ex clero, qui eam intelligerent*. Itaque ſumo iterum prae manibus catalogos ſcriptorum eccleſiaſticorum. Atque in ipſo hujus ſaeculi initio lego proponi S. Fulbertum, qui licet in Italia natus, ut communius & verius credi ſuadet Tiraboſchius (6), tamen ad Galliam pertinet quia in ea doctus evaſit ſub diſciplina Gerberti, qui fuit deinde (n.587.) Silveſter II., & ibidem poſtquam diu Carnuti literas aliis communicavit, adhuc juvenis Epiſcopus electus fuit ejusdem civitatis, utpote magni habitus, & carus omni hominum ordini propter ſanctitatem & doctrinam ſuam, quas ipſius dotes abunde patefaciunt ipſius *Opera varia* Pariſiis impreſſa anno 1608. Apud Theologos autem Grecenſes invenio opera Aimonis junioris natione Aquitani, qui junior dicitur ad diſtinctionem alterius, qui pertinet ad ſaeculum nonum, ut Labbæus demonſtravit in diatriba de duobus Aimoniis. Junior autem plura ſcripſit ligata oratione & plura etiam ſoluta, atque in his eſt *Hiſtoria Regum Franciæ*, quam Bellarminus (7) adſcripſit ſeniori, anno circiter 1004. ſtilo aliquatenus exculto exarata, quo anno commemorantur etiam opera Abbonis Abbatis Floriacenſis.

594. Aliis omiſſis ſcriptoribus latinis pro annis proximis iis quos jam obſervavi, mentionem faciam de duobus Monaſterii Beccenſis in Normannia alumnis Lanfranco & Anſelmo, quorum ſecundus primo ſucceſſit in Archiepiſcopatu Cantuarienſi. Lanfrancus mortuus anno 1089., Ticini quidem

(1) Be. Scrip. eccl.
(2) Gr. Epit Scrip. eccl.
(3) Be. Scrip. eccl.
(4) No. Pontef. ar. Gregor. 9 e ar. Innoc. 3.
(5) Ma. Voc. eccl. ar. Proſa.
(6) Ti. Stor. Lett. to. 3 l. 4 c. 2 n. 2.
(7) Be. Scrip. eccl.

quidem nobili genere natus, ibique & in aliis fortaſſe Italiæ civitatibus in literis liberaliter educatus, cum adhuc juvenis in Galliam ſe contulerit, Abrincis in Normania ſcholas coepit habere, ſed deinde vitam religioſam in monaſterio Beccenſi profeſſus, ibi doctor non ſolum monachorum, ſed exterorum etiam factus, brevi tam celebris evaſit, ut multi ex diſſitis etiam regionibus ad ejus ſcholam devenerint, tamquam ad eum, per quem *Latinitas in antiquum ſcientiæ ſtatum reſtituta fuit*, ut ait Milo Criſpinus in vita, quam nondum exacto ab ejus morte ſæculo in eodem monaſterio ſcripſit.

595. Anſelmus vero natus Auguſtæ Prætoriæ circa annum 1034., tranſacta ætate puerili in ſtudiis, quæ ad eam pertinent, in Galliam miſſus fuit ad ſcholam Lanfranci, vitamque monachi ibidem amplexus circa annum ætatis ſuæ vigeſimum ſeptimum, magiſtro ſucceſſit in ſcholæ regimine, ejusque famam non ſolum conſervavit, ſed etiam amplificavit, quippe in eo reſplenduit ſingularis profundaque doctrina, quam in ejus libris quisque admiratur, coniuncta cum inſigni morum ſanctitate, ut brevi Abbas factus fuerit monaſterii, & inde extractus anno 1093. conſtitutus fuit Archiepiſcopus Cantuarienſis, quo in munere ſancte ſe geſſit uſque ad annum 1009. vitæ ſuæ ultimum.

596. His addam Odonem Aurelianenſem ex Abbate S. Martini Tornacenſis Epiſcopum Cameracenſem, quem Maurini auctores hiſtoriæ de literatura Galliæ compararunt (1) Lanfranco, & Anſelmo. Quoniam autem ille ex hac vita deceſſit anno 1113., tot jam functus muneribus, neceſſe eſt doctus fuerit ſæculo antecedenti, & aliqua ſaltem ex ſuis operibus confecerit, quæ referente Ladvocato (2) in Bibliotheca Patrum continentur. Cum hi doctiſſimi viri in Gallia educati, gloriam ſibi immortalem comparaverint, præſertim Anſelmus egregiis de graviſſimis diſciplinis operibus latine perſcriptis ſermone certe non barbaro, multo magis mirabitur de tanto Fontenelles errore. Sed ipſum jam luculenter impugnavit Petrus des Fontaines (n. 414.) profitens ſe loqui ex aliorum ſapientum ſententia. Præcipuum autem Fontaines argumentum ſunt opera S. Bernardi, qui natus Divione anno 1091., plerunque in Gallia ſuam ſexaginta annorum vitam vixit, in quibus cum ſint ſermones latini facti ad Monachos, & epiſtolæ latinæ datæ etiam ad feminas, bene concluditur ſæculo ipſo undecimo linguam latinam pertinuiſſe ad liberalem educationem.

(1) Ma. Hiſt. to. 9.

(2) La. Dizio. ar. Odone.

Articulus V.

Lingua latina extincta non fuit ſæculo Chriſti duodecimo.

597. QUamvis nulli mihi occurrunt, qui de generali ignorantia latini ſermonis accuſent ſæculum duodecimum, aliaque quæ ſequuntur, nihilominus quoniam gratum eſt de doctis majoribus meminiſſe, aliquos commemorabo qui in ſingulis ſuam de latina lingua ſcientiam doctis quæ extant lucubrationibus demonſtrarunt. Itaque ſæculo duodecimo linguam latinam non defeciſſe probant commemorata S. Bernardi opera, quæ ad illud proprie ſpectant. Nequis autem dicat ea omnia ſcripta ab eo fuiſſe lingua apud Gallos tunc vulgari, & deinde ab aliis latine reddita, prohibet Mabillonius, qui in præfatione ad editionem operum hujus Sancti poſt inſtitutum de hac re examen contendit maximam ſaltem partem ipſius ſermonum latine fuiſſe habitam, concedens vulgari etiam lingua ad populum aliquando concionatum. Illud addam, quod cum aliqui Sancti hujus Abbatis libri ipſo adhuc vivo latini circumferrentur, ſive ipſe in hac lingua ſcripſerit, quod de illis *Conſiderationis ad Eugenium* quis neget. ſive alii, ſemper concluditur fuiſſe ſæculo duodecimo, qui latine ſcriberent, & alios plures qui latine ſcripta intelligerent.

598. Sed argumenta latini ſermonis pro hoc ſæculo nulli omnino controverſiæ obnoxia, ſunt conſtituta paſſim in ipſis pagis gymnaſia linguæ latinæ, & erectæ magnis ſumptibus a quovis principe & republica celebres academiæ omnibus apertæ ad ediſcendas primo quidem literas humaniores, & deinde ſeveriores alias quaſcunque diſciplinas, quas magnis ſtipendiis conducti magni nominis doctores lingua ſolum latina publice tradebant. Hujus temporis eſt Burgondius Jureconſultus, mortuus anno 1194., illuſtris multis græcorum auctorum in latinum traductionibus, aliiſque muneribus, quibus egregie functus immortalem ſui memoriam apud Piſanos cives ſuos reliquit. Sunt etiam Pillius, & Azzo celeberrima nomina apud Juriſperitos, quorum primus natus juxta Tiraboſchium (1) Medicinæ, pago dictionis Bononienſis, Mutinam ab anno 1189. magnam auditorum vim ad ſuas de legibus ſcholas advocavit: ſecundus vero Bononiæ in patria usque ab anno 1190., non minori certe plauſu ac frequentia eaſdem leges explicavit. quo tempore in hac ſola civitate dicuntur fuiſſe decem millia juvenum, qui ſtudiis vacabant, adeoque vel linguæ latinæ jam compoſes erant, vel illam ſibi comparabant apud privatos ipſius magiſtros, quando verum eſſet Bononiæ non fuiſſe publicum literarum humaniorum profeſſorem niſi ſæculo decimo tertio, ut per errorem plane demonſtratum a Tiraboſchio (2) poſt alios dixerunt Muratorius, Laurentius Mehus, & Comes Mazzuchelli, qui hujus diſciplinæ docto-

(1) Ti. Stor. lett. to. 4 l. 2 c. 4 n. 13.

(2) Ti. Stor. lett. to. 4 l. 3 c. 5 n. 1.

doctorem primum ibi volunt fuiſſe Buoncompagnum, qui eam incredibili celebritate certe anno 1215. Bononiæ docebat, & Florentiæ in patria ſua tandem obiit in uno ex ejus hoſpitaliis.

599. Cum hæc de ſtudiis in Italia per hoc tempus late florentibus certa ſint & pervulgata, quis non miretur illam Petro Danieli Huetio viro ceteroqui valde erudito viſam fuiſſe ſæculo duodecimo oppreſſam tam profundo ignorantiæ ſomno, ut eam ne excitaverit quidem (1) ubique reſonans fama de ſtudioſa diſciplinarum omnium cultura apud proximos ſibi Gallos, ad quos proinde neceſſe fuerit commigrarent Itali, qui vellent ſcientiam aliquam acquirere vel deguſtare. Contra hoc Huetii ſomnium a Tiraboſchio jam (2) confutatum facient alia, quæ pro hac meæ propoſitionis parte jam ſubiicio.

600. Aliud itaque & quidem invicti roboris argumentum pro ea dabunt catalogi alias citati de ſcriptoribus eccleſiaſticis, in quibus latini auctores hujus ſæculi ſunt longe plures ac in ſuperioribus. In illo Theologorum Grecenſium inveniuntur Romani Pontifices Gelaſius II. ab anno 1118. Honorius II. ab 1124.: Eugenius III. ab 1145.: Alexander III. ab 1154.: Et Inncccentius III. ab 1198. Ac de primis quatuor multæ indicantur epiſtolæ, quae proſtant in collectionibus Conciliorum, & quando hæ deeſſent, novimus ab iis qui eorum vitam deſcripſerunt, doctos omnes fuiſſe, & inter doctos diu vixiſſe, religioſos ſcilicet, quorum inſtitutum profeſſi antea omnes fuerant. De Alexandro III. habemus etiam ab auctore ejus temporis apud Tiraboſchium (3) ipſum *Bononiæ reſediſſe in cathedra magiſtrali in divina pagina ante apoſtolatum eius*. Sed de doctrina Innocentii III. major eſt fama propter multa diverſi generis ejus opera, quæ ipſum demonſtrant fuiſſe Pontificem ut loquar cum Bellarmino (4) *multæ pietatis & doctrinæ, nec minoris prudentiæ in eccleſia gubernanda*. Novaes (5) hunc dicit auctorem Orationis *A cunctis*, quam certo anni tempore in Sacris audimus, & Sequentiæ *Stabat mater doloroſa*, & alterius fortaſſe *Veni S. Spiritus* (n.592.).

601. In Ordinibus religioſis plures fuiſſe hoc ſæculo doctos teſtantur libri, quos ex ipſis habemus. Muratorius (6) promulgavit annales Joannis Monachi S. Vincentii ad Vulturnum, quos auctor obtulit anno 1108. Romano Pontifici Paſchali II. & illos alterius Ioannis monachi Caſaurienſis ſcriptos ann. 1182. Leo Marſicanus monachus Caſſinenſis Cardinalis ab Urbano II. creatus, qui vivebat adhuc anno 1115. ſcripſit *Chronicon monaſterii* ſui, deductum uſque ad annum 1080., quater editum cum continuatione Petri Diaconi ibidem tunc monachi, qui proinde confundendus non eſt cum Petro Diacono ſæculi quinti auctore. De doctrina junioris

 ejus-

(1) Hu. Orig. des *Romans*.
(2) Ti. Sto. *Lett.* to. 3 *l.* 4 c. 7 in fine.
(3) Ti. Sto. *lett.* to. 3 *l.* 4 c. 7 n. 24.
(4) *Be.* *Script.* eccle.
(5) No. de Pontefi.
(6) Mu. *Scrip.* rer. ital. to. 2 p. 2.

ejusque libris docebit Tiraboſchius (1). In his unus eſt *de viris illuſtribus Caſinenſibus*, ex quibus multi occurrunt, quos laudat propter plura ab eis ſcripta carmina.

602. Quoniam de poetis incidit ſermo non omittam Domnizonem presbiterum, quem Theologi Grecenſes ad annum 1120. dicunt ſcripſiſſe *Vitam S. Methildis in libris duobus carmine heroico*, hoc eſt piiſſimæ & de Eccleſia Romana optime meritæ Comitiſſæ Mathildis, addita deinde etiam narratione de ejus obitu, qui accidit anno 1115., quos libros in novam lucem emiſit Muratorius (2). In catalogis auctorum eccleſiaſticorum quisque invenit Gratianum patria Cluſinum, certe monachum, Benedictinum ne an Camaldulenſem incertum juxta Tiraboſchium (3). Cum ille quotquot ante ſe jus Canonicum tractarunt ſuperaverit promulgat opere quod inſcribitur *Decretum*, *seu Concordantia diſcordantium canonum* jure ab omnibus celebratur tamquam vir pro ſuo tempore doctiſſimus, præterquam ab anonymo auctore mali dictionarii ſcriptorum eccleſiaſticorum a Stortio editum, qui ignorantem appellat. Mortuus dicitur a Ricciolio (4) anno 1150., ſed hoc etiam incertum.

603. In iisdem catalogis invenitur Petrus Lombardus Theologorum dux natus in territorio Novarienſi juxta communem opinionem, cui non nemo apud Tiraboſchium (5) contradicit, qui obiit anno 1160., cum factus fuerit anno antecedenti Epiſcopus Pariſienſis, & Petrus Comeſtor, qui magiſter dicitur hiſtoriæ ſcholaſticæ, quia ex cancellario Academiæ Pariſienſis factus Canonicus Regularis ad S. Victorem ſcripſit *in uſum fratrum ſuorum hiſtoriæ ſcholaſticæ libros* 16. ſæpius editos. Illum nuper aliqui apud eumdem Tiraboſchium (6) coniiciunt fuiſſe Sanminiatenſem ex familia Manducatorum, quæ in ea Etruriæ civitate eodem tempore, & ſæculo etiam inſequenti floruit: communiter tamen creditur Trecenſis, certe Eccleſiæ Trecenſis fuit decanus, & obiit anno 1178. Pariſiis in monaſterio S. Victoris.

604. Tres laudati ſcriptores & magiſtri temere omnino crediti olim fuerunt fratres ex matre. Catalogos eccleſiaſticorum auctorum latinorum uſque ad hanc diem compoſitos admodum augeri poſſe quisque intelliget, qui legat Tiraboſchium, ubi de his temporibus agit in hiſtoria de literatura italica. Paſſim enim occurrent alii hujus generis ſcriptores, & quidem ad ſolam italiam pertinentes, qui in hujusmodi catalogis deſiderantur, etſi eorum opera typis ſunt promulgata. Quod ſi ex eadem hiſtoria colligat alios italos auctores, non eccleſiaſticos, caſtra latinitatis ad novas legiones recipiendas neceſſe erit amplificet, & multo magis ſi Gallos, Hiſpanos, & Germanos advocet ex hiſtoricis harum nationum, qui ad inſtar Tiraboſchii agant de propria ipſis literatura.

605. Cer-

(1) Ti. Sto. lett. to. 3 l. 4 c. 2 n. 38.
(2) Mu. Rer. ital. ſcrip. to. 5.
(3) Ti. Stor. to 3 l. 4 c. 7 n. 33.
(4) Ric. Chron. to. 4 indic. 2.
(5) Ti. Stor. to. 3 l. 4 c. 2 n. XI.
(6) Ti. ibid. p. 16.

605. Certe in Italia inter poetas latinos de rebus non ſacris invenio Anonymum Novocomenſem, qui heroico carmine deſcripſit, quæ ipſemet vidit in atroci & diuturno bello, quo Mediolanenſes & Novocomienſes ſe lacerarunt ab anno 1118. uſque ad 1127.: Et Moyſem Bergomenſem probabiliter ex familia Mozziorum, quæ adhuc floret, qui de laudibus Bergomi poema confecit circa annum 1112. In hiſtoricis eſt Landolfus junior, qui ſcripſit de rebus Medionalenſibus ab ann. 1095. uſque ad 1137., & Raulum qui de iiſdem egit ſpectantibus ad annum 1154. usque ad 1157. Eſt Otto Morena, qui hiſtoriam Laudis Pompeiæ duxit uſque ad ann. 1162., ejusque filius Acerbus, qui illam patris continuavit uſque ad 1157. Eſt Caffarus, qui de patria ſua Janua ſeu Genua hiſtoriam dedit eorum, quæ ipſe vidit ab anno 1100. uſque ad 1163., continuatam ab Oberto per annos decem, & ab Ottobono per alios 23., adeoque uſque ad 1196. Eſt Alexander Abbas coenobii S. Salvatoris in regno Neapolitano, qui retulit, quæ in eo acciderunt ab anno 1127. uſque ad 1135. Eſt Falco Beneventanus, cujus eſt *Chronicon rerum Beneventanarum ab anno* 1102. Eſt aliud Chronicon Romualdi Salernitani Archiepiſcopi ab orbe condito ad annum 1178., quod *nusquam impreſſum legitur*, dicunt Theologi Greceenſes. Proſtat tamen jam inter Scriptores rerum Italicarum Muratorii (1). Eſt tandem Ugonis Falcandi hiſtoria de Sicilia, cujus calamitates ab anno 1154. ad 1169. præcipue perſequitur.

Articulus VI.

Lingua latina extincta non fuit sæculo Chriſti decimo tertio, nec decimo quarto.

606. PRo ſæculo decimo tertio non commemorabo latinas conciones SS. Franciſci Aſſiſiatis, & Antonii Patavini quorum primus obiit anno 1226., ætatis ſuæ 44., ſecundus vero anno 1231., vitæ trigeſimo ſexto, quia (2) *ſine dubio*, inquit Muratorius, *habita fuerunt ad populum lingua vulgari, & deinde in latinum versa*. Quod de S. Franciſco facilius quisque credat. Nam ille vitæ apoſtolicæ ſe dedit anno 1208. ætatis ſuæ vigeſimo ſexto, poſtquam ſacro adſtans audivit ea Evangelii verba (3) *Nihil tuleritis in via neque virgam, neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis*, quæ inquit Flaminius Annibali (4) *intellexit non ſolum per divinam inſpirationem, ſed etiam per ſufficientem notitiam, quam de lingua habebat latina*, vel ut non nemo addet, per factam a Sacerdote explicationem S. Evangelii. Ceterum ſufficiens notitia ad intelligenda verba latina non ſufficit ad habendas latinas ad po-

 pulum

(1) Mu. to. 5
(2) Mp. Orig. d. ling. ital.
(3) Luc. c. 9.
(4) An. Manuale de Fra. min.

pulum conciones. Atque hinc planum eſt Italos tunc non fuiſſe latine loquutos, adeoque ne illos quidem, qui ea ætate concionabantur.

607. Propterea non credam latinas fuiſſe conciones, quas ann.1233. & aliis deinceps habuit Joannes Vicentinus ex Ord. Praedic. primo Bononiæ, & deinde in tota Gallia Ciſalpina ſacras ad populum alloquutiones, quibus omnium animos ita commovebat, ut ad ejus nutum Magiſtratus novas leges componerent, bella ceſſarent, quæ jamdiu erant inter finitimas reſpublicas, & ſeditiones ac odia extinguerentur, quæ in ſingulis civitatibus & pluribus familiis ardebant. Viſi tunc ad ejus verba omnes cujuscunque ordinis & ſexus ad bonos mores revocati, & auditæ laudes Sanctiſſimi Redemptoris noſtri late reſonantes. Tiraboſchius (1) in adornanda horum quaſi hypotypoſi diligenter verſari voluit, quia inquit eſt inter res hujus ætatis prorſus admirabiles. Quod vero nullæ ex ipſius aliorumque ſacrorum oratorum concionibus ſuperſtites ſint, cauſſam dicam eſſe, quod eas ex aliqua quidem meditatione præhabita, ſed non ex ſcripto haberent, & nulli fuerint, qui eas notis compendiariis exciperent, quemadmodum factum credam de illis SS. Franciſci & Antonii, quæ extant, ſed in lingua ſolum latina, propterea quod illa vulgi credebatur indigna, qua aliquid ſcriberetur, quod in manus poſterorum perveniret. Dum enim novi, ut ſupra (n.486.) obſervavi, conſervata eſſe italice ſcripta ſæculo decimo tertio carmina hiſtorias & epiſtolas, videtur mihi incredibile non extituras fuiſſe horum Sanctorum conciones, ſi vere eas ipſi ſcriptis mandaſſent.

608. Quare merito Dominicus Manni primum (2), & deinde Apoſtolus Zeno (3) confutarunt Fontaninum, qui conatus eſt ſuadere in templis toto ſæculo 13., & aliis etiam duobus ſequentibus habitas non fuiſſe conciones niſi in lingua latina. Muratorius apud Tiraboſchium (4) protulit manuſcriptum anni 1189., quod narrat Gherardum Epiſcopum Patavinum habuiſſe ſermonem in lingua ut ibi dicitur *maternali*, hoc eſt vulgari, qui erat explicatio illius, quem *literaliter ſapienter*, hoc eſt latine antea juxta eccleſiaſticam illius temporis diſciplinam habuerat Godtfridus Patriarcha Aquileenſis in ſolemni cujusdam eccleſiæ conſecratione. Italicæ ſunt conciones Jordani Rivalta Piſani Ord. Præd. promulgatæ a laudato Manno, & de puro ſermone commendatæ a Tiraboſchio (5) quas neceſſe eſt auditas fuiſſe longe ante adultum ſæculum decimum quartum, cum earum auctor Placentiæ obierit anno 1311.: & longe ante finem ſæculi decimi quinti ſuos ad populum ſermones lingua vulgi habuiſſe ſacros oratores teſtis eſt Aurelius Brandolini, qui Florentiæ in patria ſæculo decimo quinto occubuit in Ordine S. Auguſtini, cui nomen dederat, poſtquam in diverſis etiam Pannoniæ Academiis humaniorum literarum profeſſor

(1) Ti. Stor. to. 4 l.2 c. 4 n.3.
(2) Ma. Pref. alle pred. di F. Giord.
(3) Ze. Elog. ital. l. 3 c. 2 cum not.
(4) Ti. Stor. to. 4 l.3 c. 5 n.28.
(5) Ti. Stor. to.5 l. 3 c. 4 n.13.

Digitized by Google

feſſor varias publicaverat lucubrationes. Hic enim in præfatione operis *De ratione ſcribendi* iterum Romæ impreſſi anno 1735. hæc habet, *Conciones patria fere oratione pronunciantur: paucæ admodum aut Sanctorum aut defunctorum laudationes latina lingua habentur*.

609. Quæ hic advertimus ſuadent quidem vulgi linguam ubique hoc ævo magis magiſque diſtaſſe a latina, at qui ubique pariter eodem tempore floruerunt viri pene dixerim innumerabiles, qui de omni fere diſciplinarum genere latine ſcripſerunt, ſuadent latinæ pariter ſcientiam non defeciſſe. Quicunque ſolos libros conſulat, qui eccleſiaſticos ſcriptores chronologice recenſuerunt, multas opus eſt paginas evolvat, ſi omnes velit aliquo modo cognoſcere, multoſque in omni fere Europæ natione reperiet. In his eminent Albertus Magnus natione Suevus, & SS. Thomas Aquinas patria Neapolitanus., Raymundus de Penna forti Barcinonenſis., Bonaventura Balneoregienſis, aliique. Etſi ex doctrina, quæ in eorum libris continetur maxime nata eſt ipſorum celebritas.

610. Non tamen deſunt hoc ævo, qui præcipue ex elegantia ſermonis latini laudantur, ut Saxo grammaticus Danus, mortuus juxta Ricciolium (1) anno 1226., qui hiſtoriam Daniæ ſcripſit fabulis quidem inquinatam, ſed ſtilo eleganti exaratam, crebriſque ſententiarum luminibus illuſtratam, ut Eraſmus valde illum ex hac parte fuerit admiratus, ut referunt Theologi Grecenſes (2), qui ad annum 1199., commemorant Galfridum Vineſauf, latine de Vino ſalvo, auctorem plurium latinorum poematum, quæ auctore Tiraboſchio (3) qui de hoc poeta erudite & ſubtiliter diſſerit, incredibili plauſu excepta tunc fuerunt, quorum unum agens de arte poetica dedicat Innocentio III., qui Romanus Pontifex renuntiatus fuit anno 1198.: aliud vero eſt de laudibus Richardi Angliæ regis, cuius occiſionem, quæ accidit anno 1199. luget, & de præclare ab eo geſtis contra Saracenos in Oriente, quorum ipſemet teſtis fuit de viſu, hiſtoriam compoſuit, quæ proinde ad ſæculum decimum tertium proprie ſpectant, ſuadentque non defuiſſe eo tempore, qui cognitionem haberent non vulgarem linguæ latinæ, qualis requiritur ad poeſim.

611. Iidem Grecenſes ad annum 1210. loquuntur de alio Anglo poeta Gualtero Mapes Archidiacono Oxonienſi quem non nemo eumdem credit cum prædicto Galfrido, ſed quæ ex hoc referuntur poemata, plane evincunt eſſe omnino diverſum; & ad annum 1240. loquuntur de Roberto Capitone, anglice Groſshead, quem dicunt *ſcriptorem nobilem, & in re literaria ad ſummum apicem evectum*.

612. Pro ſæculo decimo quarto exercitus habetur ſcriptorum latinorum, quem conſtant quaſi totidem acies, Theologi, Philoſophi, Mathematici, Medici, Juriſconſulti, Hiſtorici, Philologi, Grammatici, & Poetæ. Ad theologos pertinent ſcriptores Eccleſiaſtici, quorum prægran.

(1) Ric. Chron. to.4.
(2) Gre. Epit. ſcrip. ann 1210.
(3) Ti. Stor. to.4 l.3 c.4.

Digitized by Google

grandem multitudinem late hoc ævo diffuſam per omnes Europæ nationes legimus apud auctores, qui illos ordinatim propoſuerunt. Siquis vellet ſimili modo conficere catalogos eorum qui in ſingulis facultatibus jam dictis operam ſuam navarunt, profecto magnum in ſingulis numerum inveniret; Nam Tiraboſchio, qui de ſolis Italis loqui ſibi propoſuit, tanta hoc ſaeculo turba occurrit, ut de iis ſolum dicere ſtatuerit, qui prae ceteris fuerunt inſignes. Ne ipſe prorſus de omnibus ſileam, de aliquibus meminero, qui de aliqua latini ſermonis elegantia, vel majori in illam ſtudio commendantur.

613. In his ſunt Albertinus Muſſatus Patavinus, mortuus ann. 1330. qui propter latina ſua carmina a ſuamet patria corona laurea fuit inſignitus, & Jacobus Cajetanus de Stephaniſcis, creatus Cardinalis a Bonifacio VIII., cujus coronationis hiſtoriam, & vitam Caeleſtini V. eiusque canonizationem tribus poematis complexus eſt, quae de elegantia laudant Theologi Grecenſes (1), qui praeter Abbatem de Sade commemoratum a Tiraboſchio (2) videntur ignoraſſe ea bis edita fuiſſe, primo a Papebrochio, & deinde a Muratorio. Fortaſſe Cajetani nomen quod unice ipſe uſurpavit, in errorem induxit Ciacconium, qui illum credidit nepotem Pontificis Bonifacii, quod non eſt verum, quia cognomen patris erat Stephaneſchi, & illud matris Orſini, ut ipſemet ait in praefatione ſuorum carminum.

614. Eſt Franciſcus Landini Florentinus vulgo ab organis, quae egregie pulſabat, organiſta appellatus, qui licet caecus a pueritia ex variolis non ſolum expertus evaſit in pluribus tractandis muſicis inſtrumentis, quorum aliqua etiam de novo excogitavit, ſed praeterea linguam latinam, aliasque humaniores literas ita apprehendit, ut inter bonos poetas tam italos, quam latinos ſui temporis computetur. Obiit in patria anno 1390. Eſt Coluccius Salutatus Florentinus natus anno 1330., quem omnes in ſua ſeptuaginta & ſex annorum vita ſummis laudibus extulerunt propter amplitudinem ſcientiae & eruditionis, ac eam linguae latinae peritiam, ut non nemo ſimiam Ciceronis ipſum appellaverit, & tamquam alium Virgilium alii ſuſpexerint. Sed ut advertit Tiraboſchius (3) quantum differt ſimia ab homine, tantumdem ejus opera diſtant ab illis Ciceronis & Virgilii. Eſt Zanobius a Strada ſic dictus a pago quodam prope Florentiam loco ſuae nativitatis e familia Mazzuoli, qui lauro coronatus fuit a Carolo IV. Imperatore Piſis anno 1353. tamquam inſignis poeta latinus. Præcipue tamen notum eſt ipſius nomen propter elegantem aliquot S. Gregorii Magni librorum italicam verſionem, quæ inter hujus linguæ magiſtros locum habet.

615. Eſt propter italicam poeſim celeberrimus Dantes mortuus anno 1321, qui fuit etiam poeta latinus, ut certiores nos reddunt ejusdem quae

(1) Gr. Epi. ſcrip. eccl. ad ann. 1301
(2) Ti. Lett. ita. to. 5 l. 3 c. 3 n. 8.
(3) Ti. Lett. ital. to. 5 l. 3 c. 3 n. 22.

quæ extant poemata. Eſt Joannes Boccaccius e vivis ereptus ann. 1375, qui immortalitatem quidem nominis conſequutus eſt propter ſuas ſoluta oratione narrationes impias quidem aliquando & obſcoenas, ſed ſingulari contextas alacritate & elegantia, quo non dubitandum perveniſſe per linguæ latinæ cognitionem & uſum non vulgarem, ut teſtantur quædam etiam ipſius latina carmina, præter multa, quæ in hac lingua ſcripſit ſoluta oratione.

616. Eſt tandem Franciſcus Petrarcha mortuus anno uno ante Boccaccium amicum ſuum, quem ad bonam frugem ſuis ipſe monitis ſtudioſe reduxerat. Hic coronam lauream obtinuit magna cum pompa ipſi impoſitam ab Vrſo Comite de Anguillara in Capitolio Romano, non jam propter italica carmina, quibus nunc ſuſpicitur, ſed propter ſuum de Africa latinum poema. Gloria hujus coronæ fuit quaſi fax, quæ homines cujusvis regionis & condirionis etiam infimæ ad linguæ latinæ ſtudium inflammavit, ut ſibi aditum ad parnaſſum pateret. Teſtem habemus ipſum Petrarcham, qui in epiſtola relata poſt Sadem a Tiraboſchio (1) queritur opprimi ſe a multitudine carminum, quæ indocti doctique ad ſe mittebant *ex omni angulo Italiæ, & etiam ex Gallia, Germania, Anglia & Græcia,* poſtquam noverunt honorem coronæ ab eo impetratum, & dolet Juſtiniani & Aeſculapii libros neglectos a Juriſconſultis & Medicis, qui nolunt jam audire niſi ſermones de Virgilio & Homero, ſurdi ad clamores clientum & gemitus infirmorum. Addit gratulari ſe interea Italiæ, quæ per hanc occaſionem plures jam oſtentat Florentiæ, Patavii, Sulmonæ, Neapoli, qui ſupra Pegaſum olim in ſublime extollentur. Quæ diximus quemque cogunt fateri non ſolum ſæculo decimo quarto linguam latinam non fuiſſe extinctam ſed inſolito quodam ſplendore late coruſcaſſe.

ARTICULUS VII.

Lingua latina extincta non fuit sæculo chriſti decimo quinto.

617. PRo ſaeculo decimo quinto major fuit latinæ linguae ſplendor præſertim in Italia, quia non ſolum, qui diverſis ejus provinciis dominabantur ut Romae Pontifices, Neapoli Reges, Mediolani Vicecomites & Sfortiae, Ferrariae Principes Ateſtini, Vrbini Duces, Montiferrato & Mantuae Marchiones, & alii minoris ditionis domini, ſed privati etiam qui opibus abundabant, ut Florentiae familia Medicea, & Romæ Purpurati patres ſummo ſtudio humaniores literas promoverunt, nullis parcentes ſumptibus, ut eximios illarum cultores apud ſe haberent, qui publice eas docerent. Atque in magno qui tunc proinde fuit eorum numero, celebres adhuc ſunt Victorinus Feltrienſis egregius adoleſcentum in literis & bonis moribus inſtitutor, mortuus Mantuæ anno 1447. ætatis ſuae

(1) Ti. Lett. ital. t. 5 l. 3 c. 3 n. 1.

ſuæ 68., Joannes Aurispa Noatenſis & Laurentius Valla, Placentia oriundus, ſed Romæ natus & mortuus, quorum uterque nonagenarii obierunt circa annum 1458.: Et Franciſcus Filelfus Tolentinas Florentiæ ſepultus anno 1481. ætatis ſuæ 83.: Et Gaſparinus Bergomas, qui obiit Mediolani anno 1431. cum natus eſſet Barzizæ pago prope Bergomum. Quare Barzizius appellatur in nova editione quorumdam ejus operum, quæ Romæ magnifice facta fuit anno 1723. curante Cardinali Furietto, & in his ſunt ejus elegantiſſimæ epiſtolæ, in quibus juxta Ladvocatum (1) primum apparuerunt typi Sorbonici (n. 199.). Omitto alios multos, quos videſis apud Tiraboſchium (2).

618. Omittendus tamen non eſt Angelus Politianus, ſic dictus a Monte Politiano, ubi ex familia Ambrogini, quæ per contractionem diceba. tur Cini in hanc lucem venit anno 1454, ſuique magnum deſiderium Florentiæ reliquit anno 1494., utpote qui omnium maxime accedebat ad latinos aurei ſæculi tam oratores quam poetas. Cum ſcholas Florentiæ humaniorum literarum haberet, ejus fama plures ex tota Europa ad ſe traxit, qui deinde ad ſuos reduces ad illarum amorem eosdem inflammarunt. Itaque ad eum ex Anglia venerunt Gulielmus Grecinus, qui deinde profeſſor fuit græcæ & latinae linguae Oxonienſis, & Thomas Linacrius, a quo inter alia opera habemus *de Emendata latini ſermonis ſtructura*: Ex Germania Dionyſius Reuchlin frater Joannis inter primos ſui temporis doctos etiam in linguis latina, graeca, & hebraica: Ex Luſitania Ermicus Cajade, cujus latina carmina Bononiae impreſſa anno 1501. verae elegantiae guſtum in eo transfusum a suo magiſtro demonſtrant, ſicuti & illa quae reliquit Arius Barboſa alter Luſitanus Politiani diſcipulus, Lavarae natus, quem Ladvocatus (3) dicit mortuum anno 1540., poſtquam per annos viginti Rhetor fuit Salmanticae, & deinde a Rege Emmanuele conſtitutus filii ſui praeceptor. Pauca haec circa multitudinem eorum, qui ſtipendia meruerunt per publicas ſcholas linguae latinae planum faciunt, quantum illa hoc ſaeculo ubique fuerit amplificata.

619. Hoc evidens etiam reddunt opera eorum, qui tunc latine ſcripſerunt. In catalogo ſcriptorum eccleſiaſticorum a Theologis Grecenſibus contexto videas Italos, Gallos, Hispanos, Germanos, Belgas, Hollandos, Scotos, Anglos, Dalmatas, & etiam Graecos, qui cum in ſuam linguam aliqua Latinorum opera tranſtulerint, jam hujus etiam peritos ſe comprobarunt. Ab his tamen latinis operibus excipiendi ſunt ſermones S. Bernardini Senenſis, qui obiit anno 1444. jam ſenex, quos pariter Muratorius (4) nolit quemquam dubitare lingua vulgari habitos ad populum, & ab aliis poſtea latine redditos, ut etiam non Itali ex illis proficerent. Qui hiſtorias literarias cujusque nationis conſulat vel conficiat, credo equidem inventurum inſignem latinorum auctorum multitudinem, qui hoc ſaecu-

(1) La. Dic. ar. Gasparino.
(2) Ti. lett. to. 6 p. 2 c. 5.
(3) La. Dizi. Barbosa.
(4) Mu. Orig. d. ling. Ital.

ſaeculo floruerunt. In illa quidem Italiae, quam admirabili ſagacitate & venuſtate Tiraboſchius concinnavit, tanta m inverio, ut juvet ex iis, quorum ſtilus incultus non eſt primo aliquos commemorare ſecundum ordinem anni illorum natalis, quia quae ſcrip ſerunt pertinent ad hoc ſaeculum, cum ipſi non longe a principio ſequenti obierint, & aliōs deirde ſecundum illum anni emortualis.

620. Itaque Antonius Bonfini natus Aſculi in Piceno anno 1427. & mortuus 1502. elegans fuit hiſtoricus. Marcus Antonius Sabellicus, qui nomen Joannis, & cognomen Coccii reliquit, quia in lucem venit circa annum 1436. in vico Varronis, contermino Sabinis, qui etiam Sabelli appellantur, primus eſt qui hiſtoriam Reip. Venetae latine cum aliqua elegantia deſcripſit. Obiit anno 1506. Triſtanus Caraccioli natus circa annum 1439., & circa 1517. defunctus, & Antonius Ferrari cognominatus Galataeus a loco nativitatis anno 1444. prope Neritum, Lipſiae poſt annos 72. ſepultus, de latinis hiſtoriis eleganter ſcriptis bene ſunt meriti. Bernardus Oricellarius Florentiae natus anno 1449., & 1514. extinctus laudatur de ſermone non inquinato in ſcriptis de Urbe Romae & de Magiſtratibus Romanorom, qui liber ſine nomine auctoris, quod aliunde conſtat, editus fuit Lipſiae anno 1752. cura Io. Erneſti Valchii, ad quem Anton. Franciſcus Gorius illum transmiſerat. Triſtanus tandem Calchi, cujus nativitas ponitur circa annum 1462. & mors poſt quinquaginta, ab omnibus excepto Clerico (1) inter cultos hiſtoricos numeratur.

621. De aliis jam meminero ex ordine quo vitæ ſuæ finem habuerunt, quibus locus inter latinos ſcriptores pro ſuo tempore elegantes communi ſuffragio conceditur. In his anno 1452. fuit Dominicus Fiocchi Florentinus auctor libri de Romanorum magiſtratibus, quem diu multi crediderunt eſſe Lucii Feneſtellæ antiqui hiſtorici. Anno 1457. fuit Bartholomæus Facius Spedienſis, qui de geſtis Alphonſi Regis Neapolitani, & de viris illuſtribus ſcripſit. Anno 1459. fuit Poggius Bracciolini, Florentinus vulgo dictus, quia Florentia ubi ſepultus eſt civitati illum adſcripſit, cum natus eſſet prope Aretium anno 1380, non inelegans multorum operum auctor. Anno 1466. fuit Benedictus Accolti Aretinus hiſtoricus belli ſacri a Chriſtianis geſti pro Chriſti ſepulcro, & Judæa recuperanda. Anno 1471. fuit Antonius Panormita ſic dictus a Panormo, ubi natus erat e familia Beccadelli, dictus etiam Bologna, quia e Bononia venit hæc familia. Anno 1480. fuit Nicolaus Perottus decus Saxoferrati patriæ ſuæ, in cujus operibus judice Paulo Corteſio (2) *ſermo eſt non inquinatus, & multa habet oratoria ornamenta*. Anno 1494. fuit Georgius Merula natus Alexandriæ Statelliorum; & anno 1496. Calimachus Experiens, qui ſic vocari voluit, cum natus eſſet in oppido S. Geminiani in Etruria ex familia Buonaccorſi: Et anno 1497. Aurelius Brandolini Florentinus, qui etſi caecus ſin minus ab incunabulis, certe ab ipſa pueritia, doctiſſimus evaſit

(1) Cl. Bib. chris. to. 5.

(2) Co. de homi. doct. pag. 39.

ſit in humanis & ſacris literis , & inter multa , quae referunt Theologi Grecenses (1) ipſius opera , eſt illud ſupra (n. 608.) commemoratum *de ratione ſcribendi* a multis laudatum de ſingulari elegantia , quibus ſuum calculum adiecit Tiraboſchius (2) .

622. Anno 1498. fuit Julius Pomponius Laetus ex magna familia regni Neapolitani non legitime natus , cujus diligentiae debemus ſublatos multos errores e libris veterum latinorum pro munere , quod diu exercuit publici humaniorum literarum profeſſoris . Inter elegantes ejusdem temporis proſaicos , ſed aliquo a praedictis intervallo diſtantes eſt circa annum 1430. Petrus Paulus Vergerius ſenior Iuſtinopolitanus cujus libellus de ingenuis moribus Pauli Iovii aetate pueris in ſcholis explicabatur : Et anno 1435. Andreas Biglia Mediolanenſis , qui hiſtoriam ſui temporis ſcripſit : Et anno 1444. Leonardus Aretinus e familia Bruni , qui multa promulgavit , quae praeſertim de genere hiſtorico lectu jucunda ſunt propter vim dicendi ſibi propriam : Et anno 1463. Flavius Blondus natus in Foro Livii , qui fuit a ſecretis Romani Pontificis Eugenii IV. & aliorum deinceps usque ad Pium II. : Et anno 1464. ipſe hic Pius ex Senenſi familia Piccolomini .

623. Quoniam autem major latinitatis peritia colligitur a poetis , tantus horum numerus occurrit ex ſola Italia Tiraboſchio (3) ut noluerit niſi de illuſtrioribus diſtinctim aliquid dicere . Atque ex his ego aliquos dumtaxat commemorabo , qui de elegantia communiter laudantur . Hujusmodi ſunt Baſinius Parmenſis mortuus Arimini anno 1457. , cujus tamen pauca ſunt typis promulgata e ſuis carminibus , quae hoc digna honore jacent in bibliothecis , e quibus quaedam nuper eruit Amadutius , ut inferius dicam , & Bartholomaeus Pagellus Vicentinus , qui vivebat anno 1461. Tibullo ac Propertio par a nonnullis habitus : Et Iovianus Pontanus e Cereto Dioeceſis Spoletinae mortuus quidem anno 1503. , ſed aetatis suae 77 , quare propter ipſius carmina , quae aureum ſaeculum redolent , pertinet ad hoc decimum quintum : eademque de cauſſa meminero de Aurelio Augurello Ariminenſi elegantiſſimo poeta , qui octogenarius obiit anno 1524. Baptiſtam Mantuanum huc adduceret Eraſmus (4) quia octogenarius pariter e vivis exceſſit anno 1516. , & Virgilio proximum praedicavit . Sed ſingularis eſt haec ejus opinio ; communiter enim in poetis hujus temporis locum inſignem habet propter copiam magis quam propter carminum elegantiam . Evidens igitur eſt linguam latinam nunquam ſaeculo decimo quinto extinctam fuiſſe .

A E.

(1) Gr. Epi. ſcript. eccl. ann. 1488.
(2) Ti. Lett. to.6 p.3 l.3 c.4 n.26.
(3) Ti. Lett. ita, to.6 p.2 l.3 c.4.
(4) Er. epiſ. 395 to2.

Digitized by Google

ARTICULUS VIII.

Lingua latina extincta non fuit ſæculo Chriſti decimo ſexto.

624. SPlendor linguæ latinæ ſæculi decimi quinti fuit quaſi aurora illius, quo ſæculo decimo ſexto refulſit, quia propagata arte typographica, quæ facilius reddidit omnium diſciplinarum ſtudium, multi etiam ex vulgo ad eas incubuerunt, quibus quaſi ſtimulum applicavit apertus favor, quo certatim illarum pulchritudine & ſuavitate capti easdem proſequuti fuerunt omnes fere cujuscunque loci Magiſtratus, Respublicæ, Principes, & qui præſertim potentia omnes ſuperabant Galliarum Rex Franciſcus I. & Leo X. Romanus Pontifex, immortalis humaniorum literarum promotor, eorum qui illa feliciter excolerent inſignis Mecænas, bonarumque artium omnis generis ſtudioſus amplificator pro exemplo avorum ſuorum, & Magni Laurentii de Medicis patris ſui, ita ut plusquam centum latinos poetas non vulgares, de quibus meminit Tiraboſchius (1) ſola Roma eo regnante haberet. Atque in tanta ubique frequentia eorum qui hac ætate linguam latinam impenſe excoluerunt, multi ſunt, quos in ſui ſocietatem illi aureæ ætatis libentiſſime admiſiſſent, quorum aliquos juvat commemorare.

625. Itaque Petrus Alcyonius filius tetræ, Venetiis natus, & Romæ mortuus anno 1527. poſt vitam annorum circiter quadraginta, quam duxit hominibus inviſus propter ſuam dicacitatem, & Deo propter ſuam irreligionem & improbitatem, ut oſtendit Tiraboſchius (2), hic tam pura latinitate ſcripſit duos *de Exilio* libros, ut multi præeunte Paulo Jovio, quos nominat Io. Burchadns Menkenius in præfatione ad novam eorum editionem anno 1707 ab ipſo adornatam, crediderint in eos inſeruiſſe duos de Gloria a Cicerone perſcriptos, qui tempore Petrarchæ extabant; Nam ipſe in ſuis ſenilibus apud Tiraboſchium (3) narrat dono ſibi datos a Raimundo Soranzo, & a ſe amiſſos vehementer queritur, cum eos Convenevolo civi Pratenſi, præceptori olim ſuo in grammatica & rhetorica commodaverit. Neſcio an huic in Alcyonium accuſationi, quam citatus Menckenius non omnino levi argumento credit Iovii impoſturam atque calumniam, anſam dederit, aut pondus auxerit Geneſius, qui eodem Iovio referente in ſuis dialogis ab eodem Tiraboſchio (4) publicatis, *hiſpanica ſedulitate excuſſis eius* Alcyonii *operibus integra paſſim ex Cicerone, atque transpoſita clauſularum furta edito libro publicavit, ut ille propterea mirabili pudore adductus univerſos* Geneſii *libros per ſingulas Italiæ tabernas conquirere, emptosque cremare conatus fuerit.*

(1) Ti. Lettr ital. to. 3 l. 3 c. 4.
(2) Ti. Stor. to. 7 p. 2 l. 3 c. 2 n. 27.
(3) Ti Stor. to. 1 & to. 5 l. 3 c. 3 n. 9.
(4) Ti. Stor. to. 9.

Digitized by Google

626. Eadem accuſatio de furto ejusdem Cicerioniani operis de Gloria renovata fuit contra Hieronymum Oſorium Ulyſipponenſem, qui tamen Bononiæ etiam ſtuduit, mortuum anno 1580. ætatis ſuæ 84., quando latinum ſuum de gloria opus elegantiſſimum apparuit. Utriusque accuſatores & vindices habentur in Diario Literatorum italico per Zenum (1). Carolus pariter Sigonius mortuus anno 1584. ætatis ſuæ circiter 60., vulgo jam habetur pro auctore libri de Conſolatione, quem quidem ipſius amicus typis mandavit ſub nomine Ciceronis, quaſi illum invenerit, qui ab eo perſcriptus creditus fuit periiſſe. Atque poſtquam Sigonius vehementer contendit ipſum Ciceroni aſſerere contra Antonium Riccobonum, qui primus animadvertit Ciceronis non eſſe, ipſemet a multis de impoſtura condemnatus fuit ſane admirabili, a qua tamen nuper Tiraboſchius (2) eum ſicuti & Alcyonium & Oſorium conatus eſt liberare.

627. Eodem ſæculo decimo ſexto habemus in Italia Paulum Manutium, & Aldum ejus filium, & Marcum Ant. Majoragium, aliosque perquammultos, quos laudat Tiraboſchius (3): in Gallia M. Antonium Muretum, Dionyſium Lambinum, Adrianum Turnebum: in Hiſpania Ludovicum Vivem: in Belgio Chriſtophorum Longolium: in Scotia Georgium Buchananum: in Hollandia Eraſmum. Hos nominare idem eſt, ac provocare omnes, qui elegantiam latini ſermonis amant, ad illis plaudendum, quoniam ſinguli in hoc genere inſignes fuerunt. Ubi inferius oſtendam diſciplinas quæ latine doceantur, tradendas eſſe ſermone non barbaro, alii multi occurrent, qui laudem etiam ex hac parte conſequuti fuerunt ampliſſimam ante ipſum ſæculi decimi ſexti dimidium, quo nondum erat Societas Ieſu. Ab ea enim fundata anno 1540. quis numeret quot deinceps extiterunt felices Tullianæ elocutionis imitatores per ipſius Societatis alumnos, Io. Petrum Perpinianum, quem (4) *eloquentiæ laude cum primis noſtræ ætatis comparandum, neque antiquis abſimilem*, dixit Ioannes Mariana, cujus ſententiam commemoro, utpote hominis ejusdem temporis, ejusdem nationis hiſpanae, & paris meriti ex hac etiam parte caſtae latinitatis, Franciſcum Bencium, Horatium Turſellinum, nomina in faſtis linguæ latinæ praeclariſſima, qui fuerunt publici rhetores ante finem hujus ſæculi, cum Perpinianus deſideratus fuerit anno 1556. Bencius 1594. Turſellinus 1599.: & Marianna 1624.

628. Non ſolum autem hoc ſæculum exhibet latinas proſas ſaeculo aureo dignas, ſed etiam carmina. Nam Iul. Cæſar Scaliger apud Ladvocatum in Diction. ipſis Propertii elegiis præponebat aliquas Balthaſſaris Caſtiglionii, qui obiit Toleti anno 1529., & de quo Hieronymus Ferri elogium ſcripſit præmio affectum ab Academia Mantuana, & anno 1780. impreſſum typis ejusdem urbis, quae Caſtiglionium inter ſuos cives numerat.

(1) Giorn. to. 3 ar. 1.
(2) Ti. Stor. to. 1 p. 5 l. 3 c. 4 n. 13.
(3) Ti Hiſt. to. 7 l. 3 p. 3.
(4) Ma. Schol. in Vet. Teſt. præf.

Digitized by Google

merat. Joſephus Scaliger Cæſaris filius credidit referente Aimerichio (1) eſſe antiqui auctoris quædam carmina M. Antonii Mureti, mortui anno 1585., quæ Muretus ipſe ad eum miſerat, tamquam nuper eruta ex antiquiſſimis bibliothecæ cujusdam membranis, ut ipſi perſuaderet inaniter ſibi arrogare vim diſcernendi veterum latinorum opera ab illis cujusvis recentioris. Poema *de principiis rerum* Scipionis Capece, qui auctore Tiraboſchio (2) vivebat adhuc anno 1561., quantum ad elegantiam non cedere Lucretio judicarunt Bembus & Manutius, ipſumque P. Abbas Ricci dignum cenſuit in itala carmina translatione Venetiis impreſſa ann.1754.

629. Poemata Jacobi Sanazzarii Neapolitani, qui deſiderium ſui reliquit anno 1530. poſt vitam ductam per annos 72.: & illa Honorati Faſcitelli Monachi Caſinenſis Romæ mortui anno 1564., cum natus eſſet Aeserniæ ann.1502., quæ ad calcem operum Sanazzarii leguntur in editione Cominiana: & illa Petri Angelii Bargæi mortui anno 1596. ætatis ſuæ 79.: & Gabrielis Faerni Cremonenſis immatura morte ſublati Romæ anno 1561., & M. Antonii Flaminii ex Foro Cornelii, qui annos natus 52. finem habuit Romæ anno 1550.: & Hieronymi Fracaſtorii Veronenſis mortui anno 1557. ætatis ſuae 71.: & Jo. Cottae pariter Veronenſis in ipſa annorum octo ſupra viginti juventute e vivis ablato, quae typographus Cominius Fracaſtoriis adiecit: & Nicolai de Arco Tirolenſis, qui finem vitae habuit anno 1546., aetatis 77., ex communi ſententia propius accedunt aureae aetatis poetis, quam opera Silii, Statii, Lucani.

630. De carminibus Angeli Colocii Aeſini qui ab anno 1467. vixit usque ad 1549., & de illis Baſilii Zanchi Bergomatis qui fuit avunculus, et praeceptor celebris Io. Petri Maffeii in linguis graeca & latina, mortui anno fortaſſe 1558., cum natus eſſet circa initium hujus ſaeculi teſtatur Tiraboſchius (3) ea non cedere aliis, quae habentur a melioribus hujus aevi poetis. Poetica Hieronymi Vidae nobilis Cremonenſis mortui anno 1566., cum ut optimis argumentis contendit Tiraboſchius (4) natus eſſet circa annum 1496., *Scaligeri ſententia* inquit Joſephus Marianus Parthenius (5) *Horatianæ antefertur, certe elegantia carminis, & rerum ordine, & præceptorum delectu digna eſt, quæ a poeticæ ſtudioſis ſæpius legatur*, & jam olim Sadoletus Vidam appellavit *magniloqunm, & cuius proxime ad antiquam laudem carmen accederet*.

631. Hujus temporis fuit Andreas Maro oriundus ex Brixia, ſed natus Pordenone pago Fori Julii, Poeta latinus extemporalis, qui referente Tiraboſchio (6) Romae ubi obiit ann.1527. aetatis ſuae quinquageſimo nono admirationem omnium, & ipſius Pontificis Leonis X. ſibi conciliavit fluiditate carminum, quae ad lyrae ſonitum, quam ipſemet pulſabat, fun-

(1) Aim. Paradon. di. 2 n. 62.
(2) Ti. Stor. to 7 p. 3 l. 3 c.4 n.47.
(3) Ti. Stor. to.7 l. 3 c.4 n. 6 & 15.
(4) Ti. Stor. to.7 p.3 l.3 c.4 n.39.
(5) Pa. Orat. de ital. princ. in lit. n.34.
(6) Ti. Stor. to.7 pa.3 l.3 c.4 n.9.

Digitized by Google

fundebat plena elegantiae & poetici ſpiritus, qui tamquam ignis ſenſim augebatur; ita ut micarent oculi, ſudor per vultum diffueret, & venae inflarentur, quemadmodum de Aurelio Brandolino ſupra (n. 621.) laudato referunt teſtes de viſu apud Tiraboſchium (1) qui in hoc etiam praedicant admirabilem, quod lyra ſumpta verſus in quovis metro italicos credo, frequentiſſime de quovis ſibi tradito argumento ex tempore caneret: & de Bernardino Perfetti equite Senenſi poſterorum memoriae tradidit laudatus Parthenius italice quidem in Vitis Arcadum, & latine in ſuis *commentariis*, quod iam multae Italiae urbes viderant & ipſa Roma, ubi corona laurea admirandi cantus praemium ut ait Io. Lami (2) data illi fuit in Capitolio ex decreto Bened. XIII. maxima omnium ordinum frequentia 3. Nonas Maii anni 1725., quo Urbem venit in comitatu Magnae Etruriae Principis Violantis a Bavaria.

632. Mitto Cammillum Quernum, aliosque ſub Leone X. extemporales poetas latinos, quia longe inferioris notae. Silvius enim vero Antonianus Cardinalis Romae natus in tenui fortuna anno 1540., ibique vita functus poſt annos ſexagintatres dignus eſt, qui hic nominetur, quia ex hac etiam parte quod adoleſcens latinos optimos verſus ad lyram caneret a multis commendatur apud Tiraboſchium (3).

Articulus IX.

Lingua latina nec ſaeculo decimo ſeptimo nec noſtro extincta unquam fuit.

633. SÆculo decimo ſeptimo propter conſtitutas a quibusvis regibus, principibus, & alterius generis dominationibus publicas humaniorum literarum ſcholas, & erectas omnium diſciplinarum cathedras in multis per Europam primariis civitatibus latina lingua latius diffuſa eſt, nec in eo deſiderantur, qui pares habentur optimis inter veteres auctoribus, vel oratoribus vel hiſtoricis vel de alia quavis ſcienria agentibus per orationem certis numeris non adſtrictam, ſed ad omnes elegantiae leges exactam. Aliorum eſto cura aliquos ſaltem nominandi, qui in hoc genere praeclariores ſunt.

634. Mihi ſatis ſit de uno aut altero excellentibus latinis hujus aetatis poetis meminiſſe. Hujusmodi eſt Matthias Caſimirus Sarbievus in Lithuania natus anno 1592., unde juxta Ricciolium (4) Alani in Italiam eruperunt, mortuus Varſaviae anno 1640. Lyrica ipſius carmina ſunt qui Horatianis anteponunt. Quod cum olim quis referret, alius quaſi de temeraria propoſitione horrorem quemdam manifeſtavit, ſed qui eam retulerat, ſtatim eamdem vindicavit illi reponens, plusquam temere exiſtimari ingenium Horatii pro lyricis eſſe omnium poſſibilium ſummum: igitur

(1) Ti. Stor. to. 6 p. 2 l. 3 c 4 n. 26.
(2) *La.* Memorab. Ital. to. 1 pag. 4.
(3) Ti. ibid. n. XI.
(4) Ri. Geogr. l. XI.

tur ex hac parte potuit ab illo Sarbievi ſuperari. In hujus autem carminibus, ſententiis, dictione & formulis nihil ab ullo deprehenſum fuiſſe, quod Horatius, & aureae aetatis poetae reprehenderent tamquam minus latinum aut minus nobile, aut alio modo minus conveniens Lyricorum carminum generi. Ex iisdem credo argumentis alii ex dictis (n.623. 628. 630.) quosdam recentiores primis inter veteres compararunt, & etiam praetuleruet. Poeta hujus temporis praeclariſſimus eſt etiam Renatus Rapinus, qui Cæſaroduni natus poſt annos 66. Pariſiis obiit anno 1685., comparata ſibi gloria immortali carminibus plenis venuſtate & dignitate, iis maxime, quibus conſtant quatuor de cultu hortorum libri, de quo argumento juvat advertere verum non eſſe nullum ante ipſum poetice ſcripſiſſe; Nam Ioſephus Milius tres de eo libros Brixiæ impreſſos anno 1574. promulgavit, valde pariter propter poeſeos elegantiam commendatos.

635. Sæculum jam decimum octavum, ætas noſtra occurrit, quod cum evidens ſit latinis ſcriptoribus abundare, tres tantummodo commemorabo, in quibus videas Cicerones ac Virgilios redivivos. Alter eſt Jacobus Vanier in pago quodam dioeceſis Biterrenſis natus, & Toloſæ defunctus anno 1739. ætatis ſuæ 74. Celebre eſt ipſius poema *Prædium ruſticum*, in quo quisque admiratur foecunditatem & alacritatem ingenii, & ob oculos poſitas ruris delicias cum eleganti imaginum varietate, & gratiſſima carminum harmonia. Alter eſt Hieronymus Ferri natus ann.1713. prope Longianum iu dioeceſi Ariminenſi, & Ferrariæ denatus 27. Junii anno 1786., homo in omni genere humaniorum literarum egregie excultus, ut certatim a multis civitatibus fuerit ad publicam earum profeſſionem expetitus, & de lingua latina modo ſingulari optime meritus quam puram & elegantem exhibuit in multis, quæ publici juris per typos factæ fuerunt, lucubrationibus, quas recenſuit Anthologia Romana in diffuſo ejusdem elogio (1).

636. In his non reticeam orationem Ferrariæ impreſſam ann.1774., in qua contendit *æquiſſimo iure latine ſcribendi præſtantiam ad Italos maxime pertinere*, ejusque contra Dalembertium actionem, qui non jam minus linguæ latinae amicum ſe declaravit, ſed apertum bellum eidem indixit, dum eam tamquam inutilem traduxit in gallicis ſuis libellis *De harmonia linguarum*, & *De Latinitate modernorum*, & iterum in *Miſcellaneis literariis* (2). Cum in hac abſurda opinione alii neſcio qui jam olim extiterint, videri illorum impugnatio poteſt in duabus orationibus Romuli Amaſaei Utinenſis, qui Romae obiit anno 1552. aetatis ſuae 74., quas Bononiae habuit coram Imperatore, & Romano Pontefice, & in alia Bernardini Parthenii, qui nativitatem Spilimbergae in Foro Iulii, & mortem Venetiis ſortitus fuit anno 1589. Sed contra omnes idem pariter Cl. Ferrius utilitatem linguae latinae, & etiam neceſſitatem ex profeſſo propugnavit in editis Faventiae anno 1771., *De linguæ latinæ uſu epiſtolis*, qui-

(1) Ant, ann.1786. n.12 13 14 15 27. (2) Mi.Vol.33

quibus praemiſit laudatum a Tiraboſchio (1) *commentarium de rebus geſtis & ſcriptis Hadriani Caſtellenſis Cardinalis*, hoc eſt de familia ut ipſe contendit Caſtelli, quae illuſtris fuit in civitate Cornueti, praeclariſſimi ſub Innocentio VIII., & Alexandro VI., latinitatis vindicis, cujus opus *de vera philoſophia* iterum impreſſum fuit Romae anno 1775. cura ampliſſimi Praeſulis Benedicti Paſſionaei, qui per Autumnum anni 1787. Interamnæ in Umbria multis deſiderium ſui reliquit.

637. Tertius eſt Ioſephus Marianus Parthenius, qui pluribus proſa & carmine in publicam lucem Romae emiſſis libris latinis palam fecit aureae aetatis guſtum magis exquiſitum in utroque genere neutiquam hoc noſtro tempore deſiderari. Sub praedicto autem nomine latet Ioſeph Maria Mazzolari nobili genere natus 11. Iulii anni 1712. Piſauri, quo ejus familia tranſiit relicta Cremona, & Romae mortuus 14. Septemb. anno 1786. in domo a Card. Odoardo Farneſio pro religioſis S.I. aedificata. Equidem ejus orationes & commentarios unico quaſi hauſtu perlegi, cum in iis ſentirem Ciceronis facundiam, & imaginem contemplarer oratoris charitate in Deum & homines inſignis. Ejusdem autem ſex Electricorum libri admirabiles mihi viſi ſunt propter elegantem carminum fluiditatem & poetica ornamenta, quibus potuit argumentum a ſerio hominum genere, philoſophis quidem recentioribus dumtaxat pertractatum ita circumveſtire, ut feſtivis etiam poetis gratiſſimum accideret.

Articulus X.

Lingua Hellinica nunquam extincta eſt.

638. PRo hac propoſitae poſitionis parte ſic dico. Lingua Hellinica viva fuit & florentiſſima usque ad dimidium ſaltem ſaeculi decimi quinti per magnam orbis terrarum partem; Nam poſtquam Alexander Magnus ſupra excidium monarchiae Perſarum erexit illam Graecorum, ita horum etiam lingua ſupra ceteras triumphavit, ut teſte de ſuis temporibus Cicerone (2) *ea latisſime per omnes fere gentes audiretur*. Ipſi Hebraei auctore Tertulliano lectitabant Sacr. Scripturam ex interpretatione ſeptuaginta, & Buxtorfius in Theſauro Rabbinico ex bonis argumentis concludit graeca *ſacra legere in synagogis ſuis permiſſum* ipſis fuiſſe. De populis ad meridiem poſitis habemus Eunuchum Candacis Reginae Aethiopum habuiſſe prae manibus Iſaiam ex verſione ſeptuaginta, prout apparet ex Actis Apoſtolorum, in quibus (3) videmus interpretationem illi traditam a Philippo juxta hanc verſionem. De populis Orientalibus teſtes habemus ipſorum imperatores, qui ea utebantur in ipſis legibus, quae omnes afficerent promulgandis. De Occidentalibus tandem teſtes ſunt plures

(1) Ti. Stor. to 7 p.3 L.3 c.5 n.24.
(2) Ci. pro Archia.
(3) Act.c.8 v.32.

Digitized by Google

plures Europae gentes praeter Graeciam ipſam, in quibus graecae literæ floruerunt praeſertim quando huc venerunt legiones ab Oriente miſſæ ad eas liberandas & tuendas a barbarorum invaſionibus.

639. Poſtquam autem accidit anno 1453. lamentabile excidium orientalis imperii paulatim deſiit eſſe viva hæc lingua, & in ſortem latinæ incidit, ut ſuperſtes dumtaxat eſſet apud doctos, ita tamen ut multo pauciores habeat quam latina, qui ipſi ſtudeant. Pauci certe exinde habentur libri græce ſcripti, nec credo ullum eſſe qui eam loquatur, aut ea indigeat ad commercium cum aliis diverſæ a ſe linguæ. Attamen in cultis nationibus, apud quas nunquam ea viva fuit, nunquam defuerunt, qui ad ejus ſcientiam ſibi comparandam non incumberent. In Italia certe eique propinquis regionibus etiam ſub dominio Longobardorum, qui in ipſas anno Chriſti 568. irruerunt, quod omnium minime propitium fuit literis, artibus, & ſtudiis, nunquam defuerunt, qui linguam græcam probe calluerint, cum plures ipſius partes diu orientis Imperatoribus ſubjectæ fuerint. Roma ſaltem ſine dubio nunquam non habuit græcæ lingue peritos, quoniam in ea ſedem ſuam habent ſummi Pontifices ſucceſſores S. Petri, quibus omnium Eccleſiarum ſollicitudo incumbit. Quare ſemper ſtuduerunt habere apud ſe qui græcas literas noſſent ad conſervandam communionem cum græcis Epiſcopis plerunque ignaris linguæ latinæ, ut ex hac cauſſa narret Fleurius (1) in tertia Synodo generali Epheſi habita contra Neſtorium anno 431. latinas literas ſummi Pontificis Cæleſtini græce etiam fuiſſe exhibitas. Qui hunc advertat ſummorum Pontificum morem habendi apud ſe qui in utraque lingua latina & græca verſati ſint, non credet Leonardo Aretino (n. 622.) defuncto Florentiæ anno 1444., cum natus eſſet Aretii circa annum 1370., qui apud Gradenigum dicit (2) *ſeptingentis jam annis nemo per Italiam græcas literas tenuit*; neque iis qui in diario literatorum, quod Apoſtolum Zenum mortuum anno 1750. auctorem habuit, ſcripſerunt Guarinum Veronenſem natum anno 1370., & Ferrariæ mortuum nonagenarium *primum, qui poſt imperii caſum græcas literas didicit*, & ægre admittet propoſitionem univerſalem Humphredii Hoddii in tractatu *de lingua græca inſtauratoribus Londini impreſſo* 1742. *Literæ græcæ multis ſæculis intermortuæ per totum occidentem jacuerunt*.

640. Juvat diſtinctim oſtendere qui ſic dicunt errare. Itaque ſæculo æræ vulgaris octavo, quod primum eſt ex ſeptem in quibus Aretinus nullum invenit in Italia qui græcas literas noſſet, hiſtoria nobis exhibet S. Gregorium II. ab anno ſalutis 715. ſummum Pontificem, cujus doctrinam teſtantur, quæ juxta Bellarminum (3) *extant epiſtolæ doctiſſimæ & multæ*, & in his *duæ græce & latine ad Imperatorem Iſauricum*, qui contra ſacras imagines bellum ſuſcitaverat, quod cum alii deinceps Romani Pontifices conati fuerint extinguere, en multi qui in Italia græcas literas noſſent præſertim

(1) Fl. Hiſt. eccl. l. 25 n. 47.
(2) Gr. Lett. greco-lat. c. 1 pag. 3 & c. 14 pag. 150.
(3) Be. Script. eccl.

in Ordinibus religioſis, e quibus deſumpti fuerunt tum ipſe, tum plerique ejus ſucceſſores.

Sæculo nono erupit Conſtantinopoli tetrum ambitioſi Photii ſchiſma, quod dum Romani Pontifices ſollicite ſtudent tollere miſſis ultro citroque ſcriptis & legatis jam græcam linguam Romæ ſaltem ignotam non fuiſſe oſtendunt. Ejuſdem ſæculi eſt celebris Anaſtaſius Bibliothecarius, qui (1) *vertit in linguam latinam concilium ſeptimum generale*.

641. Sæculo decimo habemus Luitprandum Ticinenſem Diaconum, & poſtea Cremonenſem Epiſcopum, qui (2) *functus eſt legatione nomine Berengarii Imperatoris ad Conſtantinum Imperatorem græcum*, quem credam equidem græce etiam doctum. Ex hac legatione venit mihi in mentem argumentum perbelle promotum a Gradenico (3) pro græce ſcientibus in Occidente ex politico & civili commercio, quod hoc tempore vigebat cum Græcis. De Italis, qui in græcis literis hoſpites non fuerunt his temporibus, quæ magis a nobis remota ſunt plura alia contra noſtros adverſarios argumenta colliget credo, qui legat epiſtolam Ludovici Nogarolæ, *de viris illuſtribus genere Italis, qui græce ſcripſerunt* inſertam a Jo. Alberto Fabricio in ſua *ſupplementa ad Voſſium de hiſtoricis græcis*, quoniam teſte Gradenigo (4) verſatur circa ſolos italos antiquiores.

642. Sæculo undecimo occurrunt ſacra bella a Chriſtianis ſuſcepta ut plures Orientis regiones, in quibus lingua græca vulgaris erat ab Infidelium dominio liberarent, & Jeroſolymam maxime, qua potiti Galli principes, in ea uno & amplius ſæculo regnarnnt. Quare jure quisque credat plures in Gallia fuiſſe qui græcam linguam intelligerent. Deinde hujus ſæculi eſt Dominicus Marengo Venetus, qui creatus Patriarcha Gradenſis anno 1059. græce ſcripſit contra opinionem græcorum de neceſſitate fermentati panis ad conficiendum ſacramentum Euchariſtiæ.

Sæculo duodecimo habemus Petrum Groſſolanum Archiepiſcopum Mediolanenſem Romæ mortuum anno 1117, qui græce quaſdam epiſtolas publicavit contra errores Græcorum: & Albericum Bononienſem, qui aphoriſmata Hippocratis ex græcis latina fecit: & Hugonem ac Leonem Eterianos fratres germanos, quorum primus græce impugnavit Græcorum errores, ſecundus vertit aliqua de græco in latinum: & Borgundium Piſanum mortuum anno 1194. interpretem plurium græcorum Patrum.

Sæculo decimo tertio floruerunt Bonaccurſius Piſanus Ord. Praedic. qui contra Photii errores græce etiam ſcripſit: & Petrus de Abano, ſive de Apono loco quodam ditionis Patavinæ, quem propterea aliqui appellarunt Petrum Apponum, vel magiſtrum Petrum Patavinum, qui obiit anno 1315. ætatis ſuæ 65. verſis in latinam linguam aliquibus Galeni libris, aliiſque græcis auctoribus: & quatuor Cremonenſes, Ferdinandus Breſciani, Hierony-

(1) Bell. Script. eccl.
(2) Bel. ibid.
(3) Gr. Lett. greco-lat. cap. 3.
(4) Gr. Lett. greco-ital. c. 1.

Digitized by Google

ronymus Salinertus, Valerius Stradivertus, & Rodulphinus Cavallerius, quos græca lingua probe inſtructos plura teſtantur monumenta.

Sæculi decimi quarti ſunt Dominicus Cavalca Ord. Prædic. Piſanus mortuus anno 1342. celebris inter etruſci ſermonis auctores, qui plura e græcis fecit italica, quæ tamen non ſunt edita: & Angelus Ord. S. Franciſci, Cinguli in Marchia Anconitana natus, primus juxta Raderum (1), qui e græcia in Latium duxerit opera Jo. Climaci.

643. De Italis græcæ linguæ peritis ſæculi undecimi & trium ſequentium quos commemoravi videatur laudatus Gradenigus Archiepiſcopus Utinenſis mortuus anno 1786. completo ab aliquot menſibus ſeptuageſimo octavo ætatis ſuæ, qui de illis fuſius loquitur in commentario italico *de Literatura græco-itala* Brixiæ impreſſo anno 1759, in quo cum octo ſupra triginta Italis græce ſcientibus horum temporum obviam venit illis, qui vel nullum vel vix aliquem tum fuiſſe dictitarunt. Horum errores jam olim aggreſſus fuerat per epiſtolam italice datam ad Card. Querinum, *De Italis qui a ſaeculo undecimo ad decimum quartum de graecis literis benemeriti fuerunt*, editam Venetiis anno 1743., & inſertam in volumen octavum *Miſcellanea variorum opuſculorum*; quam judice Tiraboſchio (2) Abbas de Sade male impugnavit, & ipſemet ejus auctor contra alios, qui plura contra ipſam objecerant, vindicavit per aliam epiſtolam ad eumdem Card. datam, quæ proſtat in trigeſimo quarto tomo Collectionis Callogerianæ.

644. Sæculum decimum quartum non deſeram quin advertam doctos græcos hoc ipſo tempore in Italiam veniſſe, ibique conſediſſe, & definite in Etruria, quam Andres (3) quidem admiratur tamquam emporium literarum: Marcellus vero Adriani Florentiam expreſſim vocat (4) *matrem & nutricem litterarum præſertim græcarum*. In hac itaque civitate Leontius Pilatus Theſſalonicenſis fuit publicus linguæ græcæ profeſſor circa annum 1394. curante Boccaccio, juxta Cardinalem Furiettum (5), & Tiraboſchium (6). Chryſoloras deinde in aliis etiam Italiæ civititatibus græcarum literarum amorem accendit ut multi Peloponneſum adierint ad eas ex ipſo quaſi fonte hauriendas. Atque ex his fuerunt Guarinus Veronenſis, Joannes Auriſpa, Franciſcus Philelphus nomina in faſtis literariis celeberrima, & alii multi, de quibus meminerunt Furiettus in laudata præfatione pag. 16., & Gradenigus (7): unde reduces ſecum detulerunt plures graecos codices, quos ſibi vel principibus, qui hanc ipſis curam commendaverant nullis parcentes ſumptibus compararunt (8) teſte Tiraboſchio.

645. Numerus eorum qui græcæ linguæ ſtudio in Italia ſe dediderunt, mirifice amplificatus fuit, poſtquam everſo orientis imperio in eam conflu-

(1) Ra. Præl. in Joa. Climacum.
(2) Tir. Stor. lett. to.3 l.3 cap.1 n.2.
(3) An. Orig. lett. to.1 c.12. p.346.
(4) Ad. Educ. della Nobilta. tom. 4 d. proſe fiorent.
(5) Fur. Præf. ad opera Barzizi.
(6) Tir. Stor. to. 5 lib 3 c.1 n 10 & to.6 p 2 l.3 c 2 n.1.
(7) Gr. Lett. greco ital. c 3 pag.24.
(8) Tir. Stor. lett. to. 1 lib. 1 c 4.

Digitized by Google

fluxerunt doctiſſimi græcorum, qui ſecum detulerunt plures ex veteribus ipſorum auctoribus, quorum italicæ vel latinæ verſiones promulgatæ italorum animos ad ejus ſtudium ita inflammarunt, ut Joa. Baptiſta Pigna Ferrariæ natus anno 1530., & poſt annos 45. denatus dixerit apud Tiraboſchium, (1) *in Italia ita dominatur lingua græca, ut pene latinam inde dejeciſſe videatur; ſiquidem in ea complures reperiantur, qui ne verbum quidem latinum proferre ſciunt, cum græce optime ſcire exiſtimentur*.

Memini de multis qui in occidente & præſertim in Italia linguæ græcæ periti fuerunt ante etiam & poſt ipſius quaſi extremum fatum ſub Turcarum dominatione. Nec dubito in ſingulis Europæ cultis nationibus multos alios inveniri pari laude dignos ita ut conflari poſſit hiſtoria de græca apud ſingulas literatura, quemadmodum nuper fecit Michael Land Amnan de illa Sveciæ. Hac autem ipſa ætate linguam Hellinicam eſſe in honore per totam Europam teſtantur ejus profeſſores in omnibus Academiis conſtituti, & græcorum auctorum novæ editiones quæ identidem renovantur. Conſtat igitur linguam Hellinicam nunquam fuiſſe extinctam.

ARTICULUS X.

Lingua Latina & græca nunquam videntur extinguendæ.

646. RAtio pro hac ultima parte noſtræ propoſitionis eſt copia auctorum præclariſſimorum, qui in utraque lingua habentur. Latina enim, ut de hac primo dicam, poſtquam per Romanos terrarum dominos late propagata fuit, ita etiam fuit exculta ut abundent auctores de religione, de legibus, de moribus, de hiſtoria, de omni demum diſciplina. Accedit eam factam eſſe præcipuam chriſtianæ religionis linguam, poſtquam Romam hujus quaſi centrum divina voluit Providentia, quæ Romanum Pontificem Fidelium omnium paſtorem atque rectorem conſtituit eo tempore, quo latina lingua ab ipſo vulgo intelligebatur, in quam proinde brevi tranſierunt libri tam veteris quam novi Teſtamenti, ex quibus Eccleſia Romana deſumpſit verba, quæ adhibet in liturgia & publicis precibus, quin unquam voluerit in his novas linguas adhibere, & ne alias quidem in alias linguas Bibliorum verſiones approbare, metuens ne per hujusmodi mutationem proceſſu temporis genuina dogmatum intelligentia etiam mutaretur. Quare ut ajunt Editores Lexici latini, quod Ægidius Forcellinius mortuus anno 1768. lucubravit, hæc lingua facta eſt hujus ſanctæ Eccleſiæ *graviſſima nuncia, ejuſque nota quædam, qua mores rituſque a ceteris diſcerni poſſint*.

647. Irrito itaque conatu in ejus extinctionem præter Dalambertum a Ferrio (n.636.) impugnatum Algarottus & Voltaire apud Jo. Andrem (2) viſi

(1) Ti. Lett. ital. to.7 p.1 l.3 c.2 n.9. pag. 475.
(2) An. Orig. della Lett. tom. 1 c.5

viſi ſunt conjuraſſe. Perſeverabit enim linguæ latinæ ſtudium, donec proſtet immenſa doctiſſimorum latinorum multitudo, quam in poteſtate hominum non eſt omnino diſperdere, & donec exter cultus religioſus ab Ecclesia Romana adhibitus, qui multo minus hominum arbitrio ſubjacet. Otioſæ igitur ſunt horum declamationes contra illos, qui latine malunt lucubrationes ſuas promulgare, hoc etiam conſilio, quod illi ſolum inſipienter improbant, ut in quaſcunqe regiones propagentur, quod non accidit ſcriptis lingua patria, niſi tam conſpicuam utilitatem præſeferant, eumque a doctis plauſum obtinuerint, ut ſint qui ipſorum interpretationem in alias linguas procurent.

648. Ex eadem ratione factum eſt, ut Hellinica pariter lingua, ſin minus tam multos quam latina, non paucos tamen ſemper habuerit illius peritiſſimos, & in poſterum nunquam non ſit habitura. Abundant enim omnis generis græci ſcriptores præclariſſimi. Quare qui eam ignoret, frui nunquam poterit liquida voluptate, quam experiuntur, qui legunt opera prout ſcripta ſunt a tot celebratiſſimis græcis tam chriſtianis quam paganis, nec locum inter literatos ordinis nobilioris unquam obtinebit. Præterea ſicuti in occidente religio chriſtiana promulgata fuit per linguam latinam, ita in magna Orientis parte per græcam: & ſicuti apud nos retinetur latina ad fidei conſervationem, ita ibi ex eadem cauſſa ſuperſtes adhuc eſt in rebus ſacris Hellinica, ſeu vetus græca.

649. Adde tandem tantam vocabulorum multitudinem quæ lingua latina a græca deſumpſit, & in omnes diſciplinas quacunque lingua eæ pertractentur, tranſierunt; Cujuſcunque enim regionis gentes, quæ ſtudiis dent operam hæc græca nomina uſurpant, theologia, philoſophia, phyſica, geometria, aſtronomia, geographia, & alia. Qui poeticam aliud nomen græcum diſciplinæ ne ipſi quidem infimæ plebi ignotæ velit latine modo aliquo non vulgari exercere, non poſſe eſſe omnino ignaros linguae græcæ cenſuit jam olim Baſinius Parmenſis (n. 623.) in epiſtola verſibus hexametris contexta, & ad Sigiſmundum Malateſtam datam, *in qua oſtendit poetas latinos ſine literis græcis nihil omnino poſſe*, ut dicitur in ipſo titulo epiſtolæ, quæ habetur in ſecundo volumine opuſculorum, quæ *Anecdota literaria* inſcripſit Chriſtophorus Amadutius, cujus cura in publicam lucem Romæ venerunt. Qui Medicinæ, & Chirurgiæ ſtudent, norunt græcas appellationes conſtanter adhiberi in præcipuis harum facultatum operationibus, in minutioribus corporis humani partibus, in permultis medicamentis ita ut fuerit qui medicum ſine græca lingua dixerit eſſe ſicut Eccleſiæ latinæ presbyterum ſine latina.

650. Omnes linguæ ipſam artem dicendi græco nomine Rhetoricam appellant, atque dum de præceptis quæ ad ſingulas ejus partes pertinent, loquuntur, in multis illorum alia non uſurpant nomina quam græca, cujuſmodi ſunt metaphora, allegoria, ironia, metonymia, ſynecdoche, epiphonema, periodus, quæ ad eloquutionem, tantam hujus artis partem ſpe-

ſpectant. In ipſa etiam linguarum omnium grammatica non pauca occurrunt græca vocabula. Iis, quæ dum agerem (n. 513.) de variationibus in verborum compoſitione commemoravi, addantur quæ grammatici diſtinguunt in conſtructione vel figurata, vel obſcura, vel inornata. Itaque ad figuratam pertinent enallage, ellipſis, ſyllepſis, prolepſis, hyperbaton: ad obſcuram amphibolia, meoſis, periſſologia: & ad inornatam cacophaton, macrologia, tautologia. Qui in lingua græca penitus hoſpes non eſt ſtatim vel brevi intelligit, quid ea nomina ſignificent, ſecus opus habet eorum explicationem inquirere, quæ non fit niſi per plura verba, quorum brevi etiam obliviſcitur. Uſus tot græcorum nominum eſt quaſi tributum, quod omnes linguæ conferunt, & collaturæ deinceps videntur græcæ tanquam omnium diſciplinarum inventrici.

PROPOSITIO V.

Lingua latina non poteſt dici corrupta a Sanctis Patribus propter aliquos loquendi modos a veteribus non uſitatos, & multo minus corrupta dici debet ab his & recentioribus propter nova vocabula pro novis rebus ab ipſis adhibita ad normam latinitatis confirmata.

Propoſitio non caret adverſariis, ut patebit in decurſu propugnationis, quam per diſtinctos articulos jam inſtituo.

ARTICULUS I.

Patres non ſunt corruptores linguæ latinæ propter modos loquendi, qui non ſunt apud veteres.

651. SIc arguo. Ideo Sancti patres dicendi eſſent corruptores linguæ latinæ, quia ignotos probatis latinis loquendi modos adhibuerint, etiam quando de rebus chriſtianis non agebant, & quædam neutra tamquam activa, & genera aliquorum nominum mutaverint, & inſolitos caſus quibusdam tribuerint, & nova præterita ac ſupina conflaverint. Sed ut copioſe & nervoſe arguit Aimerichius (1) hi Patres fuerunt æquales Senecæ, Plinio, Tacito, aliiſque profanis, in quibus pariter quidam dicendi modi reperiuntur, qui in aliis antiquioribus non leguntur, quin ullus eos vocet corruptores latinitatis. ergo ſi profanis licuit dicendi modos non communes, & qui in veteribus non reperiuntur, ſine ullius tam aſpera cenſura adhibere, potiori jure id licuit ejuſdem temporis

(1) Ai. Parad. di. 3.

Digitized by Google

poris Patribus, qui ipſis doctiores fuerunt non ſolum ex pari & fortaſſe meliori diſciplina, ſed etiam ex dono Spiritus ſancti, qui eos magiſtros dabat futuris etiam per omne ævum fidelibus.

652. Rationes quæ utroſque abſolvunt, ſunt eos pertinere ad tempora latinitatis adhuc ex communi conſenſu vivæ, & temere dici nullos ante ipſos eo modo loquutos. Multa enim novimus veterum opera injuria temporum intercidiſſe. Omitto græca, quæ Jo. Stobæus, & Photius præ manibus habuerunt, cum ex illis aliqua deſcripſerint. De latinis aliquid dicam. Nonne querimur periiſſe Ciceronis opus *de Gloria*, ejus *Hortenſium* ſive de laudibus philoſophiæ, de quo non ſemel loquitur S. Auguſtinus (1) qui ipſum legerat, ejusdemque ſex *de Republica* libros, quorum fragmentum eſt *Somnium Scipionis*: Hiſtoriam romanam T. Pomponii Attici celebratam a Cicerone (2), & a Cornelio Nepote (3): plures libros Annalium C. Cornelii Taciti: opera Cornelii Galli & Julii Hygini, quorum primus fuit Virgilii amiciſſimus, ſecundus Ovidii: pleraque M. Porcii Catonis, M. Terentii Varronis, Sereni Sammonici: permultas ex comoediis Plauti, cum ipſe centum & triginta compoſuerit; & plures Tragicorum fabulas, quarum aliqua dumtaxat habemus fragmenta: & centum ac ſeptem libros Titi Livii addendos iis qui ſuperſtites ſunt quinque ſupra triginta cum parte nonageſimi primi, quam ex ſchedis vetuſtiſſimis Bibliothecæ Vaticanæ erutam Franciſcus Cancellerius in publicam lucem Romæ anno 1773. protulit, præmiſſa hiſtoria hujus inventionis, quæ nos certiores facit eam deberi ſagacitati eruditiſſimi Viti M. Giovenazzii, & induſtriæ Pauli Jacobi Bruns. Atque utinam verum ſit, quod in publicis Venetis nunciis (4) legi, inventum nuper Agrigenti manuſcriptum, quod eſt interpretatio arabica hiſtoriæ Livianæ, quæ quando integra ſit, nota nobis jam eſſe poterunt, quæ deperditæ decades continebant.

653. Atque utinam latinos ipſos libros tum Livii, tum aliorum auctorum eruat olim novus aliquis Petrarcha, cui debemus epiſtolas familiares Ciceronis ab eo inventas Veronæ, teſte Tiraboſchio (5), quin immo alia multa hujus celeberrimi oratoris & philoſophi opera, ut conſtat ex ipſius Petrarchæ literis a Card. Furietto citatis, dum de iis loqueretur in præfatione operibus Barzizii (n. 617.) præmiſſa: aut novus Poggius Bracciolini, cui contigit circa annum 1414., & alios deinde invenire eodem Tiraboſchio auctore (6), octo orationes Ciceronis, & Columellam, & Silium Italicum, & totum fere Valerium Flaccum, & partem Aſconii Pediani, & Ammiani Marcellini, & integra Quintiliani opera, quæ Petrarcha juxta Tiraboſchium (7) mutila habuit anno 1350. ex dono Lapi

(1) Au. de Vit. beat. in proem. & Conf. l. 3. c. 4.
(2) Cic. Orat. n. 34. & de clar. orat. n. 3.
(3) Nep. Vit. Attici.
(4) Notizie 1787 n. 95 Italia.
(5) Tir. Stor. lett. to. 5 l. 1 c. 4 n. 7.
(6) Tir. Stor. to. 6 l. 1 c. 4 n. 4.
(7) Ti. Stor. lett. to. 3 l. 1 c. 4 n. 6 & l. 2 c. 5 n. 20.

pi de Caſtiglionchio: aut novus Cardinalis Gherardus Landriani, qui cum eſſet Epiſcopus Laudenſis ab anno 1418., invenit Ciceronis tres integros libros de Oratore, quorum antea partem ſolum habebamus aliquam, & illum de Claris oratoribus: aut novus Guarinus Veronenſis (n.642.) qui ex Tiraboſchio (1) Catullum vel eruit, vel expolivit ut intelligeretur: aut novus Georgius Merula, cujus opera proſtat jam Auſonius: aut novus Thaddæus Ugoletus Merulæ diſcipulus, qui juxta Irenæum Affò in ejus vita Parmæ impreſſa ann.1741. primus ſub finem ſæculi decimi quinti vulgavit declamationes perperam Quintiliano attributas, ut Critici jam concluſerant apud Tiraboſchium (2), qui eas cenſet diverſorum eſſe auctorum, & præterea refert huic Ugoletto debere nos partem eclogarum Calpurnii, & illas Nemeſiani.

ARTICULUS II.

Nec Patres nec recentiores dicendi ſunt corruptores linguæ latinæ propter nova pro novis rebus vocabula ad latinitatis normam conformata.

654. Sancti Patres, & alii deinde agentes de rebus chriſtianæ religionis poſt tempora veterum Latinorum divinitus revelatis & inſtitutis, novas produxerunt voces ſub forma latina, quæ præciſam revelatorum ideam ſtatim excitant, quam æque bene non exprimeret, & fortaſſe etiam contaminaret circuitus verborum, quæ ex ethnicis latinis deſumerentur propter quamdam remotam analogiam inter objecta per revelationem cognita ſeu res chriſtianæ religionis, & res Ethnicis notas. Quis igitur dicat per hæc verba ad normam latinitatis ad eorum ſignificationem a Patribus aliiſque deinceps corruptam fuiſſe linguam latinam?

655. Jure itaque Salmeron vocat (3) *latini ſermonis ſuperſtitioſos obſervatores*, qui nomen Ieſus nolunt reddere per Salvatorem, quia hoc nomen non inveniunt in auctoribus aureæ ætatis, ſed per ſervatorem vel liberatorem. At Salvator habetur in vulgata Sacræ Scripturæ editione, quæ etiam Italica & communis & vetus dicitur, quæ non temere ſtatuitur pertinere ad argenteam ætatem, quippe exornata ex græca ejuſdem verſione juxta S. Auguſt. (4) *primis fidei temporibus*. In hac autem legimus (5) *Aperiatur terra, & germinet Salvatorem*. Eadem vox habetur paſſim in S. Patribus ante ipſum S. Auguſt., cujus ſunt hæc, (6) *Qui eſt hebraice Jeſus, græce Σωτήρ, noſtra autem loquutione Salvator. Quod verbum lat. lingua antea non habebat, ſed habere poterat, ſicut potuit quando voluit*. Quare certum eſt Auguſtini ætate Salvatoris nomen fuiſſe jam olim latinitate donatum. Certum præterea eſt illi ſynonima non eſſe accurate nomina ſervato-

(1) Ti. Lett. to.2 p.2 l.3 c.5 n.7
(2) Ti. ibid. to.2 l.1 c.3 n.13.
(3) Sa. de Inſan. Chris. tr.37.
(4) Au. de Doct. Christi l. 2 c. 11
(5) Iſai. c. 45 v 8
(6) Au. de Trin. l.13 c.10.

Digitized by Google

vatoris & liberatoris auctore Cicerone, qui cum dicat (1) *vidi Syracuſis ſtatuam quamdam inſcriptam Σωτῆρα. Hoc quantum eſt, magnum eſt, ut latine uno verbo exprimi non poſſit. Is eſt enim Σωτήρ, qui ſalutem dedit*, jam declarat ſervatoris & liberatoris nomina ab ipſo alias uſitata non reddere accurate nomen Jeſus, græce Σωτήρ.

656. Nuper Stephanus Morcellus eximius latinitatis cultor, cum in quodam titulo S. Ignatii Loyolæi ipſum appellaſſet Confeſſorem, advertit non poſſe hoc vocabulum dici barbarum, quia habetur apud Prudentium, S. Hieronymum, aliosque qui in latinis Scriptoribus numerantur (2) *quos* inquit *non invitus ſequor, cum rem eamdem vetuſtiores propriis nominibus non extulerunt*. Immo qui ſecus faciant, reprehendi jam ſolent. Hi inquit jam Card. Pallavicinus (3) *pie intelligentes impia ſonant, dum Veſtales pro Sanctimonialibus dicunt, & litare Diis manibus ponunt, ut ſacrificare pro defunctis explicent, atque alia hujusmodi ſexcenta*. Idemque antea Muretus (4) cenſuit, & quivis jam melioris judicii viri manifeſtæ ſtultitiæ & impietatis condemnant laudare voces tripudium, pateras, ſimpulum, tamquam latinas, doctas, & gratas auribus, quia ſunt in auguralibus & pontificalibus profanorum, & rurſus qnia in illis non ſunt evangelium, baptismus, ſanctificatio hæc vitare in ſermone latino, tamquam ipſum reddant imperfectum & barbarum.

657. In hac quaſi hæreſi fuit Petrus Alcyonius, de quo ſupra (n.625.) dixi, quem fortaſſe præ oculis habuit Muretus, deriſum jam antea propter hanc cauſſam a feſtivo poeta Franciſco Berni ipſi coævo in dialogo de poetis, & deinde a Io. Clerico apud Diarium Literatorum per Zenum (5), ubi de Alcyonii vita ſtudiis & libris loquitur. Fuit & Paulus Corteſius natus Romae anno 1465., & quadrageſimo quinto ætatis ſuæ vita functus in Etruria apud Corteſianum pagum gentilitium, in lingua latina, omnibusque humanis ac divinis literis egregie excultus, quem reprehendit Ladvocatus (6) quod agens de chriſtianæ religionis myſteriis uſus fuerit profanis verbis, quæ ipſis non conveniunt: ſed vellem addidiſſet id ab eo factum aliquando, non paſſim in ſuis Commentariis in libros Sententiarum. Fuit & Petrus Bembus Venetiis natus anno 1470., & Romae mortuus an. 1547., qui dum religioſe latinitatem ſectatur, irreligioſus evaſit, ubi ut ait Tiraboſchius (7) *ſacris formulas ethnicae ſuperſtitionis aptavit*.

658. Præterea ſic arguo. Ideo Patres & recentiores qui latine ſcribentes nova verba cudant pro novis inventis dicendi eſſent latinitatis corruptores, quia nova verba ſunt barbara: ſed barbara ſunt ea ſolum nova verba, quae vel quid ſignificant aliter jam olim expreſſum a latinis, vel quid novi ſignificant per ipſorum conformationem

Nn alin-

(1) Cic. in Verr. ac. 4.
(2) Mo. Inſcript. 20.
(3) Pal. Vind. c. 20 & Stor. del Conc. l. 1 c. 22 n. 4.
(4) Mu. Var. lect. l. 15 c. 1.
(5) Gior. to. 3 ar. 1.
(6) La. Dizi. art Corteſi.
(7) Ti. Lett. ital. to. 7 p. 1 l. 3.

Digitized by Google

a lingua latina alienam : ergo qui nova verba pro novis rebus cudant conformata ad normam latinitatis non ſunt ipſius corruptores. Horatius jam olim hoc argumentum probavit, qui dixit licere novas voces in ſuam linguam quam maxime tunc vividam (1) admittere.

. . . . Si forte neceſſe eſt
Indiciis monſtrare recentibus abdita rerum,
Fingere cinctutis non exaudita Cethegis
Continget, dabiturque licentia ſumpta pudenter.

Et paulo infra in eamdem ſententiam haec habet

. . . Cum lingua Catonis & Enni
Sermonem patrium ditaverit, & nova rerum
Nomina protulerit, licuit ſemperque licebit
Signatum præſente nota producere nomen.

Probavit & Quintilianus, qui refert (2) irriſum fuiſſe qui ſpartum, quod omnes intelligerent appellaverit *Ibericas herbas ſe ſolo nequicquam intelligente*. Probat recentiſſimus cujuscunque barbariſmi oſor Jo. Marchellus, qui negat barbaras eſſe voces novas novis rebus aptatas, idque inquit fieri (3) *ſemper poſſe nemo eſt qui probibeat*.

659. Igitur ex ſententia optimorum de latinitate judicum licet in linguam latinam deducere hæc nomina Cocolatem, Caracam, Theam, Caſæam, aliaque de rebus quæ antiquos latuerunt, ſed nunc ſub eadem ferme appellatione nota ſunt apud ipſum omnium gentium vulgus. Sic Thomas Serranus, quem linguæ latinæ peritiſſimum præclaræ ipſius pro Martiale epiſtolæ Ferrariæ impreſſæ anno 1776. oſtendunt, cecinit (3)

Tres charites Phoebo Graii junxere Poetæ,
Nec numerus charitum diſplicet iſte mihi.
Sic numerum ſervo, ſed muto nomina, triplex
Eſt, Caraca mihi Thæa Caſæa, charis

Alii theum & caſæum malunt dicere, quos ſequitur in gloſſario italo-gallico Antoninus. Qui id facit non ſolum ſequitur Horatii aliorumque ſententiam, ſed optimorum Latinorum exemplum; Nam ut obſervavit Antonius de Lebrija, oppido Vandaliciae, quod Plinius auctore Ricciolio(4) Veneriam, alii communius Nebriſſam latine appellant, ubi celebris hic grammaticus ortum habuit ann. 1445, & propterea vulgo cognitus ſub nomine Nebriſſenſis, qui uſque ad an. 1522., vitæ ſuæ ultimum, ſummo ſtudio humaniores literas excoluit promovit inſtauravit regnantibus Ferdinando V. & Iſabella immortalis memoriæ principibus, obſervavit inquam quod (5) *Sic Virgilius ex ſermone germanico ſumpſit* Cateia, *quod eſt iaculi genus : ſic ab Afris Magalia, quæ ſunt caſæ paſtoritiæ : ſic Cicero a Sardis Maſtruga, quod eſt veſtis genus: Sic Juvenalis rbeda, quod eſt vocabulum gallicum.*

660. Qui

(1) Hor. de arte.
(2) Qu. Inſt. l. 8 c 2.
(3) Ser. Carm. l. 3 n. 89.
(4) Mar. Index criticus pag. 17.
(5) Ric. Geogr. l. xi.
(6) Ne. præf. ad dict. latino-hiſp.

660. Qui nolit pro rebus, quæ ad nos delatæ ſunt a gentibus veterum Latinorum ætate incognitis, adoptare nomina, quibus ipſæ eas appellant, neceſſe habebit uti earum deſcriptione aliqua, quæ cum diſpendio plurium verborum communem ipſarum ideam obſcurat potius quam illuſtrat; Sic cocolatem Ioſeph Parthenius vocavit (1) Mexicanam potionem, quæ matutinam inediam levat, & Cafæum fabam Arabicam, & Theum Sinenſe folium, quæ ſtomachum fovent, & Tabaccum pulverem ad levandam capitis gravedinem adhiberi ſolitum. Eadem ratione dicam licere uti nominibus ad leges latinæ grammaticæ inflexis, quæ propria ſunt alicujus ſcientiæ & artis, quæ non reperiuntur in veterum latinorum ſcriptis, quia eorum ætate vel natæ non erant, vel non ſatis excultæ. Sola ars militaris poſt inventum ſaeculo poſt Chriſtum ad ſummum undecimo ex alibi (2) dictis pulvere pyrio, quot nova offert impugnationum oppugnationumque genera, quae eodem fere modo in omni jam lingua appellantur. Quare iisdem appellationibus jure optimo utetur ſub terminatione latina, qui de praeliis horum temporum latine ſcribat, ne cogatur identidem repetere novorum armorum deſcriptionem, per longum latinorum verborum circuitum.

661. Iis qui dicunt hujusmodi nomina pro novis rebus componenda eſſe ex græcis vocibus, quæ ſingularum præcipua attributa deſignent, juxta Horatii conſilium, qui ait (3) *Nova fictaque nuper habebunt verba fidem ſi græco fonte cadant*, equidem reponam græcam linguam Romae fuiſſe Horatii tempore a perquam multis probe intellectam, utpote quæ pars erat ingenuae educationis. quare facile erat ideam rei novae acquirere per nomen ex graecis derivatum vocabulis, qood de noſtra ætate dici non poteſt. Deinde dico qui vult licere inter latinas voces intrudere alias in re non latinas, ſed e graecis ad arbitrium compoſitas, is vult, ut qui graecam linguam prorſus ignorant, nihil percipiant, eos vero qui hanc norint, cogit circa illarum ſenſum aliquandiu meditari, quandoqnidem novae ſunt, nec a veteribus uſurpatae, qui perſaepe concludent ſe ex illis non poſſe niſi confuſam rei cognitionem acquirere. Exemplo ſit hoc nomen pyloclaſtum, quo Famianus Strada petardum a noſtris militibus nunc vulgo cognitum appellavit. Hoc attentis graecis vocibus ex quibus conſtat latine idem eſt ac portas evertens, quae cum poſſint diverſis inſtrumentis everti, jam per hujusmodi nomen nullius determinata cognitio acquiritur. Quod ſiquis velit voces antiquitus inauditas reiicere inter illas luteae aetatis, per me licet, qui attributa lutei & aurei, aliaque dicam non tam pertinere ad vim & indolem verborum, quam ad tempus quo ea cuſa ſunt.

(1) Pa. Comm. 2 n. 14.
(2) De Mundo.
(3) Hor. de Arte.

PROPOSITIO VI.

Cauſſæ variationum & etiam extinctionis linguarum ſunt irruptio alienigenarum cum diuturna eorum commoratione: voluntas Dominantium: grammaticæ defectus: hujus neglectus: commercium cum populis alterius linguæ: & rara communicatio aliquorum cum aliis ejusdem ceteroqui linguæ.

Articulus I.

De Variationibus linguarum per alienigenas, & per voluntatem Dominantium.

662. QUod pertinet ad ptimam cauſſam de irruptione alienigenarum, hæc fieri ſolet modo vel violento & hoſtili, vel lento ac pacifico. Primo modo dicam extinctas eſſe linguam Oſcam aliasque ſupra commemoratas, & perquam multas per omnes terrarum orbis partes. Quis exempli gratia nunc audiat linguam Mayam in inſulis Cubae & Jamaicæ, quam teſte Gonzalo Hernandez in hiſtoria Americæ apud Hervam (1) earum incolæ loquebantur, antequam in Hiſpanorum poteſtatem devenirent, nec credo hiſpanam remanſiſſe in Jamaica, poſtquam Angli ab anno 1655. ipſa potiti ſunt. Ex eadem cauſſa Elias Bertrand *in perquiſitione circa linguas antiquas & novas Helvetiæ* gallice impreſſa Genevæ anno 1758., vult linguam hujus regionis, quam credit in ejus parte occidentali celticam uſque ad tempora Julii Cæſaris, mutatam fuiſſe in latinam, quando ille eam ſubegit, & rurſus ex parte orientali factam teutonicam a Germanis, quorum quadraginta millia ibi Auguſtus collocavit. Eodem modo dicam accidiſſe metamorphoſim linguæ latinæ in illas, quas ex ea prognatas (a n.471.) demonſtravimus. Cum enim Gothi ſub finem ſæculi a Chriſto quinti duce eorum rege Theodorico, & deinde truces Longobardi anno 568. ſub ipſorum rege Alboino Italiam invaſerint, & Vandali, Alani, Hunni, aliique barbari populi ex borealibus Europæ regionibus emigrantes totam Europam & Africam etiam inſederint, horumque lingua ita diſtaret ab illa ſuorum hoſpitum, ut neutri poſſent ſuam deſerere, & aliunde ſimul viverent, opus fuit, ut utrique per quosdam gradus patrium ſermonem corrumperent, & illi paulatim reciperent plures voces latinas: ſuisque latinam aptarent terminationem, & rurſus hi novis vocabulis aſſueſcerent, certamque introducerent rationem conſtruendi ex ſuis & peregrinis vocibus ſermonem, qui nullo antea tempore audi-

(1) He. Idea, to. 1 pag. 63.

Digitized by Google

auditus paulatim evaſit lingua Itala, Gallica, Hiſpana & Luſitana, quæ ſunt totidem quaſi ſurculi, qui ex reciſa Latina lingua pullularunt cum mutuo harum gentium incommodo, quia eadem jam facilitate inter ſe convenire non poſſunt, ac quando lingua non diſcrepabant.

663. Quod Scipio Maffejus, qui (n. 476.) linguam Italicam coævam credidit latinæ, opponat (1) barbaros Italiæ invaſores non fuiſſe tam multos ut poſſent linguæ latinæ tantam corruptionem producere, refellunt hiſtoriæ, quæ de magna illorum multitudine teſtantur, eamque regna gothica, longobardica, normannica confirmant, & demonſtrant. Ad illud quod inſtat, antequam barbari Italiam invaderent, multas inveniri in Gellio, Caſſiodoro, Servio, S. Hieronymo, S. Gaudentio, aliiſque voces & formulas apud veteres latinos inauditas: ergo lingua latina non fuit a barbaris corrupta, reſpondetur, eorum quidem auctorum temporibus nondum apud nos venerant ingentes numero barbari, at jam multi venerant alienigenæ ex Gallia, Hiſpania, aliiſque regionibus, præſertim poſtquam a morte Domitiani frequenter exteri imperium occuparunt, & multo magis quando circa tempora Valeriani & Gallieni tot tyranni cum exoticis gentibus imperium dilacerarunt. Ex his repeti poterit latinæ linguæ corruptio lento ac pacifico modo invaleſcens, reſervata ipſius ab uſu quaſi communi ceſſatione tempori invaſionis Barbaricæ.

664. Simili modo apud gentem quæ Daciam nunc habitat, de lingua latina, quam a Romanorum coloniis a Trajano ibidem ſtabilitis acceperant, non remanet niſi umbra quædam iis ſolum perſpicua, qui legerint *Elementa linguæ Daco-Romanæ Georgii Danielis Sinkai*, vel horum ſpecimen, quod Romanæ tradunt Ephemerides (2). In illa tamen Daciæ parte, quæ alpeſtris dicitur a latinis, nunc vero Valachia appellatur, minus obſcura remanent linguæ latinæ veſtigia, quia illius incolæ ratione ſitus minus obnoxii exterorum invaſionibus romanos mores & linguam diutius conſervarunt, atque hinc nomen Valachiæ natum a finitimis populis Serviæ, Liburniæ, Bulgariæ, apud quos Romanus auctore Herva (3) appellatur Vlah.

665. Qui quærat quomodo in tam multis imperii orientalis provinciis, & in ipſa Conſtantinopoli ejuſdem metropoli interierit lingua græca, quæ ingens jam detrimentum paſſa fuerat, poſtquam Conſtantinus M. Byzantium regiam ſuam conſtituens tot illuc romanos evocavit, inveniet id contigiſſe, quando ſæculo Eccleſiæ ſeptimo ſub Eraclio irruptiones Saracenorum gentis Arabicæ incoeperunt. Extinctio pariter linguæ Syriacæ, quae olim late vigebat (n. 547.) in amplis Syriæ & Meſopotamiæ regionibus facta eſt fere in omnibus per Arabum invaſionem, quam duce Mahumeto miſerabiliter paſſæ fuerunt, nec ea jam ſupereſt niſi in montibus Meſopotamiæ, quorum incolæ rarum commercium habent cum illis qui infra mon-

tes

(1) Maff. Veronu. p. 1 l. 11.
(2) Ef. ann. 1780 n. 43.
(3) Her. Idea. tom. 17 n. 302.

Digitized by Google

tes verſantur; & ex vulgari evaſit literaria maxime propter ipſius uſum; quem Eccleſia Chriſtiana earum regionum in publicis religionis exercitiis ſancte retinet. Cognitio tamen characterum qui proprii ſunt hujus linguæ remanet adhuc etiam apud indoctos, ſed non omnino incultos, qui iis ex dictis (n. 147.) utuntur, quando carſciunice ſcribunt.

666. Ex eadem Arabum invaſione, qui (1) *Ægyptios in ſuam poteſtatem redegerunt & victorum linguam loqui coegerunt*, repetit extinctionem linguæ Coptæ (num. 551.) Ægyptius Raphael Tukius, cujus tamen uſum Chriſtiani adhuc conſervant in liturgia, quare qui ipſam adminiſtrant, eam addiſcunt. In quo videas Divinæ Providentiæ conſilium; hoc enim modo ut idem auctor ait *veteres Alexandrini ritus, preces ſacramentales, & alia ad publicam privatamque pſalmodiam pertinentia agnoſci poſſunt, quibus genuina Apoſtolicorum temporum diſciplina adverſus novatorum calumnias mire ſtatuitur & confirmatur*. Satis jam quæ dicta ſunt declarant poſſe quamcunque linguam violento modo corrumpi & etiam aboleri.

667. Idem evenire etiam lento modo plura pariter exempla perſuadent. Unum habemus in lingua hiſpana, in qua abundant voces Arabicæ quia tota Hiſpania exceptis locis montoſis Galliæ conterminis ſub initium ſæculi poſt Chriſtum octavi occupata & oppreſſa fuit a Mauris Mahumetanis arabice loquentibus. Quare mirum non eſt quod Hervas (2) in dictionario linguæ hiſpanæ ab ejus Academia promulgato voces 565. proprias Arabum numeraverit, neque quod multæ ſint etiam in ea voces hebraicæ, quoniam ex his aliquæ in ipſam venerunt a Phoenicum coloniis, quæ longe ante Arabes in locis Hiſpaniæ maritimis fuerunt, quorum lingua eſt dialectus hebraicæ, aliæ ſunt ab ipſa lingua arabica, quæ & ipſa eſt dialectus hebraicæ. Nihil pariter mirum eſt plures eſſe in eadem lingua Hiſpana voces græcas, ita ut Antonius Buriel apud Hervam (3) ex catalogo radicum linguæ græcæ quinquaginta & ſeptem eruerit, quæ etiam hiſpanæ evaſerunt, quoniam ex ejus matre lingua latina, quæ eas primum recepit, in ipſam derivatæ ſunt.

668. Aliud exemplum exhibet lingua Boema propria hominum, qui extra urbes habitant, in quibus ſola Germanica auditur. Boema enim juxta Kircherum (4) nata eſt ex tali commixtione linguæ germanicae cum illa Poloniæ, ut jam nec Poloni Boemos, nec Boemi Polonos intelligant. Aliud exemplum eſt lingua Sicula hujus temporis, quæ ita eſt magna ex parte dialectus italicæ, ut multas etiam immiſceat voces aliarum gentium, quas ſui caeli grata temperies, loci amoenitas, ſoli foecunditas, & temporum viciſſitudines ex aliis regionibus attraxerunt. Itaque Græci ibi abundabant, donec Imperatori Orientis ſubjecta fuit, ſed anno 828. abundare coepit Arabiis ſive Saracenis, qui ex Sardinia, quam anno 722. occupaverant, illam invaſerunt, eaque paulatim potiti fuerunt univerſa. His expulſis modo

(1) Tu. Rudim. ling. copt. præf.
(2) Her. Idea. tom. 18 in tab.
(3) Her. Idea. tom. 17 n. 328.
(4) Kir. Tur. Bab. l. 3. ſec. 1 c. 2.

Digitized by Google

do Gallos, modo Hiſpanos, modo Germanos apud ſe habuit frequentes, prout ejus dominium ex una in aliam gentem translatum fuit. Quare Michael Del Bono natus Panormi 28. Septemb. anni 1697. & Viterbii mortuus 3. Novemb. 1779. compoſuit lexicon Siculo-italum-latinum, & in tria volumina diſtributum per typos parnomitanos anno 1751. promulgavit ad uſum ſcholarum, quas in eo regno religioſi e Soc. I. moderabantur, ex quo Hervas(1) plura collegit vocabula derivata a lingua Cantabra, oculiſque in tabula adjecta ſubiecit. Alia exempla occurrent, ubi inferius oſtendam commercium eſſe inter cauſſas variationis in linguis.

669. Venio ad ſecundam everſionis linguarum cauſſam voluntatem Dominantium. Multa hanc etiam exempla perſuadent. Unum habemus a veteribus Romanis, qui in regiones quas ſibi ſubiiciebant vel frequentes colonias deducebant, ut ipſarum dominium ſibi conſervarent, vel magiſtratus ibi conſtituebant, qui opportunas ad illarum moderationem leges promulgarent, & jus omne adminiſtrarent latina ſolum lingua, quae conſcios ſingulos redderet romani in ipſos dominatus. Qua ratione omnes cogebantur ad linguae latinae cognitionem ſibi procurandam, quæ paulatim nativum ſermonem immutabat & obliterabat. Itaque inquit S. Auguſtinus (2) *civitas imperioſa non ſolum jugum, verum etiam linguam ſuam domitis gentibus per ſpeciem ſocietatis imponebat*, ita ut per omnes jam Europae Asiæ & Africæ provincias ab ipſis acquiſitas latinae voces audirentur. Cautum enim fuit latis per ipſam legibus, quemadmodum declarat Antonius Dorimini (3) ne prætores ubique gentium alia lingua uterentur, quam romana, dum cognita cauſſa ſententiam ferrent, aut leges indicerent, quas leges Arcadius & Onorius mitigarunt concedentes, ut in Græciæ provinciis lingua etiam græca pro tribunali poſſet adhiberi, & Alexander Severus expreſſa lege quae eſt trigeſima ſecunda in Digeſtis jam antea permiſerat ut fidei commiſſa fierent lingua etiam Punica, Celtica, & alia quavis vulgari.

670. Eadem via paulatim aboleri neceſſe erit linguam hiſpanam in Sardinia, quam ibi fuiſſe uſque a ſæculo duodecimo probant quaedam monumenta, quae ex Muratorio Hervas (4) refert, quoniam ejus nunc Rex Victorius Amadeus, Sabaudiae Dux juſſit magiſtratus in actis publicis, & magiſtros in docendis literis humanioribus lingua ſolum italica uti. Quantum pariter detrimentum proceſſu temporis patietur lingua Hungarica, quoniam Imperator Joſephus II. germanica lingua mandavit ubique cauſſas in foro adminiſtrari: idemque accidet in Polonia, quæ Auſtriaca jam dicitur, poſt tres annos, quos idem Imperator anno 1785. illorum magiſtratibus conceſſit ad ediſcendam germanicam, qua deinde munia ſua vel exerceant vel dimittant.

671.

(1) Her. Idea. tom. 18. n. 76.
(2) Aug. da Civi. l. 9 c. 7.
(3) Do. Arti nella giuriſp. p. 1 pag. 10.
(4) Her. Idea, tom. 17. n. 327.

Digitized by Google

671. Quando verum eſſet, quod Petrus Alcyonius (1) narrat Attilam cum Jtaliam invaſiſſet, ut linguam ſuam gothicam ibidem ſtabiliret, evocaſſe e ſuis regionibus magiſtros, qui eam edocerent, legemque promulgaſſe, nequis lingua latina amplius uteretur, profecto de ratione efficaci hanc extirpandi cogitaſſet, ſed minus probabilis eſt hæc narratio, non ſolum quia nemo alius quod ſciam id narrat, ſed etiam quia ut obſervat Tiraboſchius (2) Attila torrentis inſtar Italiam percurrens nullibi diu permanſit.

Articulus II.

De variationibus linguarum per defectum grammaticæ & per eius neglectum.

672. VEnio ad tertiam cauſſam variationis in linguis, defectum grammaticæ. Hic tantam brevi poteſt varietatem in linguis producere, ut nepotes vix aut ne vix quidem avorum ſuorum perſcripta monumenta percipiant. Hoc ſtatim intelliget, qui legat carmen, quo Fratres Arvales a Romulo inſtituti, hoc eſt Sacerdotes camporum in ſuis ſacris utebantur, factum ſcilicet, quando Romani non ſolum nondum pro ſua lingua grammaticam habebant, ſed ne alphabetum quidem, quod ab Etruſcis acceperunt, in quo ſenſu ſumitur, quod Titus Livius ait pueros romanos primorum temporum ſolitos fuiſſe diſcere literas etruſcas. Hujusmodi carmen effoſſum fuit anno 1778., dum fundamentum paratur pro novo templi Vaticani ſacrario, quod Pii VI. magnificentia erexit, de quo ejusque occaſione de ethnicorum etiam & veterum chriſtianorum ſacrariis propediem in lucem veniet completus in lingua latina tractatus Cancellerii (n.652.), quem Tiraboſchius in fine tomi 7. praenunciavit futurum plenum doctrina & eruditione. Iuvat Arvalis carminis principium, quod typis Romanis vulgatum fuit opera Petri de Fois, & Cajetani Marini de re antiquaria omnis generis optime meriti proponere vocabulis juxta orthographiæ leges invicem diſtinctis, quod non fit in ipſo genuino monumento. Illud ſic habet, Enos laſes juvate neve luerve marmar ſins incurrere in pleores. Reliqua legi poſſunt etiam apud Hervam (3), qui hanc ejus interpretationem affert ex Lanzio, quem dicam noſtræ ætatis Oedipum, Nos Lares juvate, neve luem Mars ſines incurrere in flores.

673. Sub Numa, qui poſt Romulum regnavit annis 42., & obiit anno Urbis 82. novimus Martis ſacerdotes, Salios appellatos, quia ſaltare erat inter ſacros ipſorum ritus, ſolitos fuiſſe cantare carmen quoddam, cujus ſenſum Horatius (4) profeſſus fuit ſibi fuiſſe ignotum, & pro mendacibus habuit, qui ſecus dicebant: Et Quintilianus deinde credidit ne intellectum qui-

(1) Al. de exilio.
(2) Tir. Stor. tom. 2 l. 4 c. 1 n. 17.
(3) He. Idea. to. 20 n. 129 in not.
(4) Ho. Epiſt. l. 2 ep. 1.

quidem ab ipſis ſacerdotibus, quod tamen inquit (1) *mutari vetat religio*. Paris obſcuritatis jam ſunt fragmenta quarumdam legum Servii Tullii, vel Numæ, aliorumque, quæ collegit Antonius Terraſon in hiſtoria de romana juriſprudentia Pariſiis edita anno 1750., quam laudat Tiraboſchius(2). Exemplum eſto in una ex his, quæ ſic habet, *Scicuips homonem lochoſum dolo ſciens mortei duit, parricida eſtod*, quam Jo. Aldinius (3) ſic interpretatur. *Siquis hominem liberum sciens morti dabit, parricida eſto*.

674. Alia ſimilium legum exempla cum earum interpretatione habentur apud Hervam (4). Alia dabunt, quæ ſuperſunt ex legibus, quas Decemviri in XII. tabulis anno Urbis conditæ 303. perſcripſerunt, & elogium (n.514.) poſitum Duillio anno V. C. 499., & inſcriptiones in ſepulcro Scipionum inventæ. Teſtis eſt etiam Polybius apud Annibalem Antonini (5) intra ſpatium annorum circiter ſexaginta, quod interceſſit inter duo prima bella punica, Romanorum linguam ita immutatam fuiſſe, ut ipſi jam non intelligerent formulas pacti & conventi, quod cum Poenis poſt primum bellum tranſegerant. Scilicet Populus Romanus per ea tempora perpetuis bellis occupatus nihil cogitavit de humanioribus literis, nec de cultura ſuæ linguæ, quæ propterea permiſſa arbitrio cujuscunque novas de die in diem ſubiit mutationes uſque ad ſæculum ab V. C. ſextum, ut oſtendit Tiraboſchius (6), quo tandem ſollicitudo aliqua romanorum mentes invaſit de his ſtudiis, adeoque de grammatica ſuæ linguae condenda & ſtabilienda. Grammatica enim omnes & ſingulas orationis partes determinans, jam quotquot ab ejus legibus recedant, de barbarie accuſat atque condemnat. Hanc rationem ſibi propoſuit Nebriſſenſis (n.659.) aggreſſus ſcribere *Artem linguæ Caſtellanæ*, quam ann.1492. hiſpanice promulgavit, ne ut ait in prologo hæc lingua deinceps eſſet ſine certis regulis, quemadmodum adhuc fuit, ut propterea tot & tantas ſuſtinuerit mutationes, ut qui hodierna ſcripta conferret cum illis, quae ante quingentos annos facta fuerunt, inveniret tam differre inter ſe, quam differunt duae diverſi generis linguae.

675. Quarta cauſſa corruptionis linguæ neglectus grammaticae quantae ſit efficacitatis novimus a linguae italae dialectis, quae fere tot ſunt, quot ipſius provinciae, quae eum ſibi jam condiderunt familiarem ſermonem, qui incultum vulgus pene excludit ab intelligenda, vel ſaltem guſtanda pura italica. Exemplo ſit volumen typis impreſſum Mediolani anno 1744. cum hoc titulo, *Rimm Milanes de Meneghin Baleſtreri*, hoc eſt Carmina lingua Mediolanenſi Dominici Baleſtreri, quae equidem magna ex parte non intelligo. Eſto aliud exemplum in plebe Neapolitana, cui mirifice ſapit liber lingua ipſius vernacula ſcriptus, cui titulus in editione,

O o

(1) Qu. Inſti. l.1 c.6.
(2) Ti. Stor. to.1 p.3 l. 1 n.16. n.305.
(3) Al. lin. latin.
(4) Her. Idea. to. 17. Catal. d. lin.
(5) An. Diz. ital pref.
(6) Ti. Lett. ital. to.1 p.3 l.2 c.2.

Digitized by Google

ne, quam prae manibus habeo, eſt, *Il Pentamerone del Cavaliere Gian Battiſta Baſile, ovvero lo cunto de li cunte, trattenimento de li piccirille di Gian Battiſta Abbattutis nuovamente riſtampato, e con tutte le ceremonie corretto. in Napole 1697.* quem cum incoeperim legere, brevi depoſui, cum verborum ſenſum vix aut ne vix quidem aſſequerer meditando. Videbar pariter olim ſaltem, Neapolis otioſum populum magna frequentia coram circulatoribus, qui præclariſſimum Torquati Taſſi poema concinerent, non jam prout ab auctore compoſitum; ſed in vulgarem ibi linguam translatum a Gabriele Faſano, qui hanc translationem e regione ipſius genuini operis poſitam protulit anno 1680., renovatam deinde anno 1720. ſaltem quantum ad frontem, quæ ſic habet, *Lo Taſſo Napoletano, zoe la Gerusalemme liberata de lo Sir Torquato Taſſo, votata a lingua noſtra da Gabrielle Faſano de ſta cetate colle ſegure de lo excellente Segno Bernardo Caſtiello, Corrietto e reſtampato pe ſeconnà lo guſto delli vertulose. In Napole pe Franciſco Ricciardo.* Sapienter itaque monuit Card. Pallavicinus (1) pertinere ad publicum bonum, ut caveant cives a quibusvis ſuae linguæ mutationibus, ne paulatim creſcentibus ſubeant ſuæ negligentiæ poenam ſimilem illi, quam ædificatores turris Babelicae incurrerunt. Similia exempla ſuppetunt Bononienſes, Ligures, & Galli Ciſpadani & Transpadani. Omnes hi italice quidem loquuntur, ſed ea ſinguli dialecto, ut alteri alteros vix intelligant.

ARTICULUS III.

De variationibus linguarum per commercium cum illis alterius linguæ, & per raram communicationem cum aliquibus eiusdem ceteroquin linguæ.

676. QUintam cauſſam variationis linguarum dico eſſe commercium, quod inter ſe habeant gentes diverſæ linguæ. Hoc modo natio hebræa propriam ſibi linguam amiſit, quando captiva translata fuit in Chaldæam, ibique diſperſa per annos ſeptuaginta coacta fuit commorari. Propter hanc cauſſam cum deinde ex clementia Cyri redux fuit in patrias regiones chaldaicam ſecum detulit, eamque deinceps retinuit certe uſque ad tempus Chriſti Dom., qui ea utpote tunc vulgari uſus fuit in ſua prædicatione, ut inferius oſtendam. Eodem modo auctore Kirchero (2) voces quæ in lingua Coptica reperiuntur latinæ, arabicæ, ſamaritanæ ex vicinarum nationum conſortio in eam irrepſerunt, quibus græcæ, acceſſerunt tempore Alexandri M. & Ptolomæorum, qui Ægypto potiti fuerunt, frequentique cum græcis commercio, monetque nequis aliter accipiat, quæ in Prodromo Copto ita dixit, ut videantur ſignificare ſubſtantiam ut ita dicam linguæ coptæ, & græcæ eſſe eamdem.

677. Similiter ex commercio cum græcis veteres Latini etiam inter aurei

(1) Pa. dello ſtile c. 21.

(2) Ki. Tur. Ba. l. 3 ſe. 1 c. 8.

aurei ſæculi ſcriptores numerati permultis vocabulis a græca lingua deſumptis ſuam locupletarunt, quæ tranſierunt etiam in linguas ex latina natas, ita ut Hervas (1) in Lexico Academiæ pro lingua itala juxta ſecundam ipſius editionem invenerit graecas dictiones 2092., & in illo Academiae pro lingua hiſpana 972. Eadem latina tempore Gellii & Cenſorini, qui floruit duobus poſt Gellium ſaeculis ab iis, qui ex diverſis nationibus Romam confluebant, accepit plura vocabula, quae apud hos ſolum inveniuntur. De illis Gellii, quas *obscuras & tenebroſas* vocat Salmaſius (2) collectionem quamdam exhibere incoeperat Gaſpar Barthius (3): illas vero Cenſorini, grammatici Priſciano judice doctiſſimi, Jacobus Moſantus Brioſius apud Albertum Fabricium (4) in ſuas epiſtolas congeſſit.

678. Commercio adſcribam, quae in lingua hiſpana juxta dictionarium ſuae Academiae ſunt numerante Herva (5) voces gallicæ 193., italae 159., americanae 30., germanae 27., indicae 13, & de belgicis, luſitanis, ſinenſibus & turcicis una ex ſingulis. Idem auctor (6) advertit a Mexicanis hispanam linguam accepiſſe nomina *Maiz*, frumentum quod Itali turcicum vocant, *Tomate*, latine juxta aliquos poma aurea, & *jicara* italice *chicchera*. Idem vocabula phoenicia, quae reperiuntur in linguis hiſpana & hiberna jure vult utrique linguae acceſſiſſe a phoeniciis magnis olim terra marique negotiatioribus. Emmanuel de Faria (7) ex vocabulis, quae lingua luſitana accepit ex aliis linguis utique per commercium vel violentum vel voluntarium in medium producit centum ex arabica, plusquam centum ex itala, & fere trecenta ex gallica. Alias perquam multas voces africanas aſiaticas & americanas, Terreros (8) dicit delatas in eam eſſe ex omnibus his locis, in quibus Luſitani ſuis ſummopere admirandis navigationibus diverſas ſibi regiones ampliſſimas acquiſiverunt. Petrus de Charlevoix obſervat (9) voces *Ouragan*, h. e. tempeſtas ſaeviſſima, & *Hamach* h. e. lectum penſile tranſiiſſe in gallicam linguam, ejusque gloſſaria ex lingua incolarum inſulae S. Dominici. Quid plura? Ex hac cauſſa neſcio an ulla ſit jam lingua in toto terrarum orbe ſine mixtione vocum alienigenarum, praeſertim in Aſia & Europa, quoniam in tota harum amplitudine perpetuae poſt hominum memoriam regnorum mutationes acciderunt, una gente ſupra alias viciſſim praevalente.

679. Linguae quae pauciores habeant voces ex aliis deſumptas erunt earum nationum, quae ad alias non divertunt, & aegre permittunt exteros ad ſe venire, & apud ſe diutius commorari. In his credit Hervas (10) aliquas poſſe reperiri inter penitiores Americae populos adhuc ſilveſtres, & ne cognitos quidem. Sic in lingua Sinenſium antiquiorum, quae ex il-

(1) He. Idea. to. 18 in tabu. n. 24.
(2) Sa. de Hellen.
(3) Ba. Adver. l. 8 c. 16.
(4) Fa. Bib. Lat.
(5) He. Idea. to. 18 in tabul.
(6) He. ibid. n. 228.
(7) Fa. Europa. to. 3 p. 4 c. 9 n. 19.
(8) Te. Paleogr. pag. 10.
(9) Ch. Hiſ. de S. Dom. l. 1 pag. 72
(10) He. Idea. to. 18 n. 230.

Digitized by Google

lorum ſcriptis colligitur, & in Malaya, quae in tam multis Orientis inſulis viget, paucae reperiuntur mutationes. Quoniam vero in linguis aliquarum nationum ſunt voces propriae linguis aliarum, quae ab iis non ſolum maxime diſtant, ſed ex hiſtoria non conſtat ullum unquam habuiſſe inter ſe commercium, has dicam habere ex commercio, quod extitit inter progenitores harum nationum, antequam invicem disjungerentur, altero eorum relinquente antiquam ſedem, & in aliam longo etiam intervallo ſejunctam commigrante, ubi ipſius progenies ſtabilita increvit in nationem. Hoc modo credit Hervas (1) factum eſſe ut perſica vocabula ſint in lingua belgica, & graeca in illa Islandorum, quatenus Belgarum progenitores ex aliqua regione proxima Perſiae illuc advenerint, & illi Islandorum ex extrema Europae orientalis parte ſaeculo ut ipse coniicit (2) quinto, quia linguam habent, quam ea aetate Teutones loquebantur.

680. Linguae per commercium cum gente alterius labii non ſolum exteris vocibus ornari poſſunt aut inquinari, ut hactenus vidimus, ſed etiam deſtrui. Hoc modo multi Americae populi a mari etiam diſſiti paulatim ſuam linguam reliquerunt, eam uſurpantes quam loquuntur nationes Europeae, quae in maritimis ipſius regionibus ſedem ſuam ſtabiliverunt, eisque jam finitimae pacem vel foedus mutuo tuentur. Eadem de cauſſa in Helvetiae parte orientali proxima Germaniae nunc juxta Eliam Bertrand (n.662.) reſonat lingua germanica, in parte vero occidentali utpote Gallis finitima gallica. Ipſum Galliae regnum ſimilia exempla nobis ſufficit, quae falſum oſtendunt, quod Bonaventura Giraudeau dicit (3) *apud Gallos unus Rex, una regia, unus ſermo*. Teſtem habeo gallum auctorem anonymum Dictionarii theologici, quod Prosper ab Aquila italicum fecit & auxit, qui fortaſſe eſt Richardus Ord. Praedic. Lego enim apud Cl. Mamachium (4) fuiſſe ab eo Pariſiis anno 1760. publicatum *Dictionarium universale theologicum*. Hic inquam (5) teſtatur *in Galliæ provinciis ad fines regni poſitis linguam populi non eſſe gallicam*: & Hervas narrat (6) Gallos Lapurdeſis tractus in Vaſconiae provincia loqui linguam cantabricam.

681. Tandem impedita familiaris communicatio inter varias hominum claſſes, vel populos, quibus olim eadem omnino fuit lingua, eſt cauſſa ipſius alterationis & novae dialecti. Itaque in populosa civitate nobiles & literati diverſo a plebe modo loquuntur, quia raro ſolum alteri alteris utuntur, & rudes ne intelligunt quidem quid ſint ſoloecismi & barbarismi, quos liberaliter educati ſtudioſe cavent. Similiter populi invicem diviſi vel propter diſtantiam locorum, vel propter diverſos illorum dominos, vel propter ſimultates, quae inter ipſos ſint, paulatim inducunt

(1) He. Idea. to.18 n.205.
(2) He. Idea. to.18 n.230.
(3) Gi. Introd ad græc l.6 c.6.
(4) Ma. de anim. ſanct. in nota pag. 413.
(5) Diz. theo. ar. Lingua.
(6) He. Idea. to.17 n.331.

Digitized by Google

ducunt proprias ſibi inflexiones & pronunciationes eorumdem ceteroqui vocabulorum. Hac de cauſſa Florentini Piſtorienſes Senenſes, & ſinguli fere ejusdem regionis pagi ſuam quamdam linguam habent: Et Maldonato teſte (1) *cum in Gallia omnes provinciæ gallice loquantur, tamen Aquitani, Arverni, Neutrii a Pariſiis facillime dignoſcuntur*.

682. Ex eadem cauſſa repeto quod, ut ſcimus a ſacris literis, apud Judæos non nihil diverſa fuerit lingua Ephrataea a Galaaditica (2), & Galilaea ab Jeroſolymitana (3): Et quod ut norunt omnes, qui hospites non ſint in graecorum auctorum republica, lingua graeca diviſa fuerit in plures dialectos, Atticam Athenarum, Ionicam propriam uni Aſiae minoris parti, & Aeolicam alteri, & Doricam occidentali Graeciae, Siciliae, & parti Italiae: ut nihil dicam de poetica, aliisque minus acceptis Boeotica, Macedonica, Laconica, Cypria, Syracuſana, de quibus meminit Giraudeau (4). Si quando accidat, ut ad certas leges grammaticales novae dialecti revocentur, & multi ſint, qui juxta illas ſcribant tum proſas tum carmina, quae apud ipſos promulgentur, & ab iisdem recipiantur, jam nata eſt nova lingua, quae nomen ab illo ejus gentis ſibi apud alios acquirit.

ARTICULUS IV.

Obſervatio circa linguam Italam ſæculo decimo quarto non variatam.

683. Variationes, quæ circa linguas naturaliter proceſſu temporis accidunt, dum conſidero, plusquam admirabile mihi videtur, quod Antonius Salvini (5) teſtatur non ſolum auctores de lingua etruſca hujus temporis, quæ norma eſt puri ſermonis italici, qui ſcripſerunt ab annis circiter decem ante 1300. usque ad 1400., ſed vulgus ipſum habuiſſe linguam nullis inquinatam ſoloecismis: quæ eſt una ex rationibus, cur hoc italicæ linguæ ſæculum aureum fuerit appellatum, cui alia accedit de loquutione ejus temporis, quæ nitorem habet alacritatem efficaciam gratiam, aliasque dotes ſingulares & quaſi inimitabiles. Hæc non ſatis perſpexit Muratorius, dum aurei ſæculi appellationem vocavit (6) *ſomnium noſtræ modeſtiæ, honoremque his veteribus tributum immoderate*.

684. Porro in linguæ italicæ auctoribus hujus ſæculi tres eminent. Primus eſt Dantes Alighieri, Florentiæ natus anno 1265., ab ea expulſus anno 1302., quia parti Gibellinæ addictus, nec unquam ab exilio revocatus, qui Ravennæ obiit anno 1321. Ejus autem tempore lingua Itala Siculæ nomen habebat, quia quæ docti italice ſcribebant, ex Sicilia in lucem prodibant, quo Rex Fridericus qui deinde fuit imperator hujus nomi-

(1) Ma. in Matt. c. 26 v. 13.
(2) Indic. c. 12.
(3) Matt. c. 26 v. 73.
(4) Gi. Introd. ad Gr. l. 6 c. 1.
(5) Sa. ad l. 3 Murat de poeſi c. 8.
(6) Mu. Poeſia l. 3 c. 8 & 10.

Digitized by Google

nominis ſecundus, ejusque nothus filius Manfredus ibidem dominans plures traxerunt ſua liberalitate & munificentia inſignes doctrina & ingenio viros. Cuique jam conſtat Dantem fuiſſe falſum prophetam, quando Siculæ nomen pro illo italicæ vel etruſcae fore perpetuum vaticinatus fuit in libro de vulgari eloquentia (1), qui nunc ipſi communiter tribuitur juxta Tiraboſchium (2), cum olim atrox de hoc extiterit controverſia. Duo ejus filii ex ſex quos juxta Tiraboſchium (3) habuit, Petrus & Jacobus commentaria nunquam edita ſcripſerunt in ejus celeberrimam ſive comoediam ſive ſatyram, in qua ſuum iter ad Infernum Purgatorium & Paradiſum deſcribit.

685. Alter eſt Franciſcus Petrarcha natus anno 1304. Aretii, quo ejus pater, qui Petrus Petracco proprie vocabatur, cum uxore ſe receperat, in exilium a Florentia pulſus eodem anno quo Dantes & propter eamdem cauſſam. Obiit repente in ſuburbano Arquae prope Patavium anno 1374., vir inſignis latinorum auctorum quaeſitor & amator, carus omnibus psopter ſingularem doctrinam & humanitatem: & ut oſtendit Tiraboſchius (4) ſupra omnes ſui temporis doctus: ab imperatoribus, regibûs, principibus, privatisque honoratus, quem certatim volebant apud ſe habere, cui obviam ibant primores civitatum, ad quas accederet, eumque diu cum recederet proſequebantur, & cujus imagines pleraeque domus ipſo adhuc vivo oſtentabant.

686. Tertius eſt Jo. Boccaccius Petrarchæ amiciſſimus, qui ſibi proprium fecit inſignem literarum græcarum amorem, ut admirantibus Tiraboſchio (5) & Joanne Andres (6) obtinuerit a republica florentina erectionem cathedræ liuguæ græcæ, ejusque collationem ſuo hujus linguæ magiſtro Leontio Pilato in tota græcanica literatura doctiſſimo. Annus 1313. fuit Boccaccio primus vitæ, ſed de loco ſuæ nativitatis controvertitur. Ipſe quidem de Certaldo ſe dicit caſtello ditionis Florentinæ, quia idem inquit apud Tiraboſchium (7) *natale ſolum maiorum meorum fuit, antequam illos ſusciperet Florentia cives*. Ultimos vitæ ſuæ annos, Petrarchæ etiam monitis commotus vixit in dolore aliorum, quos ad inſtar increduli libidinoſe tranſegerat. Certaldi autem, quo ſolitus erat ſecedere obiit vigeſima prima Decembris anni 1375. Multa ſinguli latine & italice ſcripſerunt, ſed a ſolis italicis famam, quæ apud omnes gentes adhuc viget, ſibi compararunt, Dantes a ſua Comoedia, Petrarcha a ſuis Lyricis, quæ ſunt de genere amatorio, & Boccaccius a proſaico Decamerone, quod narrationes continet ad Epicureorum coetus genialiter occupandos. Horum operum fama brevi ubique diffuſa anſam dedit repetitis eorum translationibus in linguas omnium gentium, quæ humaniores literas æſti-

(1) Da. c. 12.
(2) Ti. Stor. Lett. to. 3 pref.
(3) Ti. Stor. to. 5 l. 3 c. 2 n. 10 & 12
(4) Ti. Lett. ital. to. 5 l. 1 c 2.
(5) Ti. Lett. ital. to. 5 l 3 c. 1 n 8.
(6) An. Origi. to. 1 c. 12.
(7) Ti. Stor. to. 5 l. 3 c. 2 n. 38.

Digitized by Google

æſtimatione dignas jam reputabant. De aliis ejusdem temporis præclariſſimis linguæ italicæ auctoribus quos commemorat Daniel Bartoli (1) non omittam Joannem Villani Florentiæ in patria mortuum anno 1348., qui tanta elegantia hiſtoriam ſuorum temporum ſcripſit, ut ſint qui ipſum præferant Boccaccio.

PROPOSITIO VII.

Eccleſia J. Chriſti nullam optimo jure ad mittit variationem in linguis, quas in publicis religionis exercitiis ſub initium adhibuit pro diverſis per orbem nationum linguis.

687. NOvimus Eccleſiam catholicam, quæ ſola eſt Eccleſia J. C. adhuc in Europæ parte accidentali uti lingua latina in publicis precibus, in ſacrorum celebratione, in ſacramentorum adminiſtratione, & in tota liturgia: lingua autem Hellinica in parte orientali, & ſola latina in America utpote per Europeos latinos ad Eccleſiam J. Chriſti aggregata: in Aſia vero alicubi uti Armena, & alibi Syriaca, quæ olim late reſonabat apud Chriſtianos Tartariæ, & nunc remanet juxta aliquos etiam in liturgia apud Malabarios, & incolas Dioſcoridis, quæ eſt inſula maris rubri Aſiam inter & Africam, & vulgo Zocotora, vel Socotora dicitur: & Coptica tandem in Africa, linguis, quæ jam olim ceſſarunt eſſe linguæ vulgares, quales erant cum primum fundatæ ab Apoſtolis fuerunt particulares hujusmodi Eccleſiæ, & factæ ſunt linguæ, quæ ſolum per ſtudium acquiri poſſunt, cui ſe dedunt, qui religionem chriſtianam in unaqnaque ex his regionibus tuentur & promovent, & alii etiam literariæ & ſacræ antiquitatis ſtudioſi propter auctores, qui in prædictis linguis non deſunt, & in ipſarum aliquibus etiam abundant, publici juris facti per typos, ut nemo neſcit de latinis & græcis, & de Syriacis ac Armenis quisque videat, qui aliis omiſſis conſulat libros S. Ephrem, & illos S. Iacobi Epiſcopi Niſibeni, qui noſtra ætate in lingua & characteribus ipſorum auctorum impreſſi fuerunt una cum latina verſione, tria quidem magni moduli ſyriaca volumina S. Ephrem opera Card. Angeli Querini, & unum ſimilis molis S. Jacobi armenium, opera Card. Nicolai Antonelli.

688. Optimum in hoc conſilium habetur quia hoc modo integra conſervantur dogmata Religionis catholicæ, quæ ad nos devenerunt per linguas, quibus tradita fuerunt ab Apoſtolis, per quos J. Chriſtus ea nobis revelavit, quæ violationis periculo obiicerentur, ſi religionis exercitia, in quibus illa continentur, accomodari deberent linguæ quæ adhibetur a vulgo.

(1) Ba. il torto e'l diritto. Pref.

Digitized by Google

vulgo. Hæc enim cum in ſingulis fere locis perpetuæ variationi obnoxia ſit, opus eſſet identidem novas verſiones efficere totius liturgiæ: atque in his quisque dubitare poſſet, & etiam negare expreſſum eſſe verum ſenſum ſacrorum librorum, eorumque legitimam doctrinam, cum nemo teneatur ſtare judicio privatorum hominum, qui eam verſionem feciſſent, in quorum numero computantur omnes qui forte eam approbaſſent magiſtratus ſive ſacri ſive profani, de quibus dici non poſſit eos eſſe Eccleſiam Dei. Huic enim ſoli datum eſt (1) *judicare de vero ſensu & interpretatione Scripturarum*, nec poſſe errare in quavis circa Fidem & mores lata ſententia juxta promiſſionem. quam auctor Eccleſiæ J. Chriſtus illi fecit, quem conſtituit ejusdem viſibile caput, Romanum Pontificem S. Petrum, ejusque ſucceſſores.

689. Propterea ex horum approbatione extat decretum ultimi Oecumenici Concilii Tridentini, quo damnantur, quotquot dixerint (2) *receptos & approbatos Eccleſiæ catholicæ ritus in ſolemni ſacramentorum adminiſtratione adhiberi consuetos in novos alios per quemcunque Eccleſiarum paſtorem mutari poſſe*, & (3) *lingua vulgari miſſam celebrari debere*. Ex eadem cauſſa periculo inſinuandi errores etiam contra Fidem, & perpetuæ mutationis in libris, quorum uſus eſt in Sacris, & horis canonicis, quæ, ut ait S. Pius V. (4) *illam communionem uni Deo, una & eadem formula preces & laudes adhibendi diſcerperet*, ſi quivis pro tempore Epiſcopus poſſet id efficere per ſpeciem tollendi vel addendi, quæ circa vel liturgiam, vel hiſtoriam, vel chronologiam, vel biographiam ubi viderentur tollenda vel addenda, Concilium Tridentinum ſic decrevit, quicquid circa has quæſtiones occurrit (5) *Romano Pontifici exhibeatur, ut eius judicio atque auctoritate terminetur & evulgetur*. In hanc curam ſibi ab hoc oecumenico concilio commendatam incubuit ſtatim S. Pius V., & anno 1568., quarto a fine Concilii Breviarium propoſuit, ſtatuens in citata Bulla cum præcepto ad omnes & ſingulos Epiſcopos directo *ipſum nullo unquam tempore vel totum, vel ex parte mutandum, vel ei aliquid addendum, vel omnino detrahendum eſſe*: anno vero 1570. Miſſale dedit, præcipiens pariter omnibus (6) *ne in Miſſæ celebratione alias cæremonias vel preces, quam quas hoc miſſali continentur, addere vel recitare præſumant*.

PRO-

(1) Tr. ſeſ. 4 decr. de ſac. lib.
(2) Tr. ſe 7 c. 13 de Sacr.
(3) Tr. ſe. 22. c. 5.
(4) Pi. Bulla. Quod a nobis.
(5) Tr. Contin. ſes. 25 decr. de brevi. & miſsal.
(6) Pi. Bul. Quo primum.

Digitized by Google

PROPOSITIO VIII.

Inſtitutio Academiarum pro linguis conſervandis & perficiendis eſt commendabilis .

690. PRopoſitio eſt contra aliquos , qui hujusmodi academias , quae ſunt quidam quaſi magiſtratus, quorum cura eſt incumbere ad conſervationem & perfectionem linguæ, quam unaquæque gens nunc loquitur , nuper improbarunt , Eximenus (n.65.) iterum iterumque in tractatu de Muſica (1) , & Arteaga (n.62.) in obſervationibus, quas anno 1784. addidit italicæ diſſertationi Matthæi Borſae Venetiis impreſſæ , *De guſtu huius temporis in itala literatura*, cujus meminerunt Ephemerides Liter. Rom. (2) quæ hominem dicunt juvenem , dum deinde (3) referunt jure non placuiſſe aliam hujus Borſæ lucubrationem , tragoediam Agamenonis Venetis pariter typis anno 1786. promulgatam. Horum contra hujusmodi academias argumenta ſunt, eas impedire linguarum amplificationem , diſciplinarum artiumque incrementum , & proinde mentis humanæ perfectionem . Auctoritatem etiam pro ſe adducunt veterum Græcorum & Latinorum , cui novum pondus credunt acceſſiſſe ab Anglis noſtri temporis , gente ingenii ſingularis, & præclare merita de quavis ſcientia , humana maxime , & de quavis arte , apud quos hæc Academia non invenitur . Ex ſolo nomine academiæ , multorum ſcilicet ſapientum & prudentum conventu quivis optimo jure jam credet adverſarios vanis ludi imaginibus , quod certo cognoſcet ita eſſe auditis rationibus factæ propoſitionis , quas poſt quamdam quaſi hiſtoriam de ipſius ſubiecto exponam .

ARTICULUS I.

De Academiis conſtitutis pro linguis .

691. FLorentini de omni ſcientiæ & artis genere optime meriti omnium primi Academiam pro linguæ Italæ conſervatione & incremento erexerunt vulgo cognitam ſub cognomento *Della Cruſca* , quia ex dictis (n.296.) illis placuit in ejus teſſeram eligere cribrum , quo ſecernimus farinam, quæ tanta pars eſt noſtri alimenti a furfure , qui cohortis aves , & vectarios equos opimat . Celeberrima haec evaſit maxime , poſtquam in publicam lucem emiſit ſuum gloſſarium , in quo invenias diſtinctas nominum notiones , quæ palam faciunt ejus auctores fuiſſe acutos diale-

Pp

(1) Ex. l. 2 c. 3 & l. 3 c. 1.
(2) Ef. ann. 1786. n. 2.
(3) Ef. ann. 1787. n. 14.

Digitized by Google

vulgo. Hæc enim cum in ſingulis fere locis perpetuæ variationi obnoxia ſit, opus eſſet identidem novas verſiones efficere totius liturgiæ: atque in his quisque dubitare poſſet, & etiam negare expreſſum eſſe verum ſenſum ſacrorum librorum, eorumque legitimam doctrinam, cum nemo teneatur ſtare judicio privatorum hominum, qui eam verſionem feciſſent, in quorum numero computantur omnes qui forte eam approbaſſent magiſtratus ſive ſacri ſive profani, de quibus dici non poſſit eos eſſe Eccleſiam Dei. Huic enim ſoli datum eſt (1) *judicare de vero ſenſu & interpretatione Scripturarum*, nec poſſe errare in quavis circa Fidem & mores lata ſententia juxta promiſſionem. quam auctor Eccleſiæ J. Chriſtus illi fecit, quem conſtituit ejusdem viſibile caput, Romanum Pontificem S. Petrum, ejusque ſucceſſores.

689. Propterea ex horum approbatione extat decretum ultimi Oecumenici Concilii Tridentini, quo damnantur, quotquot dixerint (2) *receptos & approbatos Eccleſiæ catholicæ ritus in ſolemni ſacramentorum adminiſtratione adhiberi consuetos in novos alios per quemcunque Eccleſiarum paſtorem mutari poſſe*, & (3) *lingua vulgari miſſam celebrari debere*. Ex eadem cauſa periculo inſinuandi errores etiam contra Fidem, & perpetuæ mutationis in libris, quorum uſus eſt in Sacris, & horis canonicis, quæ, ut ait S. Pius V. (4) *illam communionem uni Deo, una & eadem formula preces & laudes adhibendi diſcerperet*, ſi quivis pro tempore Epiſcopus poſſet id efficere per ſpeciem tollendi vel addendi, quæ circa vel liturgiam, vel hiſtoriam, vel chronologiam, vel biographiam ſibi viderentur tollenda vel addenda, Concilium Tridentinum ſic decrevit, quicquid circa has quæſtiones occurrit (5) *Romano Pontifici exhibeatur, ut eius judicio atque auctoritate terminetur & evulgetur*. In hanc curam ſibi ab hoc oecumenico concilio commendatam incubuit ſtatim S. Pius V., & anno 1568., quarto a fine Concilii Breviarium propoſuit, ſtatuens in citata Bulla cum præcepto ad omnes & ſingulos Epiſcopos directo *ipſum nullo unquam tempore vel totum, vel ex parte mutandum, vel ei aliquid addendum, vel omnino detrahendum eſſe*: anno vero 1570. Miſſale dedit, præcipiens pariter omnibus (6) *ne in Miſſæ celebratione alias cæremonias vel preces, quam quæ hoc miſſali continentur, addere vel recitare præſumant*.

PRO-

(1) Tr. ſeſ.4 decr. de ſac. lib.
(2) Tr. ſe 7 c.13 de Sacr.
(3) Tr. ſe. 22. c. 9.
(4) Pi. Bulla. Quod a nobis.
(5) Tr. Contin. ſes.25 decr. de brevi. & miſsal.
(6) Pi. Bul. Quo primum.

Digitized by Google

PROPOSITIO VIII.

Inſtitutio Academiarum pro linguis conſervandis & perficiendis eſt commendabilis.

690. PRopoſitio eſt contra aliquos, qui hujusmodi academias, quae ſunt quidam quaſi magiſtratus, quorum cura eſt incumbere ad conſervationem & perfectionem linguæ, quam unaquæque gens nunc loquitur, nuper improbarunt, Eximenus (n.65.) iterum iterumque in tractatu de Muſica (1), & Arteaga (n.62.) in obſervationibus, quas anno 1784. addidit italicæ diſſertationi Matthæi Borſae Venetiis impreſſæ, *De guſtu huius temporis in itala literatura*, cujus meminerunt Ephemerides Liter. Rom. (2) quæ hominem dicunt juvenem, dum deinde (3) referunt jure non placuiſſe aliam hujus Borſæ lucubrationem, tragoediam Agamenonis Venetis pariter typis anno 1786. promulgatam. Horum contra hujusmodi academias argumenta ſunt, eas impedire linguarum amplificationem, diſciplinarum artiumque incrementum, & proinde mentis humanæ perfectionem. Auctoritatem etiam pro ſe adducunt veterum Græcorum & Latinorum, cui novum pondus credunt acceſſiſſe ab Anglis noſtri temporis, gente ingenii ſingularis, & præclare merita de quavis ſcientia, humana maxime, & de quavis arte, apud quos hæc Academia non invenitur. Ex ſolo nomine academiæ, multorum ſcilicet ſapientum & prudentum conventu quivis optimo jure jam credet adverſarios vanis ludi imaginibus, quod certo cognoſcet ita eſſe auditis rationibus factæ propoſitionis, quas poſt quamdam quaſi hiſtoriam de ipſius ſubiecto exponam.

Articulus I.

De Academiis conſtitutis pro linguis.

691. FLorentini de omni ſcientiæ & artis genere optime meriti omnium primi Academiam pro linguæ Italæ conſervatione & incremento erexerunt vulgo cognitam ſub cognomento *Della Cruſca*, quia ex dictis (n.296.) illis placuit in ejus teſſeram eligere cribrum, quo ſecernimus farinam, quæ tanta pars eſt noſtri alimenti a furfure, qui cohortis aves, & vectarios equos opimat. Celeberrima haec evaſit maxime, poſtquam in publicam lucem emiſit ſuum gloſſarium, in quo invenias diſtinctas nominum notiones, quæ palam faciunt ejus auctores fuiſſe acutos diale-

(1) Ex. l. 2 c. 3 & l. 3 c. 1.
(2) Ef. ann. 1786. n. 2.
(3) Ef. ann. 1787. n. 14.

Digitized by Google

dialecticos, illudque aliae deinceps ſimiles Academiæ pro aliis linguis ſibi in ejusdem generis operibus tamquam exemplar propoſuerunt. Quinque illam Florentini inſtituerunt anno 1582. Bernardus Canigiani, Io. Baptiſta Dati, Ant. Franciſcus Grazzini, Bernardus Zanchi, & Sebaſtianus de Rubeis, ut plenius intelliget, qui Italicos *Faſtosi Conſulares* Salvini Salvinii, ubi de ejus origine agit, evolvat. Huic Academiæ Io. Baptiſta Pinelli Ianuenſis ſua latina carmina anno 1594. dedicavit.

692. Quoniam gloſſaria linguarum, quæ vivæ ſunt, poſſunt in dies augeri & perfici pro ſtudio, quod fiat circa auctores, qui ſunt earum magiſtri, eosque qui deinceps his linguis ſapienter uſi ſunt, & pro novis vocabulis, quæ ſignificent conceptus, quibus majores caruerunt, vel quia de omnibus diſciplinis non tractarunt, vel quia aliquæ illarum partes eorum ætate nondum apparuerant, vel nondum adoleverant, ideo illud Academiæ Italæ quater renovatum eſt, ita ut primum anni 1612. compares infanti, ſed ab ipſo ortu giganti inquit Daniel Bartoli (1): puero illud anni 1623.: juveni alterum anni 1691.: viro tandem quartum, cujus ſextum & ultimum volumen in lucem venit anno 1738., duobus annis ante obitum Benedicti Breſciani eruditiſſimi ſenis, qui præceptor fuit Jo. Gaſtonis ultimi Principis ex Medicea familia, & referente Jo. Lamio huic operi (2) *abſolvendo multum ſuo ſtudio & obſervationibus contulit*: primum vero anno 1729., quo Academia orbata fuit Antonio Salvinio annos nato 75., alio ex iis qui eodem Lamio auctore (3) hanc novam editionem adornarunt profitentes in ipſo ejusdem proemio multa adhuc deſiderari, quorum examen poſteris relinquunt, qui viderint retinenda ne ſint vel addenda tamquam farina, an reiicienda tamquam furfur, juxta exemplum, quod ipſi acceperant a ſuis majoribus, qui in tertia hujus operis editione adverterunt ſe adoptaſſe ex auctoribus præſertim novis eos ſolum dicendi modos, quos tunc communi ſuffragio cenſuerunt elegantes, & ab indole hujus linguæ non alienos, & pro exemplo quod ipſi iidem præbent, qui in primo volumine dicunt proferre ſe circiter ſex millia additionum ex novis vocabulis, vel vocabulorum ſignificationibus præter multas novas auctoritates optimorum auctorum ſparſim in toto opere allatas præſertim in verbis, ut melius appareat ſingulorum ſyntaxis & conjugatio. In ultimo autem ejusdem volumine ingenue retractant quosdam articulos in ſuperioribus jam editis poſitos, qui in nova editione Veneta Franciſci Pitteri anni 1763. in ſuis ſinguli locis fuerunt collocati.

663. Horum academicorum prudentes animadverſiones habuit præ oculis credo Facciolatus, dum multas novas voces, quæ in eorum opere non leguntur, collegit, quas vidi in octava ſuæ Orthographiæ editione anni 1739. citatis auctoribus ab ipſa Academia probatis, apud quos ea invenit, quæ vel Academicorum diligentiam effugerunt, vel ad aliud tempus

(1) Bar. Il torto Pref.
(2) La. Memoi. Ital. ar. Breſcianus.
(3) La ibid. to. 1.

Digitized by Google

tempus illarum examen amandarunt. His Facciolati additamentis boni in hac re judicis non dubito uſos fuiſſe tum Annibalem Antonini pro ſuo lexico Italo-gallico tanto cum plauſu excepto, quod dicit a ſe conflatum ex illo Academiæ Etruſcæ additis vocabulis plusquam bis mille ex ſcriptoribus, quos eadem recepit: tum Paſchalem Tommaſi, cujus opera hoc gloſſarium in ſex pariter volumina majoris moduli cum multis additamentis Neapoli anno 1746. magnifice fuit recuſum, in quo alii viderint an ea ſint, vel aliqua ſaltem ex iis, quæ deinde Io. Antonius Bergantini natus Venetiis anno 1685., ibique mortuus anno 1764. in ſolis Dante Petrarcha Boccaccio plures voces invenit eidem gloſſario addendas, quas anno 1760. Venetiis protulit in italico libro *Collectio omnium vocum* &c. quem non video enunciatum in catalogo ipſius operum contexto ab Ant. Franciſco Vezzoſi in ejus vita (1), qui tamen meminit de ſimili libro ab eodem typis Venetis impreſſo anno 1745. cum hoc titulo, latine ex Italico reddito *Italicæ voces auctorum, quos Academia linguæ Etruſcæ probavit & in eius gloſſario deſiderantur*. Idem multo plures exiſtimavit eidem gloſſario addi debere ex aliis auctoribus digni ipſo judice, qui ab ea Academia probentur, easque incoeperat anno 1740. ordinatim exhibere in ſuo *De vulgari eloquutione* italico opere, cujus tamen primum volumen, alia nunquam, quod ſciam, ſunt conſequuta, quæ uſque ad duodecim in promptu habebat.

694. Sed hujusmodi jam quæſtiones circa novos loquendi modos, aut novos ſcriptores recipiendos inter auctores linguæ Italæ non pertinent amplius ad hanc definiti muneris & nominis academiam, quoniam pro rerum humanarum conditione finem habuit die 7. Iulii ann. 1783. M. enim Etruriæ Dux Leopoldus eam cum duabus aliis academiis, quæ erant Florentiæ, juſſit contrahi in unam ſub nomine Academiæ regiæ Florentinæ, quæ aperta fuit 27. Septembr. anni 1783., ut ajunt Ephemerides Liter. Rom. (2). Atque hac via ſuum jam nomen amiſerunt illa pro itala lingua, & alia pro literis humanioribus, quæ Academia Florentina vocabatur multo antiquior, quippe anno 1540. congregata in ædibus Jo. Mazzuoli, & tertia Apathiſtarum dicta, de qua nonnihil retulit Joannes Lami (3). Hæc ad incrementum & illuſtrationem amoenae literaturæ initium habuit in ædibus Auguſti Coltellinii, qui juxta Tiraboſchium Bononienſis origine natus Florentiæ ibidem obiit anno 1693.

695. In inſtitutione interea Academiæ, quæ de dignitate Italicae linguæ tuenda & augenda unice ſollicita erat, Florentinos imitati ſunt Galli, apud quos Ludovicus XIII. anno 1635. parem erexit pro eorum lingua, cui nomen Academicæ Gallicæ dedit curante Card. Armando de Richelieu, cum jam olim ipſi quoque viderent opus eſſe magiſtratu quodam, cui natio poteſtatem conferret definiendi & ſtatuendi, quæ ad ſuæ linguæ decus

(1) Ve. Scrittori Teatini, ar. Bergantini.

(2) Ef. ann. 1784. n: 24.

(3) La. Memorabil. Italer. ar. Salvin.

Digitized by Google

decus ſpectarent, quemadmodum teſtatur Franciſcus Malherbe Cadomi natus anno 1556., & poſt annos 72. Pariſiis mortuus, qui de ſua etiam in hac re ſollicitudine merito commendatur. Sollicitum hujus pariter Academiæ ſtudium ſtatim fuit conſtructio Gloſſarii, quod quater jam novis ſemper auctum acceſſionibus publicavit. Prima ipſius editio facta fuit anno 1694. annis fere ſexaginta ab ejus creatione: Secunda anno 1718., tertia anno 1740., in qua ſi multas novas voces addidit, aliquas etiam quas antea receperat, expunxit, ut *Huitrier* oſtrearum venditor, quæ aliquibus viſa fuit excuſa ſine ulla opportuna ratione inquit Dictionarium Antonini. Quarta tandem, quæ eſt ultima mihi nota prodiit anno 1762.

696. Primam Antonius Furetierus unus ex ejus academicis tentavit præoccupare per ſuum Dictionarium Univerſale, pro cujus impreſſione jam impetraverat privilegium. anno 1684. Sed non prodiit niſi poſthumum; Obſtitit enim Academia, cui proinde litem ipſe movit coram magiſtratibus, quæ per ſolum ejus obitum, qui contigit anno 1688. ætatis ſuæ 68. finem habuit, quin aliud interea obtinuerit niſi expulſionem ab academia. De hac lite omnes literarii nuncii Pariſienſes, Hollandi, Lipſienſes pro anno 1685. loquuntur, ejusque hiſtoria proſtat juxta Ladvocatum (1) in collectione cauſarum magnæ celebritatis, & ſcripta quæ pro ipſo & contra ipſum prodierunt conſtant duo alicujus molis volumina, Amſtelodami impreſſa, alterum anno 1687. cum gallico titulo, qui latine eſt *Collectio plurium carminum in cauſſa inter Abbatem Furetier, & Academicos Gallicos*, alterum vero anno 1688. gallice pariter *Argumenta de iis quæ continentur in cauſſa Furetieri cum* Gallica *Academia*.

697. Poſt Gallos in Hiſpania etiam cogitatum fuit de ſtatuenda Academia pro lingua ipſi propria, quæ in dies abundabat dialectis magis vel minus remotis a Caſtellana, quæ per antonomaſiam vel per excellentiam dicitur Hiſpana. Hanc cum Rex Philippus V. mente jam agitaret, conſtituit anno 1713. ſtatim ut Io. Emmanuel Fernandez Pacecho pro ejus inſtitutione ipſum ſupplicavit, quemadmodum ipſa Academia nos docet in prologo ſui Gloſſarii, quod inſcribitur linguæ Caſtellanæ, ubi hanc ſibi primam legem ſancivit *incumbere in integritatem ſermonis Caſtellani, eliminando errores, quos in ſua vocabula & loquendi modos, & conſtructiones invehit ignorantia & libido innovandi*. Ejus primum volumen ex ſex quibus conſtat, prodiit in lucem anno 1726., & ultimum anno 1739. In his multa inveniuntur vocabula, quæ non ſunt in theſauro hujus linguæ per Sebaſtianum Covarruvium promulgato anno 1611., & iterum cum permultis acceſſionibus per Benedictum Neidens anno 1672., quem habuerunt præ oculis hi Academici, quemadmodum quivis cognoſcet ex præmiſſo catalogo ſcriptorum, quos ipſi proponunt audiendos tamquam auctores hujus linguæ, qui incipiens ab illis anni 1200. deſcendit ad illos anni 1700.

698. Apud

(1) **La. Dic. ar. Furetiere**

698. Apud Luſitanos recentius par Academia pro ſua lingua erecta fuit ab eorum Rege Ioanne V. Noverat enim credo Rex controverſias quas Luſitani ſcriptores ſolliciti de perfectione ſuæ linguæ inter ſe agitabant circa ipſius ſexdecim diphtongos, circa orthographiam, aliasque grammaticales quæſtiones, quarum aliquas indicat Emanuel de Faria (1). Atque has quis non videat perpetuo duraturas niſi adſit quidam magiſtratus, qui ad ſententiam ferendam ſit legitime conſtitutus. Sapientiſſimo igitur conſilio Rex devenit ad erectionem Academiæ linguæ Luſitanæ, quæ tamen nondum protulit ſuum gloſſarium, quod ut fertur magna jam ex parte paratum erat, abrupta ejus perfectione a diverſis calamitatibus, quæ mortuo Ioanne rege totum regnum vehementiſſime concuſſerunt. Huic interea viam ampliſſimam aperuit illud quod Raphael Bluteau Clericus Regularis Londini natus anno 1638. ex Gallis parentibus, & Ulyſſipone mortuus anno 1734. protulit cum hoc titulo *Vocabulario portugueze latino, aulico, anatomico, architettonico, bellico, botanico, baſilico, comico, critico &c.*, cujus prima quatuor volumina majoris formæ Conimbricæ annis 1712. & 13. magnifice fuerunt impreſſa ſumptibus Regis Ioannis V., cui totum opus dicatum eſt, reliqua autem quatuor Uliſipone annis 1716. 1720., & ſequenti, quibus deinde duo nova volumina annis 1727., & 28. acceſſerunt, quæ idem auctor ſupplementum inſcripſit.

699. Recentiſſime Svecia etiam habet ſimilem Academiam, quam in ejus Metropoli Stocholmia ejus rex Guſtavus illam conſtituit Martio ann. 1786. ut publici referunt nuncii, qui (1) etiam de ipſius ſcopo diſtinctim loquuntur.

ARTICULUS II.

Argumenta pro propoſitione.

700. EX rationibus quas ſequuti ſunt viri conſultiſſimi in inſtitutione Academiarum pro linguis petuntur hæc argumenta. Ia. ratio eſt, curare ipſius conſervationem, quandoquidem conſtat linguas arbitrio multitudinis relictas intra etiam breve tempus alias evadere ab illis quæ fuerant. Teſtis eſt lingua latina, quæ ſub Plauto alia invenitur ac fuerat ſub Duillio, cujus latinum elogium ſupra (n.514.) commemoratum non præceſſit mortem Plauti, niſi annos ſex ſupra ſeptuaginta, & alia ſub Terentio, qui quinquennis erat, quando Plautus deceſſit. Teſtes ſunt Itali Grammatici, qui amplum catalogum contexunt de dictionibus, quibus vulgus aliam ſignificationem facile tribuit, vel aliam compoſitionem per additam vel detractam aliquam literam vel unam in alteram commutatam. Ex his plures collegit Rogaccius (3), & plures haben-

(1) Fa. Europa. to. 3 p. 4 c. 10 n.19.
(2) Gazz. univer. ann.1786 n.33.
(3) Ro. Pratic. d. ling. par. 2 c. 12.

bentur in italico tractatu Danielis Bartoli tam ſæpe edito *il Torto e'l Diritto*, hoc eſt Jus & Injuria in ſententia, quæ circa quædam italica verba ſolet pronunciari. Sed multo illuſtriores teſtes ſunt tot linguæ italæ abnormes dialecti in diverſis ipſius provinciis. Hervas de ſe narrat (1) cum Bononiam primum adveniens eam perluſtraverit crediciſſe Helvetios eſſe quotquot audivit ſuis interrogationibus reſpondentes, ita ut rediens ad diverſorium interrogaverit quonam modo tot ibi eſſent Helvetii, nec præconceptam opinionem depoſuit, niſi poſtquam comperit dialectum quamdam italicam eſſe linguam ejus populi, qui ceteroqui a Florentia diſtat minus quam milliariis ſexaginta.

701. IIa eſt impedire ne tempus ſuis pariter quibus ſubjacet viciſſitudinibus e medio tollat modos loquendi & vocabula a linguæ magiſtris, bonisque auctoribus uſitata. Quis enim non videt quotidie quantum *ævi longinqua valet mutare vetuſtas*, Hoc pacto multa in italica lingua, quæ habentur in manuſcriptis auctorum, quos veneramur tamquam fundatores hujus linguæ publici juris facta ſunt per hujusmodi academias, quæ ea palam produxerunt.

702. IIIa eſt cavere ne cerebroſi arrogent ſibi arbitrium de bonis loquendi modis. Unus ex his reputatur Monteriſus, quem impugnat Des Fontaine (2), qui in gallica diſſertatione de linguis vivis, viſus eſt docere nullam in lingua viva lucubrationem condemnari poſſe de ſoloecismis aut barbarismis, quando eos adhibeat loquendi modos, quos vulgus quod grammaticam ignorat adhibet, nec reprehendi poſſe, ſi novas voces novasque conſtructiones excudat iis neglectis, quas nobis quicunque ante nos auctores reliquerunt, Cum M. Pomponius Marcellus nobilis ſub Tiberio cauſſidicus & grammaticus, referente Suetonio (3) agens quamdam in foro cauſſam, audiſſet neſcio quid contra regulas grammaticæ prolatum a ſuo adverſario tam vehementer & tam copioſe in illum dicere incoepit, ut ſuæ videretur cauſſæ penitus oblitus, quanto majori bile contra hanc Monteriſii ſententiam tamquam cujusvis linguæ corruptricem fuiſſet declamaturus. Poſt Monteriſum ſunt qui nominant Dominicum Gatteſchi, qui Florentiæ anno 1786. edidit vindicias vocabuli *puole*, quod aliqui Itali adhibent loco alterius *puo*, quod definite grammatici unanimes præſcribunt, ut Mannius (4), Rogaccius (5), Corticellius (6), rejecto *puole* inter barbarismos. Certe in argumentis, quibus hanc ille cauſſam peroravit, quæ legi apud Ephem. Lit. Rom. (7) nullum vidi, quod mihi viſum ſit alicujus momenti. Plures his ſimiles occurrunt in iis, qui apud Annales literarios Italiæ (8) contenderunt a lingua gallica adverbium *car*, & ab itala *imperciocche* eliminare.

703. In

(1) He. Idea. to. 17 n.320.
(2) Fo Ingem. to 2 pag.31.
(3) Su. de gram. c.22.
(4) Ma. Lez. 7.
(5) Ro. Prali. d. ling. n.146.
(6) Cor. Reg. d. ling l.1 c.26.
(7) Ef. ann.1786 n.34.
(8) Ann. to.1 l.1 n.1.

Digitized by Google

703. In hujusmodi novatoribus communiter exploſis inſignem ſibi locum vindicavit Ducloſſius, qui in nova editioue grammatices, quæ dicitur Portus Regalis, ſequutus eſt orthographiam feminarum & rudium in gallicarum dictionum ſcriptione, hanc unice laudans, illamque, quæ ſapientum dicitur conſulto reiiciens & vituperans. Hoc iſtius conſilium Trevoltiani (1) cum quadam indignatione admirantur, & quidem jure. Hoc enim idem eſt ac difficilem reddere intelligentiam eorum, quæ majcres noſtri ſcripta nobis reliquerunt. Ex hac cauſſa laudem reportavit Annibal Antonini, qui gallica vocabula, quæ quæri ſolent ab exteris hujus linguæ ſtudioſis protulit in ſuo Dictionario juxta veterem orthographiam olim communem, antequam novam quamdam Academia gallica approbaret, quam tamen ipſe idem aperte ſimul cum veteri propoſuit perſcriptis diverſo charactere literis, quas Academia cenſuit omitti poſſe ſine linguæ detrimento, quoniam hujusmodi variationes ſunt tandem ejusdem generis, ac illæ, quæ in itala lingua obſervantur in quibusdam vocabulis, qnæ alii ex optimis auctoribus ſcribunt cum una, alii vero cum duabus conſonantibus, ut comune & commune, imagine & immagine, ſofismi & ſoſſismi.

704. Qui obſervet in linguam latinam illatas quasdam novitates in orthograehia aliquorum ex ſuis vocabulis ex hac ratione, quod ita legantur perſcripta in quibusdam lapideis monumentis recens erutis, jure jam potuiſſet timere ne ſuæ quoque linguæ dictiones quis olim pertinaciter vellet propter auctoritatem alicujus vetuſti manuſcripti in novam formam immutare, ſi remota eſſet Academiæ tamquam ſupremi in his controverſiis tribunalis ſanctio, quæ hujusmodi ſcriptiones vel uniuscujusque arbitrio relinquat, vel dum unam approbat, reliquas jam in perpetuum intelligitur proſcribere. Ceterum perperam aliqui novam aliquarum vocum latinarum deſcriptionem ſequuntur propter auctoritatem alicujus effoſſi monumenti, in quo ſic expreſſum oſtentant; Nam quis credat antiqui temporis ſculptores ſcalptores & ſimiles artifices fuiſſe literatos, & non potius illiteratiſſimos, ſicuti noſtri ſunt, quorum unum Romæ vidi nolas a ſe fuſas foedaſſe iis inſcriptionibus latinis, quales fieri neceſſe erat ab homine, qui ne nomen quidem grammaticæ fortaſſe noverat. Hæc reſponſio neſcio quomodo non venerit in mentem Paulo Manutio, quando ad illum venit quaſi triumphans Lambinus cum veteri ſaxo, in quo legebat *conſumptum*, non vero *conſumtum*, ut Manutius contra ipſum contenderat ſcribendum. Hæc quidem aliqua fuiſſet objectionis ſolutio, non illa, quæ ut fertur naſum miſero fregit ſaxo per iracundiam in faciem impacto.

705. Illa eſt cavere ne recepta verborum ſignificatio immutetur permittendo ut latius in dies ſerpat impune abuſus, quem de illis frequentiſſime faciunt inconſiderati & ignorantes. Quod enim Gellius di-

xit

(1) Tr. ann. 1754 ar. 75.

xit de latinis verbis *ex ea ſignificatione*, *in qua nata ſunt deceſſiſſe in aliam conſuetudine & inſcitia temere dicentium*, idem in quavis lingua continget, quæ non habeat aliquos, qui ex legitima auctoritate his cauſſis palam obſiſtant. Qui fuerunt primi linguæ alicujus magiſtri, & qui deinceps ex obſervatione ſupra horum eloquutionem conſtituerunt regulas grammaticales, nihil aliud præ oculis habuerunt, quam conſulere claritati ſermonis, ita ut nunquam opus eſſet ad illius ſenſum concipiendum advertere adjuncta loci aut temporis aut alia quæcunque. Itaque claſſici auctores linguæ italicæ ad diſtinctionem ſermonis, fontem claritatis noluerunt, ut pronomen *Gli* æquivaleret plurali dativo *illis*, pro quo uſurparunt *Loro*, neque dativo feminino *illi*, cui aſſignarunt a *Lei*, vel *Le*, & qui ſecus faciunt, quemadmodum non raro audimus fieri, de ſoloecismo accuſant. Eodem modo quia adverbium *Mai* reſpondet Latino *unquam*, boni auctores conſtanter dixerunt *Non mai*, aut *Mai non*, quoties voluerunt ſignificare *nunquam*, & a puro ſermone recedere ſtatuunt quotquot ſolum *mai* pro *nunquam* uſurpant, quin ab hoc quaſi decreto removeantur a contrario vulgi uſu, & raris quibusdam exemplis, quæ ex aliquibus bonis ceteroqui ſcriptoribus pro illo producantur, ſicuti abundanter facit Dan. Bartoli in libro paulo ante laudato (n.700.) quem profitetur (1) a ſe vulgatum, nequis tam facile pronunciet, *Hoc dici italice nequit*, non vero ut illud ipſe ſciens & volens unquam dicat, quod inſolitum jam & inuſitatum novit eſſe.

706. Via eſt cavere, ne peregrinitas ut ajebat Cicero in linguas infundatur, hoc eſt exoticæ voces uſurpentur pro iis, quas ipſæ ad eoſdem conceptus ſignificandos jam habeant. Ita amatores puræ italicæ linguæ cum tædio vel cum riſu audiunt italum, qui cum Gallis dicit *gran genio* in eo ſenſu, quo a bono italo audias gran capacità, aut gran talento, & qui ab iisdem mutuatur *colpo d'occhio* pro ſorprendente, & *garante* pro mallevadore. *Guarentire* quidem eſt vox italica, ſed ſignificat defendere. Et qui ab iisdem mendicat hoc nomen *riſorſa*, dum ſua lingua ultro dabat ejusdem valoris plura nomina, ut mezzo, ripiego, compenſo, provedimento. Hæc nova apud nos verba nata ſunt vel ab iis, qui ad nos ex illis locis reduces, noſtrorum vocabulorum obliti ea adhibent, vel ab iis, qui ibi nati ad nos cum venerint, etiam poſtquam diu apud nos commorati fuerint, omnes italorum dicendi modos vel nondum didicerunt, vel in promptu non habent, quare ſuos immiſcent nobiſcum loquentes, quibus alii deinceps uti coeperunt, quaſi aucupantes gloriam ſe quoque apud alias gentes fuiſſe, vel cum his exteris familiariter agere. Qui velit hujusmodi voces recipi etiam a doctis, quæ nondum habent uſum niſi apud ignaros vel obliviosos vel vanidicos, is velit ut etiam docti ſuam linguam barbarismis inficiant, vel ſint in patria peregrini, vel cum ſui nominis probro nativam linguam dediſcant, & aliquo modo deſinant eſſe urba-

(1) Ba. Il torto pag. 25 ediz. 7.

Digitized by Google

urbani ; Nam ſicuti Græci propriam Athenienſium linguam appellabant Atticiſmum , ita Latini ad urbanitatis ſpeciem voluerunt pertinere linguam Romanorum. quoniam úrbis nomine ſolam Romam intelligebant. Fortaſſe tamen olim etiam apud doctos evadent familiares ex quadam quaſi contagione, atque tunc italæ factæ copiam noſtræ linguæ augebunt.

707. VI.a eſt curare ut voces, quas ſcientiſſimi ſcriptores novis rebus impoſuerunt , ab omnibus tuto excipiantur , quin quiſquam poſſit eas inter barbaras computare , quod qui fecerit contemnetur cum iis , quos nominatim Tremblaius (1) impugnat , qui effatum Horatii *Licuit ſemperque licebit ſignatum præſente nota producere nomen* , ſtatuerunt non pertinere ad omnes linguas etiam vivas, Itaque in ultimo gloſſario Academiæ pro lingua Itala plura inveniuntur vocabula deſumpta a recentioribus ſcriptoribus , ut ab Academia experimentali Florentina , hoc eſt Laurentio Magalotti , qui eam utpote ab ipſius ſecretis perſcripſit , a lucubrationibus philoſophicis & mathematicis Galilæi & Vincentii Viviani , a diſſertatione de Cometis Marii Guiduccii , a phyſicis libris Franciſci Redi tunc vivi , a lectionibus anatomicis Laurentii Bellini , a lexico artis delineandi Philippi Baldinuccii , ab hiſtoria Card. Sfortiæ Pallavicini, & aliis accuratis ſcriptoribus , qui etiam adhuc vivebant , ut Paulus Segneri & alii, quem uſum citandi auctores recentiſſimos & etiam vivos, quando eximii ſint & celebres Antonius Salvinius (2) vindicavit ab iis qui illum reprehendebant .

708. Inveniuntur præterea alia vocabula in prædicto gloſſario,pro quibus nullum affertur ullius ſcriptoris exemplum . Quare habent auctoritatem ab uſu eorum , qui ſapienter loquuntur , qui jus illis contulit , ut in Lexicon reciperentur juxta axioma quod liceat in linguis vivis novas voces procudere , admiſſum ab omnibus quovis tempore , & pro lingua itala perbelle , copioſeque declaratum a Benedicto Rogaccio (3) , cum aliis quos laudat & ſequitur Rabbius alias (n.473.) citatus . Nec dubitandum in nova quæ facta fuiſſet editione ab ea Academia dum exiſtebat , vel unquam fiat ab ea , cui ipſius etiam munus commiſſum eſt , alias nos inventuros voces , quæ in uſu ſunt jam communi pro rebus præſertim apud majores noſtros non uſitatis , ut ſunt *Chicchera* nomen Mexicanum , & *Andrienne* , feminea veſtis decora & commoda , cui juxta Hervam (4) nomen factum ab Andria Terentii , cum repræſentata fuit Pariſiis gallice verſa , dato feminis hoc habitu . Non aliter circa novas voces, quas hujuſmodi academiæ omnibus proponunt tamquam bonas , res ſe habet ac in republica , quæ dum in medium profert catalogum ſuorum civium , non intendit ademptam ſibi libertatem alios deinceps deſcribendi , quotquot ex maturo conſilio cenſuerit tali dignos honore .

(1) Tr, des lang. c.13
(2) Sa. not. ad c. 8 l. 2 poet. Murat.
(3) Ro, Prati, d. ling. p.1 c.9 & p.3 c.22 n.336.
(4) He, Ide, to. 18 n. 228,

709. VII.a eſt, conſulere commercio, quod incolumi lingua integrum & facile perſeverat inter omnes populos, qui eam vel loquantur vel intelligant in iis ſaltem quæ per ſcripta ſecum communicant; Commercium enim quod habetur per mutuam colloquutionem, ejusdem ferme eſt conditionis cum iis quorum arbitrium nobis relictum eſt. Quare Menagius dicebat ſe nondum ſcire gallicam linguam ceteroquin nativam poſt ſtudium circa ipſam per ſolidos annos quinquaginta, cui nil mirum repoſuit qui ipſi cognatione conjunctus erat Tremblajus (1); Nam objectum ſcientiæ non ſunt quæ perpetuis ſubjacent mutationibus. Equidem dum ex una parte obſervo Romanos politiores, & Etruſcos difficiliter percipere alios populos qui Italam linguam, quantum ad ſubſtantiam ut ita dicam loquuntur, non vero quantum ad formam ſingularum vocum, quam ſinguli ſuo quodam modo corruperunt: ex alia vero parte ab his Romanos aut Etruſcos & quotquot caſtigate ſecum loquantur, ſatis prompte intelligi, hoc non dubito contingere, quia ſinceram linguam italam non raro audiunt, eamque in multis libris legunt, & qui ex infima plebe non ſunt, ea utuntur ſiquid ſcribant. Atque idem non dubito poſt inſtitutam maxime academiam gallicam obſervari poſſe per omnes Galliæ provincias, ut ubique ex eadem cauſſa intelligatur purus gallicus ſermo, qui familiaris certe non eſt rudibus & incultis, immo in aliquibus locis communis vulgi ſermo ex dictis (n. 680.) alius omnino eſt quam gallicus.

710. VIII.a eſt, invitamentum exhibere ad eam addiſcendam omnibus alterius linguae populis, & iis maxime, apud quos vitiata jam fuit, quatenus horum nemini, qui barbari & rudis notam nolit incurrere, liberum jam eſt, agere cum aliis præſertim ſcripto quod ad multos velit pervenire per vocabula & modos dicendi ſibi vel ſuo loco proprios. Atque id reapſe paſſim obtineri demonſtrant libri, qui ab omnibus Italiæ provinciis identidem publici juris fiunt per typographiam, in quibus multos invenias ſcriptos ab iis, qui etſi ibi nati ſunt ubi italus ſermo eſt depravatus, attamen ex vi ingenii, & multa bonorum auctorum lectione illum, qui eſt optimus, ſibi familiarem reddiderunt. Non raro tamen occurrent, qui palam facient nativam ipſis non eſſe italam linguam nullis inquinatam barbariſmis, ſed per ſtudium acquiſitam, ita ut videas in eorum ſcriptis quid ſimile Patavinitati, quam in T. Livio deprehendit Aſinius Pollio, vel Hiſpanitati, quam in Quintiliani declamationibus Philelphus, & Franciſcus Silvius notarunt, quasdam ſcilicet dialectos proprias regioni ſcriptoris in qua ſermo italus corruptus eſt, ut de gallicis libris Bojardi Maſſilienſis de Divina magnitudine in rerum creatione (2) *dialectum meridionalem reſonare* dixit Pariſienſis Freron in una ex ſuis *literis de quibusdam huius tempoeis ſcriptis* data anno 1750., Freron, inquam nomen carum bonis & doctis, qui ejus obitum deplorant, cum auctore *Collectionis monumeotorum circa mortem Voltaires*, odioſum vero ipſi Voltaire, aliisque ſibi

(1) Tre. des lang. c. 6.

(2) Fr. to. 3 let. 6

ſibi ſimilibus ſcriptoribus incredulis, quia contra eorum errores ſæpius invectus fuit. Ex adductis rationibus manifeſtum eſt inſtitutionem academiarum pro linguis eſſe maxime commendabilem.

Articulus III.

Obiectiones Adverſariorum.

711. CUm Græci inquit Eximenus primi fuerint Academiarum auctores, nullam tamen ſtatuerunt, qua ipſorum linguæ cum imperio præeſſet, idemque quis dicere poteſt de Latinis Græcorum imitatoribus in omnibus, quæ ad liberales pertinent diſciplinas. Utrique igitur de his magiſtratibus linguæ, ne cogitarunt quidem, vel conſulto ab illis abstinuerunt tamquam inutilibus, & etiam bonarum artium incremento minus conſonis.

At imprimis gratis dicitur derivata a Græcis inſtitutio academiarum in ſenſu ſenatus cujusdam literarii, qui ſtudiis cum legifera poteſtate præeſſet, & definite illis quæ circa humaniores diſciplinas & liberales artes verſantur. Academia apud illos idem erat ac gymaſium philoſoph. Platonis, ſicut Ariſtotelis erat Lyceum, & Zenonis Stoa, omiſſis aliis, de quibus diſſeruit Philippus Jacobus Crophius in libro *de gymnaſiis literariis Athenienſium*,, quem adjectis adnotationibus iterum protulit Lipſiæ Carolus Fridericus Bruckerus anno 1756. una cum libro Scipionis Aquilani *de placitis philoſophorum*, quorum uterque rari jam erant.

712. Deinde dico conſervationi ſuæ linguæ præfuiſſe integram Græcorum nationem, quæ publicas de ſua lingua ſcholas ſine dubio habebat & tuebatur. Etenim ſi Roma eas certe (n.462.) habuit pro lingua latina, quanto magis neceſſe eſt Grecia habuerit pro ſua, quæ majorem præſefert difficultatem quam latina. Idem adverſarius velit nolit profitetur ſatis cautum fuiſſe a græcis, nequid detrimenti ipſorum lingua unquam pateretur, dum ait unamquamque eorum provinciam ita ſollicitam fuiſſe de ſua dialecto, ut *ſiquis Doricus attice ſcriberet, vulgo irrideretur*. Concludam nullam fuiſſe apud Græcos Romanosque academias pro ſuis linguis, non quia eas ſuis linguis, aut aliis ſtudiis pernicioſas crederent, ſed quia non venit illis in mentem hoc pro linguis ſuis præſidium conſtituere, cum ſolliciti omnes eſſent de earum conſervatione ornamento & incremento, ut dolerent eſſe qui eas negligerent, quemadmodum patet ex Ciceronis effato (1) *Latine loqui eſt in magna laude ponendum, quod eſt a plerisque neglectum*.

713. Tandem dico ex hac cauſſa, quod nec apud Græcos, nec apud Latinos conſtituta fuerit ad conſervationem ſuæ linguæ Academia, Latina quidem proceſſus temporis ex aurea evaſit lutea, eamque (2) *regionibus*

(1) Ci. de clar. orat. (2) Hie. praf. in ep. ad Galat.

Digitized by Google

nibus quotidie mutari & tempore dixit jam S. Hieronymus: Græca autem ita depravata fuit, ut non ſolum nova extiterit Græca lingua Romaica (n.453.) dicta, ſed in illa etiam, quæ apud doctos remanſit, Hellinica appellata, plura ex antiquis vocabulis corrupta fuerint, ut Breerewodius apud Shuckfordium (1) demonſtrat adductis in medium exemplis ex Cedreno, Niceta, aliiſque.

714. Inſtat, ne Angli quidem magnæ mentis viri, & de literis tam benemeriti habent hujuſmodi academiam. At imprimis dico, quod ſi non habent Angli academiam pro ſua lingua, nemo tamen illorum, quod ſciam otioſas & multo minus pernicioſas dixit illas, quas aliæ gentes pro ſuis inſtituerunt. Deinde dico, quod ſi Angli eam non habent, habent Itali, Galli, Hiſpani, Luſitani & Sveci, nationes quibus nemo ſanus minus auctoritatis circa literaturam concedet quam Anglis. Tandem dico ex hoc defectu quis repetet, quod plures dolent apud Joannem Andres (2), inter quos eſt Dryden celebris Anglus poeta mortuus anno 1701. (3) non poſſe ſine antiquo gloſſario legi carmina veterum anglorum, atque eos etiam, qui uſque ad finem ſæculi decimi ſexti ſcripſerunt, de tali accuſant ſtilo, ut ipſi etiam poetæ poſt aliquot annos plura in illis non perciperent, primaſque tragoedias Gulielmi Shakeſpear tragicorum in Anglia principis, mortui anno 1616. ætatis ſuæ 55. dicunt abundare modis loquendi barbaris & obſcuris.

715. Recentiores Angli hæc in ſua lingua vitia agnoverunt, qui ad ea in poſterum cavenda, ſuæque linguæ nitorem augendum, illius grammaticas & gloſſaria in dies multiplicant. Certe quidem ab anno 1758. uſque ad 1762. adeoque intra quinquennium e typis Londinenſibus prodierunt quatuor commentaria Wardi de lingua Anglica: unum Whites de una grammatices parte, verbo anglico: grammatica pronunciationis Anglicæ ad inſtar Lexici diſpoſita a Peytono, qui jam antea ſcripſerat de veris principiis linguæ anglicæ: rudimenta ejuſdem linguæ Joſephi Prieſtley: grammatica generalis linguæ anglicæ Thomæ Berry. Atque hæc de grammaticis. Ex Lexicograghis autem qui Londini de novo intra idem tempus prodierunt ſunt Boyer, cujus Lexicon Anglicum & Gallicum ſæpius jam fuit editum, & Joſeph Barretti, qui illud Ferdinandi Altierii amplificavit, & Gulielmus Rider, qui ſuum inſcripſit Novum lexicon univerſale Anglicum, & Fenning, qui Lexicon regium Anglicum appellavit. Hos ego libros vidi enunciatos in gallico opere Annales typographici, quod incipit a libris anni 1758. Morino de Herouville & Roux primariis auctoribus, qui aggreſſi fuerant certiores nos facere de libris, qui ubivis ſingulis annis in publicam lucem prodirent, ſed ceſſarunt ſub finem anni 1762. propterea quod aliud opus periodicum ſuſceptum fuit ſub titulo *Gazette literarie*, cujus objectum videbatur idem eſſe cum illo horum annalium, de

(1) Sc. Hiſt. du Mond. l. 2 pag. 125. pag. 416.
(2) An. Orig. d'ogni lett. to. 1 c. 12. (3) Dr. The. dram. vol. 5.

Digitized by Google

de quo equidem nihil novi, & hoc unum ſcio annales illos etſi de aliquibus libris etiam cum laude publicatis viderim ſilere, ita acceptos fuiſſe, ut non ſolum eorum continuatio, ſed etiam extenſio ad annos anteactos uſque ad typographiæ initium optaretur eodem modo diſtributa in certas claſſes, Theologiam, Juriſprudentiam, Scientias & Artes, Literas humaniores, Hiſtoriam & Miſcellanea cum brevi in ſingulos libros vel cenſura vel declaratione, iiſdemque indicibus adornata.

716. Sed redeo ad Anglos, & obſervo idem in eorum lingua evenire, quod Italæ contigit ante conſtitutam Florentiæ academiam, quæ ad ejus perfectionem incumberet, & quodvis ab ea detrimentum arceret, ut multi quotidie novos de illa tractatus promulgarent, cujusmodi ſunt illi Jo. Franciſci Fortunii, Nicolai Liburnii, Marci Antonii Flaminii, Leonardi Salviati, Bembi, Triſſini, Caſtelvetrii, aliorumque, de quibus meminit Tiraboſchius (1), ſicuti etiam de pluribus circa idem tempus editis gloſſariis ejuſdem italæ linguæ, Lucilli Minerbi anni 1535., Fabricii Lunæ anni 1536., Alberti Accarigii anni 1543., Fabricii Alunni ann.1549., Jacobi Pergamini anni 1602., aliorumque, quorum ſinguli dum diverſas ferebant leges & præcepta, novas excitabant controverſias, quæ perpetuo duraſſent ex defectu legitimi magiſtratus, qui eas dirimeret.

717. Quod idem adverſarius addit has academias prohibere uſum novorum vocabulorum, adeoque impedire promptam novarum idearum, quas majores noſtri non habuerunt, acquiſitionem atque communicationem, eſſe inter vanas ipſius imagines demonſtrant nova vocabula e vivis etiam auctoribus deſumpta, quibus hæ academiæ ex dictis (n.707.) identidem ſua gloſſaria amplificarunt. Quid quod ab ipſa prima editione ſui Lexici Academia linguæ italæ multa dixit omiſſa eſſe vocabula non contemnenda, ut plura verbalia, derivata, diminutiva & ſimilia, quæ ſolum docet quomodo rite ea quis efformet: omiſſa pariter dicit a ſe eſſe nomina ad geographiam ſpectantia, & parce admodum fabrilia commemoraſſe utpote uſus non obvii, ut inferius diſtinctius dicam, ubi italicæ linguæ copiam propugnabo. Nunquam igitur venit in mentem his academicis, quod adverſarius illis tribuit.

718. Venio ad Arteagam. Hic inutilitatem hujuſmodi academiarum probat exemplo illius, quæ in Hiſpania inſtituta fuit. Nam inquit *auctores majoris pretii omnes ſunt ea anteriores, nec eius auctoritas potuit impedire, ne Neologismus quidam linguam corrumperet*. At quando hoc verum eſſet, nihil aliud probaret, quam neglecta hac noſtra ætate a ſuis gentilibus non ſolum humaniorum literarum, ſed omnium etiam diſciplinarum ſtudium. Revera tamen illud falſiſſimum eſt. Nam quod pertinet ad auctores, mihi venit ſtatim in mentem Benedictus Hieronymus Feijoo ſupra laudatus, qui in publicam lucem hiſpanice emiſit *Theatrum criticum* univerſale, cujus ultimum volumen datum fuit anno 1740., magno omnium

(1) Ti. Lett. ital. to.7. p. 3. l.3 c.5. n. 31.

Digitized by Google

nium exceptum plauſu etiam propter linguæ & ſtili candorem. Conſulens autem catalogum Academicorum Caſtellanæ linguæ, qui habetur in ultimo ejus gloſſarii volumine, invenio de illis qui completa jam ejus impreſſione e vivis exceſſerant, enumerata quæ manuſcripta reliquerunt, vel typis jam promulgaverant, in quibus video tractatus lingua hiſpana compoſitos de rebus ſacris, theologicis, criticis, hiſtoricis, politicis, juridicis, militaribus, quos antequam *minoris pretii* credam iis, qui ante extiterunt, expectabo aliorum judicium.

720. Quod vero pertinet ad alios utiles effectus inſtitutæ pro lingua Caſtellana academiæ novi a Laurentio Herva (1) ipſi deberi orthographiam magis opportunam, qua jam utuntur plerique Hiſpani, qui regulam ſequuntur ab ea perſcriptam, ut ipſa pronunciationi conformetur, ipſique præterea deberi varias cognitiones ad viciſſitudines linguæ illius regni, adeoque ad hiſtoriam gentis pertinentes, dum in ſuo gloſſario etymologiam etiam multorum verborum tradidit, quæ ipſo judice copioſior & utilior fuiſſet, ſi ejus auctores de lingua Cantabra inſtructi fuiſſent, quæ antiquitus ibi communior erat, ut plane perſuaſit Larramendius per ſuum Lexicon Latino-hiſpanico-cantabrum, & ex qua hiſpana hujus temporis lingua non pauca habet vocabula.

721. Hanc de etymologiis perſequendis ſollicitudinem Academici Italæ linguæ noluerunt in ſe recipere, tum quia inquiunt (2) *ſatis de hac re aliqui ex noſtris ſcripſerunt*, tum quia ſine cognitione plurium linguarum, & quidem non mediocri, facile eſt eam aſſignare, quam ſapientiores improbent, aliam exhibentes, quæ evidenter genuina ſit, & ſcitu utilis, utpote conducens ad illuſtrandam gentis hiſtoriam. Quod accidit auctoribus gallici libri Pariſiis editi anno 1645., *Etymologia gallicarum vocum ex græcis*, contra quos eſt libellus Philippi Labbe Pariſiis pariter gallice editus anno 1661., *Etymologia plurium gallicarum vocum*, idemque accideret iis qui italum verbum *arraffare*, cui respondet hiſpanum *arañar*, deducerent a latino *arripere*; proprie enim omnia hæc veniunt a Cantabro verbo arrapà ejusdem cum illis ſignificationis, cujus radix eſt *arrac* Cantabrice, unguis latine. Etymologiam de multis latinis vocabulis per alphabetum diſpoſitis Henricus Farneſius propoſuit in ſuo *de verborum interpretatione* commentario alias (n.291.) citato, in quo pergratum eſt ſtatim videre quam multa ſine ulla mutatione ſint a græcis deſumpta.

722. Inſtant alii. Jus proponendi modos loquendi eſt jus populi, non privatorum. Quare novimus Ægidium Menagium reprehenſum fuiſſe tamquam de audacia, propterea quod obſervans linguam gallicam carere nomine appellativo ejus, qui ſoluta ſcribit oratione, hoc excudit *Proſateur*. Et pervulgata eſt ſententia antiqui grammatici, qui ſolitus erat dicere, ne Cæſarem quidem poſſe jus ut ita dicam civitatis impertiri alicui novo vocabulo.

At

(1) He. Idea del univ. to. 1 l. 2 c. 9. §. 3.

(2) Vocab. d. Cruſc. edi. 1729. præf. n. 8.

At hæ academiæ intactum relinquunt jus populi cudendi novos loquendi modos, illudque ſolum ſibi arrogant approbandi, quos viderint ad normam totius linguæ conformatos illius copiam augere. Immo tantum abeſt, ut hoc jus populi lædant ut nullos proponant, qui non ſint jampridem uſitati.

PARS IIII.

De primatu originis inter linguas

PROPOSITIO I.

Lingua primorum hominum utrum remanſerit in aliqua familia, incertum eſt.

723. HANC propoſitionem tenent aliqui viri docti linguarum Orientalium, qui dicunt hanc litem *adhuc eſſe ſub judice*. Sic Erponius in Oratione de lingua Hebræa, quibus ſe adjungit Huetius ex profeſſo propugnans(1) linguam *quæ ante confuſionem obtinebat vel funditus interiiſſe, vel in alias linguas eſſe diſſeminatam, vel ſi perſeveravit integra, ecquænam illa fuerit Aſſyria an Chananæa an alia quævis abſque temeritate aſſignari non poſſe*. Idem ac Huetius cenſent Auctores Hiſtoriæ Univerſalis apud Trevoltianos (2). Eidem nuper ſuffragatus eſt Bonifacius Finetti (3), qui non ſolum nihili habet illorum argumenta qui primam linguam volunt eſſe hebraicam, ſed aperte dicit, *tot anomaliæ quæ in hac lingua inveniuntur, mihi videntur non convenire linguæ primæ a Deo infuſæ. Syriaca certe lingua multo pauciores habet.*

ARTICULUS I.

Argumenta pro remanſione primæ hominum linguæ,

724. PRopoſitio ſuadetur obſervando argumenta utriusque partis non eſſe vis inſuperabilis. Pro affirmativa eſt I. eorum opinio qui linguam primorum hominum ſtatuunt permanſiſſe in familia Heberi, qui ut conſtat ex capite 10. Geneſeos fuit ex poſteris Sem, e quo eſt populus Hebræus. Ziegra dicit hanc opinionem eſſe (4) *communem doctorum*

(1) Hu. Dem. pro.4 c. 13 n.2.
(2) Tr. ann. 1753. ar. 85.
(3) Fin. Tratt. d. ling. Gloni. ſe.1. c.1 pag:7.
(4) Zi, ubi ſupra §. 8 pag. 169.

ctorum tam Hebræorum quam Chriſtianorum. Ea certe fuit S. Auguſtini qui ait (1) *in Heberi familia communis antea omnium lingua remanſit, diviſis per alias linguas ceteris gentibus, ideo deinceps hebraica eſt nuncupata*, quibus verbis tria S. Doctor mihi videtur inſinuare.

725. Primum eſt Hebræos deſcendere ab Hebero, de quo nulla eſt controverſia; Nam ab Abrahamo ſunt Hebræi, & ex progenitoribus Abrahami eſt Heber. Alterum eſt ab Hebero venire appellationem Hebræorum. At hoc ſi multi cum Auguſtino dicunt quos nominat Ziegra loco paulo ante citato, quibus addo Petrum Thyræum (2), multi etiam negant, ut Theodoretus (3) inter veteres, & Amira (4) & Calmet (5) inter recentiores. Negant etiam quotquot contendunt Hebræos dictos ab Abrahamo, qui appellatus fuit Hebræus, poſtquam a Chaldæa cum tota ſua familia veniens in Chanaanitidem tranſire debuit Euphratem; Nam volunt Hebræum primitus idem ſignificare ac virum qui e regione trans flumen venit. Atque ſicuti tunc Abraham dictus fuit Hebræus, ita ejus poſteri dicti Hebræi, eorumque lingua quæcunque fuerit hebraica appellata.

726. Tertium quod dicit Auguſtinus eſt linguam Abrahami dictam hebraicam, fuiſſe propriam familiæ Heberi. At hoc falſum eſt vel incertum. Nam eamdem linguam videntur loquuti, qui ab Hebero non erant; Phænices ſive Chananæi, Syri & Philiſthæi, quandoquidem ad eos adveniens Abraham cum eiſdem familiariter egit nullo adhibito interprete, niſi dicamus Abrahamum uſum fuiſſe cum illis lingua ipſis propria, quam ipſe noverit, quod gratuito affirmaretur. Certe alii ex hac Abrahami colloquutione cum Chananæis concludunt eamdem cum illo lingua uſos, Itaque Antonius Thyſius poſtquam dixit (6) *hebraicam linguam antiquiſſimam eſſe certo scimus*, advertit nomine linguæ Hebraicæ venire etiam Syriacam & Phoeniciam, *per Phoenices*, inquit, *Syri Judæique intelliguntur: neque multum Phoenicum linguam antiquis temporibus ab Hebraica diſcrepavit*. Similiter Huetius apud Natalem Alexandrum (7) cenſuit Phoeniciam linguam ſeu Chananæam dictam fuiſſe Hebraicam ab Hebræis, qui illa uſi ſunt, cum poſt Abrahamum Chanaanitidem habitarunt. Illud tandem Iſaiæ (8) *In die illa erunt quinque civitates in terra Ægypti loquentes lingua Chanaan* ſignificare linguam hebraicam putant unanimiter Interpretes. Igitur incertum ad minimum eſt linguam hebraicam fuiſſe linguam ſolius Heberi familiæ eamque fuiſſe linguam olim communem.

727. Alii ex Patribus primam linguam dixerunt extare in Hebraica vel Syriaca. Sed imprimis nemo illorum id affirmate ſtatuit tamquam certum, ſed tamquam probabile. Quare reſtat locus dubio. Deinde Patres illud

(1) Au. de Civi. l.16 c.11.
(2) Thy. Div. appar. l. 2. c.14 n.7.
(3) Th. in Geneſ. interr. 61
(4) Am. Gram. de Linguæ Syr. antiq.
(5) Cal Dict. ar Heber.
(6) Th. exerc 5 in faic. 4 de hiſt. ſac.
(7) Al. Hiſt. Ætas 2, diſſ. 5 pr. 41
(8) Iſ. c. 9 v. 18.

Digitized by Google

illud dicunt ex hypotheſi, quod primæva lingua in confuſione non periërit. Igitur nutante hypotheſi jam actum eſt de illorum concluſione.

Pro hac opinione ſunt, qui ſic arguunt. Amiſſio linguæ primorum hominum fuit poena culpæ commiſſæ in ædificatione turris Babelicæ: ergo familia quæ hanc culpam non commiſit, ſubjecta non fuit huic poenæ: Sed familia Heberi hanc culpam non commiſit: ergo. Probatur minor. Familia Heberi deſcendens a Sem conſervavit pietatem ac religionem ab eo hauſtam ut conſentiunt omnes, & colligitur ex Scriptura, quæ vocat Sem (1) *pater omnium filiorum Heber*, non vero patrem filiorum Ælam & Aſſur, quos pariter recenſuit inter filios Sem totidem populorum progenitores. Præterea eadem Heberi familia non transmigravit e loco in quo erat in alium; Nam legimus Abrahamum ex ea familia deſcendentem inde emigraſſe imperio Divino evocatum: ergo dicendum eſt familiam Heberi non commiſiſſe eam culpam, quæ ut vidimus ſupra (n. 345.) habuit ſpeciem rebellionis in Deum. At ſunt qui conceſſis reliquis negant exemptionem a culpa in familia Heberi, & rationi quæ affertur ad eam ſuadendam imprimis reponunt eam ad ſummum concludere familiam Heberi non conſenſiſſe in ædificia illa ex perverſo conſilio repugnandi Divinis mandatis, ſed aliis de cauſſis minus reprehendendis. Præterea obſervo, ne illam quidem fuiſſe ex parte ſua ſatis obſequentem mandato Domini (2) *replete terram*, cum nondum ab aliis ſeceſſiſſet. Sed dato etiam quod expers fuerit ea familia ab omni culpa, hinc non ſequitur confuſam non fuiſſe ipſius linguam, quia ſi mirum non eſt juſtos & innocentes ſubjacere malis temporariis, quibus ſcelerati puniuntur, multo minus mirari debemus eam quoque familiam amiſiſſe primam linguam, cum hoc in nullum incommodum ad ſui regimen redundaret, quoniam alia recens infuſa potiebatur.

728. Inſtat Bochartus (3). Scriptura ſufficienter indicat familiam aliquam immunem fuiſſe a confuſione linguæ, quia immunis erat a culpa, per ea verba (4) *Deſcendit Dominus ut videret civitatem & turrim, quam ædificabant filii Adam*, quandoquidem Hebræus legit filii hominum, quo nomine deſignantur impii, quemadmodum alibi (5) filiabus hominum contraponuntur filii Dei ſcilicet fideles infidelibus. At falſo aſſumitur hoc nomen filii hominum uſurpari a Scriptura pro ſolis impiis; Nam cum dicitur Chriſtus J. (6) *Specioſus forma præ filiis hominum* profecto non commendatur ejus pulchritudo per comparationem cum ſolis impiis: atque ubi ſcriptum eſt (7) *Quid eſt homo quod memor es ejus, aut filius hominis quoniam viſitas eum*, eſt ſermo de juſto quem Deus gloria & honore coronavit.

(1) Gen. c. 10 v. 21.
(2) Gen. c. 9 v. 1
(3) Bo. Geogr. ſac. l. 1.
(4) Gen. c. 11 v. 5
(5) Gen. c. 6 v. 2
(6) Pſal. 44
(7) pſal. 8.

Inſtant alii ſic. Finis confuſionis linguæ fuit mutua familiarum ſeceſſio, & ſi placet etiam punitio retardatæ per omnem terram diſperſionis: Sed hic finis obtinetur remanente prima lingua in una familia, quippe ſicuti hanc aliæ jam amplius non perciperent, ita nec ipſa alias novas: ergo remanſit. At major non eſt ſine controverſia, primo quia agitur de re, quæ dependet a divinis conſiliis nobis ignotis, divinaque libertate: deinde quia data ratione poenæ in confuſione linguæ, hanc diximus (n.371) conſiſtere tum in oblivione primæ linguæ, tum in ignorantia omnium aliarum linguarum ab ea quæ cuique familiæ data fuit.

729. Sunt qui primam linguam dicunt haberi in hebraica, quia conſpicua ejusdem veſtigia in omnibus linguis inveniuntur. Plures certe ſunt qui gloriantur ea ſe deprehendiſſe in omnibus linguis quas attente inſpexerunt, ut Stephanus Guichart (1), Morinus Cauſobonus (2), Ludovicus Thomaſſinus (3), & alii. At hæc veſtigia vel ſunt aliquæ literæ, quæ pro certis rerum nominibus reperiuntur in omni fere lingua ex dictis (n.359.), vel ſunt ſignificationes quædam, quæ videntur dependere ab illa alicujus dictionis hebraicæ, & ex his tanto jure concluditur extare primam linguam in hebraica, quanto jure idem diceretur de aliis linguis, in quibus eadem reperiantur. Adde hujusmodi ex una determinata lingua etymologias verborum aliarum linguarum, quæ obviæ non ſunt, jam olim notatas fuiſſe de violenta detorſione. Quæ cenſura legitima omnino eſt, quandoquidem quod hi de lingua hebræa, alii de Sinica eadem via conati ſunt ſuadere. In hac ut ita dicam hæreſi Hervas (4) dicit fuiſſe Adamum Peryelium, Joannem Webb, Iſaacum Voſſium, Philippum Maſſon, Olaum Rudbeq juniorem, & Auguſtinum Pfeifer, qua ratione magis depreſſerunt etymologiarum exquiſitam inveſtigationem.

730. Quoniam tamen alii hanc linguæ Sinicæ dignitatem ex aliis rationibus propugnarunt, opus eſt obſervare an poſſimus contra iſtos propoſitionem noſtram tueri. Igitur ita olim cenſuit Samuel Shuckfordius, qui in ſecundo *Hiſtoriæ Mundi* volumine contendit, Fouhium Sinenſium imperatorem eumdem eſſe cum Noe. Trevoltiani (5) ipſius quidem conatus magni faciunt, non tamen dicunt propoſitum demonſtraſſe. Hoc interea monet, ut nemo dicat Sinas habitatas a Noe ſtatim poſt diluvium, quia in Sinarum regione arca conſedit; Contradiceret enim Scripturæ, a qua habemus, (6) *Requievit arca ſuper montes Armeniæ*, ita ut paſſim auctores dicant hunc montem fuiſſe Ararat, in eoque ſunt apud Calmet, qui dicunt arcæ (7) *reliquias usque hodie ſupereſſe*, & aliqui addunt in Corduena ejusdem Armeniæ provincia quasdam arcæ reliquias fuiſſe olim conſervatas.

(1) Gui. Harmon. etymol. Paris 1618.
(2) Ca. de quatuor ling. Londini 1650.
(3) Th. Method. d' erud. les lang. Pari. 1693.
(4) *He.* Idea. to. 2 n XXI.
(6) Tr. ann. 1755 ar. 13.
(6) Gen. c 8 v. 4.
(7) Ca. Dict. ar. Ararat.

731. Recentiſſime pro eadem opinione noſtræ propoſitioni contraria Hervas (1) ſic arguit. Lingua Sinica eſt lingua patriarchæ Noe, qui in eam regionem cum filio Sem (2) *a quo*, ut ipſe alibi jam dixerat, *Sinenſes certe ſunt*, transmigravit, antequam confuſio linguæ contigerit, vel quia homo plenus virtute & reverentia erga Deum noluit amplius habitare cum aliis, quos in dies vitioſiores videbat, conſiliumque ſuſcepit longiſſime ab illis recedendi una cum Sem, & aliquibus ex eo prognatis familiis, quæ pariter abhorrebant aliorum impietatem moresque corruptos, vel quia voluit ex parte ſua obſequi mandato Domini de diffuſione hominum per orbem terrarum: Sed lingua Noe ante confuſionem linguæ erat prima lingua ſive ipſius Adami lingua, & cum ipſe non fuerit in loco confuſionis linguæ dici debet eamdem perſeveraſſe: ergo lingua Sinica eſt prima lingua.

At major hujus argumenti innititur rationibus, quæ ſatis probabiles Hervæ viſæ ſunt, & aliis videri poſſunt, ſed inefficaces dicent quotquot ex alibi (3) dictis contendunt, Sinenſes eſſe coloniam Ægyptiorum, & illi, qui ex affinitate Sinicæ cum Hebræa, quam deprehenderunt Howel in ſpecimine linguæ Sinicæ & Bayer in *Muſica & Grammatica Sinica* apud ipſum Hervam (4), qui eam non negat, cenſent retinendam eſſe communiorem opinionem de primatu hebraicæ. Saltem nemo eas rationes dicet eſſe certas.

732. Quoniam autem dixi eas videri poſſe probabiles, juvat de aliquibus meminiſſe, quas auctor copioſe exponit. Imprimis colligit ab antiquis Sinenſium annalibus in Fouhio primo Sinarum imperatore tales proprietates & dotes, quæ omnino conveniunt cum illis Noe. Deinde obſervat prudentiſſimas leges ab eo imperatore ſancitas, & ab ejus tempore ſtabilitas conſuetudines, in quibus eſt illa non exeundi ex ejus ditione ſine facultate, nec admittendi exteros, quæ confirmant Fouhium eſſe Noem, qui eas ſapienter excogitavit, ne ullum umquam commercium populus ſuus haberet cum ceteris hominibus, a quibus receſſerat tamquam ab improbis, qui religionem & mores corruperant. Conſiderat ipſorum naves, quæ formam habent in multis ſimilem cum illa arcæ: & modum veſtiendi, quem Sinenſes tenuerunt uſque ad tempus, quo ſub Tartarorum imperio, qui illuc irruperunt coacti fuerunt in multis deſerere, qui conformis erat illi quo veteres Babylonios uſos fuiſſe novimus ab hiſtoria: & non vulgares quæ apud illos ab ipſo Fouhii tempore fuerunt, cognitiones aſtronomicas ad dirigendos annos & menſes neceſſarias: & ipſam Sinenſis linguæ naturam, quæ conſiſtit in hieroglyphicis, quæ ſunt primus ſcribendi modus, & monoſyllabis abundat, certo juxta Salmaſium (5) argumento de linguæ antiquitate. Cetera apud illum videſis.

(1) He. Idea, to. 16 c. 1 & 4.
(2) He. Ibid. c. 3 pag. 53.
(3) De Mundo. pag. 342.
(4) He. Idea. to. 16 pag. 138.
(5) Sa. de re helleni.

Digitized by Google

ARTICULUS II.

Argumenta pro extinctione primæ hominum linguæ.

733. EXtinctionem primigeniæ linguæ in confuſione Babelica tenet S. Gregorius Nyſſenus (1) apud Huetium, qui Moyſem uſum dicit una ex linguis ortis in confuſione, additque nonnullos in ſcripturæ ſtudio ſubactos exiſtimare linguam hebraicam aliis linguis recentiorem. Idem ſentit Grotius (2), cujus tamen rationes quas promovet Huetius elevant Waltonus & Fraſſen. Pro extinctione ſic I. arguitur. Ex S.Scriptura eruimus conſentientibus pleriſque interpretibus totam hominum univerſitatem conveniſſe ad illud ædificium, propter quod confuſio linguæ contigit (3) *Cum proficiſcerentur de Oriente invenerunt campum in terra Sennaar & habitaverunt in eo ... & dixerunt, Venite faciamus nobis civitatem & turrim*: ergo in omnibus contigit confuſio linguæ: Sed non remanſit prima lingua in iis, in quibus contigit hæc confuſio: ergo in nullis remanſit.

734. Urgetur argumentum, quia ita Scriptura loquitur de conſenſione omnium hominum in illud ædificium, ut nullibi innuat aliquam familiam coactam fuiſſe ad hanc operam aliorum violentia. At qui dicunt confuſionem linguæ contigiſſe propter malum finem in incoeptis ædificiis, non propter ipſa ædificia, jam conceſſo antecedenti negabunt conſequentiam. Certe communius Interpretes docent omnes illius temporis conſpiraſſe in hoc opus, at non dicunt id omnes feciſſe ex perverſo fine & ne credibile quidem eſt aut probabile de pueris mulieribus & vulgo quod plerunque operatur ut aliis pareat ducibus aut dominis, & commodius vivat, non ut pravis conſiliis quæ nulla ſuſcepit indulgeat.

735. II. dicunt: quoniam Scriptura ait univerſaliter (4) *Erat terra labii unius*, concluditur unam fuiſſe linguam in tota hominum univerſitate: ergo quia etiam in eodem contextu univerſaliter dicit *Ibi confuſum eſt labium univerſæ terræ* concludi debet confuſam fuiſſe linguam in tota hominum multitudine. At qui obſervant hoc quidem vocabulum *unum* nunquam adhiberi niſi ad excludendum quemcunque numerum etiam binarium, hoc vero vocabulum *omnes* vel aliud ipſi æquivalens non ſemper ſumi in ſenſu univerſali ut ajunt logice, qui excludit quamcunque exceptionem, ſed paſſim ſumi in ſenſu moraliter univerſali, qui ſignificat maximam vel plusquam maximam eorum partem de quibus eſt ſermo, jam conſequentiam reſpuent utpote deductam ab exemplo, quod non eſt opportunum.

736.

(1) Gr. c. Eunom. Orat. 12.
(2) Gr. in Gen. c.11 & in not. ad l.1 de Verit. Relig.
(3) Gen. c. 11 v.2.
(4) Gen. c.11 v.1

736, III. Dicunt. Si propterea familia Heberi dicenda eſt non paſſa confuſionem in ſua lingua, quia juſta & pia erat, dicendum erit alios etiam ex aliis familiis retinuiſſe priſtinam linguam. Quis enim ſuadeat in tanta hominum multitudine, quæ tam proxima erat Diluvio univerſali vindictæ impiorum tam inſigni, unam dumtaxat fuiſſe familiam quæ a timore Dei non receſſerit? Atqui nemo dicit conſervatam in aliis familiis primam linguam: ergo neque dicendum conſervatam in una. At qui in familia Heberi dicunt conſervatam, hoc adſcribunt præmio ſingularis ſanctitatis ipſius familiæ capitis, & conſequenter negant aliarum familiarum capita parem habuiſſe, permittentes aliquam fuiſſe in multis per totam gentem & alias familias diſperſis.

737. IV. Aliqui contra quos eſt diſſertatio inſerta in monumenta Trevoltiana anni 1705. ſic arguunt. Lingua quæ nunc dicitur Hebraica eſt lingua veterum Ægyptiorum: ſed temere dicitur linguam veterum Ægyptiorum eſſe linguam primigeniam: ergo temere dicitur lingua quæ nunc dicitur hebraica eſſe primigenia: ergo an ſit & quæ ſit lingua primigenia ignotum. At qui contendunt linguas hebraicam & veterem ægyptiam fuiſſe inter ſe affines ex quibus plures ſupra (n.433.) nominavi, concedent majorem, & negabunt minorem. Qui autem verius cum Kirchero ibidem pariter allato majorem ſtatim negabunt, non poterunt ad eam concedendam adduci per argumenta, quæ per ea afferuntur, ex quibus duo ſeligo, quæ ineſficacia eſſe juvat hic oſtendere.

738. Alterum ſic habet: Moyſes ab infantia extractus e mari, nutritus fuit in aula Pharaonis, in eaque quadraginta annis commoratus eſt, donec inde abiit ad Madianitas: Sed in aula Pharaonis non potuit diſcere linguam Hebræam, ſed ſolum Ægyptiacam, & multo minus inter Madianitas: ergo Moyſes non novit linguam Hebræam, ſed ſolam Ægyptiacam, eaque uſus eſt, dum ſcriberet.

Sed reſp. *conc. mai. & nego min.*, *vel diſt.* Non potuit diſcere niſi linguam ægyptiam in aula Pharaonis ab ipſis aulicis *omitto min.* a ſuamet matre a qua enutritum ſcimus *nego min. & conſeqm.* Scriptura (1) nos docet Moyſem exeuntem ab aula Pharaonis jam noviſſe Iſraelitas ſibi eſſe fratres & de illorum religione ſpe & expectatione fuiſſe inſtructum (2): ergo habuit cum illis commercium, & proinde potuit eorum linguam didiciſſe, Quod pertinet ad commorationem ipſius inter Madianitas, hæc quidem diuturnitas potuit ipſi ſubripere facilitatem loquendi hebraice ſiquam habebat, non tamen omnem illius linguæ cognitionem; Poterat enim ea uti in ſuis ad Deum precibus. Porro hæc difficultas jam contracta ad loquendum hebraice, & etiam ægyptiace potuit eſſe una ex cauſis, propter quas Moyſes munus educendi populi ex Ægypto a ſe (3) deprecabatur, Quod tamen impedimentum Deus conſtituens ipſum ducem populi

(1) Act. c.7.
(2) Ad Heb. c.11
(3) Exod. c.4.

puli vel per donum linguarum ſuſtulit, vel aſſignato ipſi fratre ſuo Aaron tamquam interprete tum ad regem Pharaonem, tum ad populum ſub initium ſuæ legationis & exercitii; remoto omni miraculo reliquit diligentiæ ipſius Moyſis recuperare facilitatem loquendi hebraice. Atque reapſe novimus primo quidem anno Aaron enunciaſſe populo mandata Moyſis, ſed deinde per reliquum vitæ ſuæ tempus ipſe per ſe mandata Dei populo ſignificabat (1).

739. Alterum argmentum quo contenditur linguam vulgo dictam hebraicam eſſe veterem Ægyptiacam ſic habet. Hebræi in captivitate Babylonica obliti fuerunt ſua lingua: ergo a fortiori in commoratione in Ægypto tanto longiori ſua lingua obliti ſunt: ergo Moyſes non potuit aliam linguam addiſcere a conſuetudine quamcunque habuerit cum Hebræis ſui temporis, niſi Ægypticam, qua ipſi tunc utebantur.

Reſp. *tranſeat ans & nego conseqm.*. Exemplum enim ad ſummum probat potuiſſe illos oblivilci non vero actualem oblivionem. Præterea exemplum exemplo oppono in hodiernis doctis Hebræis, qui in ſua diſperſione jam antiqua retinent adhuc ſuam linguam. Tandem duplex eſt diſcrimen inter ans & conſequens. Primum eſt: Judæi in Ægypto ſimul vitam agebant: non poterat igitur eorum lingua aliorum conſortio vitiari. Quare credam equidem, quod lego apud Kircherum (2) *Tria non mutarunt Israelitæ in Ægypto, nomina ſua, veſtimenta ſua, & linguam ſuam.* At Babylone diſperſi erant per domos, quarum dominis inſerviebant. Alterum deſcrimen eſt antiquam Ægypti linguam juxta communiorem ſententiam (n.430.) fuiſſe eamdem cum lingua Coptica, quæ toto cælo diverſa eſt ab Hebræa. Quis autem neſcit nimiam diſcrepantiam nativæ linguæ ab alia eſſe certum modum, quo multi ſecum viventes illam conſervent inter alienigenas? At lingua Babylonica ſeu Chaldæa affinis erat Hebrææ, & nil facilius, quam aſſueſcere linguæ qua neceſſario quis debeat uti, quando mediocris intercedit differentia ab illa qua prius loquebatur.

PRO.

(1) Exod. c.13.

(2) Ki. Tur Babel l.3

Digitized by Google

PROPOSITIO II.

Linguam hebraicam quæ nunc extat in libris Sacræ Scripturæ eſſe linguam primorum hominum multo plures affirmant quam negant: Utrum autem argumenta quibus hic primatus hebraicæ tribuitur potiora iis ſint quæ pro ſyriaca afferuntur, alii viderint.

ARTICULUS I.

De ſenſu propoſitionis.

740. AD ſenſum propoſitionis intelligendum hæc adverto. Primatus alius eſt originis, alius dignitatis. De utroque diſputatur etiam circa linguas. Quid de ſingulis ſentiam diſtinctim dicam. Ac primum de primatu originis. Quæſtio in hac re digna quæ attendatur, reducitur ad linguas hebraicam & ſyriacam, ſumptis hujusmodi linguis prout diverſæ apparent in libris qui extant, quandoquidem nulla jam gens linguam loquitur hebraicam, Syriaca autem & quidem minus ſincera in iis ſolum regionibus adhuc remanet, quibus Turca potitus non eſt, ibique etiam in dies magis magisque commercii cauſſa intra anguſtiores limites ipſius uſus reſtringitur. Quare hæc quoque ſuperſtes dici poteſt in ſolis libris, a quibus eam ſtudioſe addiſcunt quotquot ſacra Chriſtianæ religionis myſteria juxta ritum Syriacum, qui per magnam Orientis partem viget, adminiſtrant.

741. Sunt qui litem de primitiva lingua extendunt ad linguam Arabicam & Chaldaicam, quam diſtinguunt a Syriaca. Quare Samuel Shuckfordius (1) juxta Gallicam verſionem J. P. Bernard ex Anglico, dicit controverſiam de lingua omnium prima verſari inter *hebræam*, *chaldæam*, *ſyriacam & arabicam: Sed Syriacam & Arabicam habere pro ſe rationes parvi momenti*, immo nullius, quod pertinet ad Arabicam, quoniam hanc ipſi Arabum doctiſſimi dicunt Syriacæ filiam: rationes vero quæ afferuntur pro ſyriaca, ſiquidem vix differt a Chaldaica (n.411.) non poſſunt contemni.

742. Mitto Io. Goropium Belgam medicum mortuum Trajecti ad Moſam anno 1572. ætatis ſuæ 53., *hominem*, inquit Pineda (2) *in tentando novas vias diligentioris operæ, quam in judicando & eligendo felicem*, qui ad honorem patriæ regionis linguam ſuam Belgicam primam fuiſſe conatus eſt perſuadere. Kircherus putat (3) ipſum id *non tam ſenſiſſe, quam*

lepi-

(1) Sh. du mond. l 2 pag. 113.
(2) Pi. de Salamon. l. 4 c. 7 n. 1
(3) Ki. Tur. Bab. l. 3 ſec. 2 c. 1

lepido quodam ingenii luſu aſſeruiſſe, & poſtquam legit quomodo hebraica verba ex belgicis deduxit dolet (1) hominem eruditiſſimum tot bonos dies horasque in hac re conſumpſiſſe. Calmet (2) aliquod in hac re ipſius tentamen refert, quod ſoli placuit Levino Torrentio, ceteri autem deridemt. Mitto etiam Larramendium, quem Hervas (3) dicit originis primatum linguæ Cantabricæ contuliſſe.

743. Mitto tandem illos. qui hanc controverſiam limitatam ad ſolas linguas hebraicam & ſyriacam vanam arbitrantur, quia volunt unam fuiſſe olim linguam, quæ duobus his nominibus appellabatur. Controverſia enim de primatu originis verſatur circa linguas hebraicam & ſyriacam quales nunc nobis notæ ſunt, quæ evidenter inter ſe differunt; ita tamen ut cuicunque ex illis hic primatus adjudicetur, altera non dubitatur ab altera provenire; Nam in utrisque multæ reperiuntur voces ferme eædem & ejusdem ſignificationis, & qui hebraicam callet, ſi legat quæ chaldaice habemus de prophetia Danielis, de libris Eſdræ, aliisque, videt ſibi notam eſſe magnam vocabulorum partem. Ceterum male hi pro opinione, quod eadem lingua dicta ſit hebraica & ſyriaca arguerent ex eo, quod multi, de quibus ſupra (n.411.) memini, idem affirmaverint. Nam illi dixerunt quidem hebræam linguam appellatam aliquando fuiſſe ſyriacam, non vero dixerunt alteram ab altera non differre. Atque ſiquis contenderet hoc etiam dicendum, illum jam olim Pererius (4) cum aliis quos citat, impugnavit, quorum argumentis acquieſcunt Natalis Alexander (5) & nuper Dominicus Diodatus (6).

744. Certe contra illum efficaciter ſic I. arguitur. Deus per Iſaiam (7) & Jeremiam (8) comminatur populo ſuo ſervitutem ſub populo, cujus ne linguam quidem intelligeret, & hic populus ſine dubio fuit ille qui loquebatur Chaldaice; Nam prophetæ agunt de captivitate Babylonica: ergo ea lingua non erat hebraica. Erit fortaſſe qui dicat conſequentiam non urgere, quia ſola pronunciatio diverſa unius ejusdemque linguæ ſat eſt ut quis non amplius intelligat linguam quam aliunde calleat, quemadmodum manifeſtum eſt exemplis ante (n.413.) allatis. At excludit hanc objectionem modus loquendi Scripturæ, quæ utitur vocabulo generali linguæ, quod non reſtringitur ad ſolam pronunciationem, ſed totam linguam complectitur etiam ſcriptam.

745. II. Sic arguitur. Iſraelitarum vulgus redux a captivitate Babylonica non amplius intelligebat ſcriptas a Moyſe leges, quando eas in mentem revocare voluit, quas in magna ex parte oblitum fuerat diuturna intermiſſione in ſua diſperſione. Quare opus habuit interprete, ut planum eſt

(1) *Ib.* ibid. ſec. 3 c. 7
(2) Ca. Dict. ar. Linguæ.
(3) He. Idea. to. 1 l. 2 c. 8
(4) Pe. in Daniel. c. 2 v. 4.
(5) Al. Hiſt. Aet. 2 di. 7 pr. 4
(6) Di. Chriſt. græc. loqu. p. 3 c. 2
(7) Iſ. c. 28
(8) Je. c. 5 v. 15

Digitized by Google

eſt ex Eſdra, apud quem dicitur quod coram populo (1) *legerunt in libro Dei diſtincte & aperte ad intelligendum*, h. e. inquit Emanuel Sa, *ſcripta hebraice Eſdras ſyriace interpretabatur*. Quæ ſequuntur, *& intellexerunt cum legerentur*, ſumenda ſunt uniformiter ad datam de ſuperioribus explicationem. Qui hoc ipſo teſtimonio volunt ſuadere vulgus etiam hebræum poſt captivitatem redux percepiſſe linguam hebræam, & Eſdram ſolum declaraſſe illis melius in eadem lingua vel alia apud ipſos vulgari Moyſis leges, imprimis ignotam probatis interpretibus explicationem proponunt: deinde falſo opponunt ſenſum legum Moyſis eſſe obſcurum etiam poſt bene perceptam vim ſingulorum verborum contra id, quod in ipſa Moyſis lege ſcriptum eſt, (2) *Mandatum hoc non ſupra te eſt, neque procul poſitum, nec in cælo ſitum*. Iidem tandem confutantur per ea quæ infra habentur, (3) *In die ſecundo congregati ſunt principes familiarum univerſi populi, Sacerdotes & Levitæ ad Eſdram ſcribam, ut interpretaretur eis verba Legis*.

746. Argumentum quod pro diverſitate linguæ hebraicæ a Syriaca ſive Chaldaica alii proponunt, eſſe minus efficax patebit ex reſponſione. Sic igitur dicunt. Balthaſare convivante apparuerunt ſupra parietem tria illa verba hebraice ſcripta (4) *Mane Tecel Phares*, quæ nemo Doctorum Chaldæorum potuit intelligere: Sed ſi lingua illius regionis Chaldaica fuiſſet eadem cum Hebraica, intellexiſſent ea verba. ergo non erat eadem.

Reſp. *conc. mai.* Minorem autem primo quidem *nego* cum Jo. Pineda (5) & citato Bianconio (6). Ratio eſt quia cum ea verba ſcripta eſſent per ſolas conſonantes, opus erat ad eruendam certam aliquam ſententiam addere de ſuo vocales. Cum autem hæ diverſas vocales ſuſtinere poſſent, diverſam etiam producebant interpretationem; Daniel enim tria tempora præterita in illis legens, non unam ſed tres ſententias protulit. Joſeph autem Hebræus per tria nomina ſubſtantiva easdem expoſuit. Hinc vel ambiguitas in determinanda vel etiam deſperatio in eruenda aliqua certa ſententia. Quod ſcripta eſſent ea verba ſine vocalibus eſt certum. Daniel enim a Chronologis ſtatuitur ſpectare ad ſæculum Romæ ſecundum & tertium. Vocales autem illæ ſeu puncta ex dictis (n.129.) longe poſterioris ſunt temporis.

747. Deinde poteſt eadem minor ſic diſtingui. Si Lingua Chaldaica fuiſſet eadem cum Hebraica etiam quantum ad Scripturam, intellexiſſent ea verba, *conc. min.* Si non fuiſſet eadem quantum ad ſcripturam, intellexiſſent ea verba poſito quod ejus characteris forma Doctoribus illis ignota fuerit, *nego min. & conſeqm.* Certum eſt quod circa tempora Danielis Hebræi adhibebant characteres formæ Chaldaicæ, cum apud illorum

(1) Eſ l.2 c.8 v.8
(2) Deut c.30 v.11
(3) Es. l.2 c.8. v.13
(4) Dan. c.5
(5) *Pi.* de Salom. l.5 c.13 n.8
(6) Bi. de antiq. lit. pag.15

majores in uſu eſſet forma characteris Samaritani. Hoc teſtatur S. Hieronymus, qui dicit (1) *ad illud usque tempus* (Eſdræ ſcilicet) *iidem Samaritanorum & Hebræorum characteres fuerunt*, & confirmant antiqua monumenta recenſita a Villalpanda (2). Rationem hujus mutationis factæ ab Hebraeis coniiciunt Benedictus Arias, aliique apud eundem Villalpandam (3) fuiſſe, ut nullam in sacrorum uſu communicationem haberent cum Samaritanis. Quare ſi verba illa in conſpectu convivantium cum Balthaſare repente apparentia ſcripta erant alia forma, quam apud Chaldæos uſitata ipſisque ignota, nil mirum, non fuiſſe ab illis intellecta, licet nihil differrent in ſe a lingua iisdem communi. Cum legi apud Hervam (4) in Lingua punica ſuperſtite in Melita, quæ phoenicia dicitur, reperiri Mane Tecel Phares in ſenſu propoſito a Daniele, jam occurrit alia ratio reiiciendi factum argumentum, quia ſcilicet major laborat falſo ſuppoſito quod ea verba eſſent Hebræa vel Chaldaica.

ARTICULUS II.

De iis qui ajunt & iis qui negant linguæ Hebraicæ primatum originis.

748. PRO primatu originis linguæ hebraicæ, qualis nunc ſub hoc nomine venit, ſunt Hebræi Doctores citati a Claudio Fraſſen (5) & a Natali Alexandro (6) & plures etiam ex Chaldæis Arabibus & Græcis, & multi ex Latinis, inter quos SS. Hieronymus (7) & Auguſtinus (8) & quamplurimi antiqui & recentiores quorum aliquos nominat Pererius (9), quibus addantur Jacobus Bonfrerius (10), Athanaſius Kircher (11), Gaſpar Schottus (12) Villalpanda (13), Cornelius a Lapide (14), David Ziegra (15), Samuel Bochartus (16), Fraſſen loco nuper citato, Brianus Waltonus in prolegomenis ad Biblia Polyglotta, Ludovicus Thomaſſinus in peculiari de linguarum origine tractatu, in quo Frain du Tremblay dicit (17) inveniri rationes probabiles, ſed Niceron contrarium ſentit, & Auguſtinus Calmet qui ait (18) quae pro Syriaca aut alia lingua *argumenta proferentur, nihil Hebraicæ officiunt, quin potius ejus cauſſam firmabunt*, & Joſeph Tanzini in Italica diſſertatione *de lingua primi-*

(1) Hie. Prol. galeat.
(2) Vi. Appar. Urb. p.2 l.3 c.8
(3) Id. ibid. l.2 c.20
(4) He. Idea to.17 n.482
(5) Fr. Diſq. bibl. l.1 c.7 §.3 n.13
(6) Al. Hiſt Aetas.2 Diſ 5 pr.4
(7) Hi. in c.3 Soph.
(8) Aug.de Civ. l.16 c.11 & l.18 c.39
(9) *Per.* in Gene. l.16 n.128
(10) Bon. in Gneſ. c. 11
(11) Kir.Oedip.to.2 cl.2 & Turr.*Ba*bel. l.3 ſec 1
(12) Sc. Technc. l.7 c.9 n.2
(13) Vi. Appar. urb. l.12 c.20
(14) La in Gene.c.11 v.1
(15) Zi. de confuſ. ling.
(16) Bo. Geog. ſac. p.1 l.1 c.15
(17) Tr. des Langues c.6
(18) Cal.Dic. art. Lingua.

Digitized by Google

primitiva Romæ edita anno 1742., cujus epitoma extat in notitiis Literariis Romanis ad Decembrem anni 1743. & noviſſime Ollivierius apud Trevoltianos (1) qui contendit linguas Arabicam & Syriacam eſſe dialectos linguæ Hebraicæ, & nemo negat tres iſtas linguas unam originem præſeferre.

749. Contra hunc Hebraicæ linguæ primatum ſunt I. omnes (n.724.) qui dicunt linguam primigeniam neſciri an ſuperſtes in aliqua familia adhuc perſeveret. II. ſunt qui (n.733.) affirmate ſtatuunt eam prorſus extinctam. III. ſunt qui Hebræa antiquiorem dicunt linguam Phoeniciam ſeu Chananæam, & Ægyptiacam. In his eſt Auctor articuli *De lingua hebraica* in Encyclopædia, qui linguam Bibliorum credit natam eſſe ex Chananæa & Ægyptiaca & ea qua uſus fuit Abraham quam appellat Chaldæam primitivam ſive antiquam, ut diſtinguat ab ea quæ nunc cognita eſt & recentior dicitur, & Syriaca communius appellatur. Idem auctor Bibliorum linguam vocat linguam Moyſis, utpote quæ ejus tempore eſſet in uſu vulgari, putatque per aliquot ſæcula duraſſe, donec tandem apud ipſos Hebræos facta fuit lingua, quam diſcerent, non quam loquerentur. Iniquum eſſet commemorare Agium de Soldanis, qui dixit linguam Punicam eſſe matrem Hebrææ; Nam ut advertimus (n.557.) illud certo tribuitur vel confuſioni idearum vel errori typographi. Hoc enim vero concludam, plures quidem eſſe non tamen omnes, qui primatum originis tribuunt linguæ hebrææ, prout in prima propoſitionis parte affirmavi.

Articulus III.

Argumentum pro primatu originis linguæ hebraicæ ex nomine Dei.

750. Quoniam in controverſia circa primatum originis alterutrius linguæ Hebraicæ & Syriacæ aliis judicium relinquitur, ſubiicio argumenta, quæ novi afferri pro utraque cum reſponſionibus, quæ ad ſingula reponi poſſunt, incipiens a lingua Hebraica. Primum ſit quod deducitur a nomine Dei, quod in hac lingua eſt, ut voce græca communiter dicitur, tetragrammaton, quia conſtat his quatuor literis Jod, He, Vau, & iterum He, etſi latinis literis exprimitur per Iehova. At hoc habent etiam Syriaca Latina Græca & aliæ multæ apud Kircherum, qui poſtquam dixit (2) *nomen Dei omnium totius mundi populorum quatuor litterarum ſortem nactum eſſe*, illud proponit in linguis ſeptuaginta duabus. At extitit nuper Hervas (3), qui oſtendit Dei nomen in aliquibus linguis conſtare ſeptem etiam vel octo vel novem vel decem literis. Quod autem Kircherus tribuit Italis nomen tetragrammaton *Idio* falſum eſt. Hi enim

(1) Tr. ann. 1755 art.7
(2) Ki. Oed. ægy. to.2 al.4 c.6
(3) He. Idea. to.20 Vocabol. pag.182

enim Iddio dicunt vel Dio, derivatum ut credo a Celtis, qui ipſo Herva auctore (1) Diu dicebant, quemadmodum nunc dicunt Siculi, quod Hiberni & Erſæ in Dia, Gallæci vero & Valentini in Deu (2) commutarunt. Ante Kircherum Marſilius Ficinus affirmavit (3) omnes linguas habere nomen Dei tetragrammaton, non advertens illud in nativa ſibi Itala lingua eſſe trium vel quinque literarum.

751. Coptos etiam Kircher alibi retulit (4) tribuere Deo nomen trium literarum ſcilicet Phtha, conſtans una vocali & duabus conſonantibus. Tribus pariter conſtat Hal nomen Dei Punicum auctore Reineſio, & approbante Agio de Soldanis (5): tribus apud Syros quando illud ſcribunt, quarum prima cum ſit Aleph nullius apud ipſos ſoni, ad duas reducunt in ejus pronunciatione dicentes Il vel El, unde eſt *Eli Deus meus*, quod legimus in S. Matthæo. In græca etiam lingua inter alia Dei nomina eſt Ιαω, quod reperitur etiam in quibusdam Gnoſticorum ſigillis, teſte eodem Kirchero (6) *quod* inquit *etſi corruptum nihil aliud quam nomen Jehova ſignat, ſicuti ab Jeova Jovis nomen deductum nemo dubitare debet*.

752. At inquiunt ſolum hebraicum nomen Dei tetragrammaton tale eſt, ut in ipſo involvantur plura divina myſteria, quorum cognitio palam facta deinde fuit per ſacram ſcripturam. Itaque in tribus primis literis videmus deſignatas tres divinas Perſonas, Patrem in litera prima Jod, quæ ſignificat principium: Filium in He: & Spiritum Sanctum in Vau, quæ ſignificat copulativam dictionem &, adeoque aptiſſima eſt ad denotandam tertiam Trinitatis Divinæ perſonam, quæ eſt amor mutuus divini Patris, ejusque Filii: quarta tandem litera, quæ iterum eſt He, determinata jam ad ſignificandum Filium Dei, indicat duas ipſius relationes, alteram producti per æternam generationem a Patre, alteram producentis cum Patre Spiritum Sanctum. Alia plura, quæ ex eo eruantur videri poſſunt apud permultos Hebræorum Doctores.

753. Equidem his reſpondeo ſimilia poſſe comminiſci de nomine Dei in quavis lingua. Nonne qui exempli cauſſa aſſumat nomen italicum Dio, dicere poterit per tres ejus literas indicari tres divinas Perſonas, per primam D, quæ quingenta ſignificat foecunditatem Patris in æterna Filii generatione, & temporali rerum omnium creatione: per ſecundam vero literam I, quæ unitatis ſignum eſt, deſignari Unigenitum Patris, Secundam Trinitatis Perſonam, & inſuper unitatem divinæ Naturæ in omnibus perſonis, quoniam I locum tenet medium inter primam & tertiam, cujus ſymbolum eſt O, ſive circulus figura abſolutæ perfectionis divinæ per æternam Spiritus Sancti proceſſionem a Patre & Filio. Quoniam autem, qui has commentationes de italico Dei nomine effunderet tamquam oracula, accuſaretur de arbitrariis quantumvis piis cogitationibus, eamdem

(1) *He*. Id. to. 20 n. 113
(2) He. ibid. Vocabolario
(3) Fi. in Cratyl. Plat.
(4) Ki Prodr. copt c. 6
(5) Ag. Annone pag. 36
(6) Ki. Oedip. ægy. to. 2 cl. 4 c. 7

Digitized by Google

dem accuſationem incurrunt Hebræi doctores, dum ſimilia ſerio dicunt de nomine tetragrammato. Dum autem alia multa credunt ſe ex eodem nomine inveniſſe vel invenire poſſe per vias magis reconditas, Kircherus, qui de his viis diſſeruit, alias quidem deteſtatus eſt tamquam inventa (1) *ad perturbandam Scripturam, & ad omnia animi idola conformanda*: alias autem contempſit tamquam *nugamenta, quæ ad trutinam revocatæ, non niſi riſum movent peritis*. Cum hæc ipſe dixerit de commentis ſuper Dei nomen tetragrammaton, quæ repeti poſſunt de aliis quæ facta ſunt ſuper alia hebraica vocabula miror inter argumenta pro primatu originis linguæ hebrææ hoc alibi (2) attuliſſe quod in hac lingua *quot literæ & apices, tot myſteria, quot syllabæ & voces tot ſacramenta eſſe etiam Sancti Patres teſtantur*.

ARTICULUS IIII.

Alia argumenta pro primatu originis linguæ hebraicæ.

754. IIm. argumentum ſit. Sola lingua Hebraica habet nomina elementorum alphabeti, quæ quid certi præter literam ſignificant, prout de ſingulis docet etiam S. Hieronymus in epiſtola ad Urbicam. Itaque Aleph ſignificat taurum, Beth domum, Ghimel camelum, Daleth portum, He ecce, Vau uncinum, Zain ſagittam, Cheth animal, Thot declinationem, Jod manum, Coph palmam manus, Lamed aculeum, Mem maculam, Nun puerum, Samech fulcrum, Haiin oculum, Phe buccam, Tsade hamum, Koph Simiam, Scin dentem, Tau ſignum vel terminum. Hoc argumento utitur Euſebius (3), & poſt illum Mariana (4). At Georgius Amira Maronitarum Patriarcha in præludiis, quæ præmiſit ſuæ Grammaticæ Syriacæ editæ Romæ anno 1596. quam Bochartus, Fraſſen, & Joſeph Simonius Aſſemannus in ſua Bibliotheca Orientali (4) laudant, reſpondet, *nego aſſumptum*; Sunt enim ejuſdem conditionis elementa Alphabeti Syriaci.

755. IIIm. Sola lingua Hebræa habet nomina viri & mulieris ita ſimilia ut unum ab altero appareat derivatum. Hoc argumentum primum facit Io. Mariana (5). Reſpondet Amira, *nego aſſumptum*, oſtendens etiam in lingua Syriaca omnia fere nomina viri & mulieris eſſe ſimilia, ut homo & mulier, vir & uxor. Vidit & Huetius (6) *Syris & Arabibus non minus utile eſſe hoc argumentum, quippe ex priſcorum nominum ſignificatione linguarum itidem ſuarum antiquitatem, quam pro Hebraica inſtant pari jure poterunt adſtruere*.

756.

(1) K. Oed. aegy. to.2 cla.4 c.5 pag.254
(2) Kir. Turr. Babel. li. 3 ſec.1 c.5
(3) Eu. Præp. l. 10
(4) Ma. Schol. in Teſta. præf. in Gen.
(5) Aſſ. l. 1 c. 53
(6) Ma. Schol. in Geneſ. in præf.

756. IIIIm. Lingua hebraica eſt linguarum ſimpliciſſima & breviſſima. Kircherus iterum iterumque (1) hoc utitur argumento poſt illud deſumptum ab auctoritate, & Carpovius (2) *in hoc*, inquit, *aliis linguis palmam præripit Hebræa*. At cum Amira reſpondeo I. *nego aſſumptum*; Lingua enim Syriaca, quæ profecto magis nota erat Amiræ quam Carpovio, eſt æque ſimplex & brevis, ditior tamen, quia plures habet Scriptores, quam Hebraica, quæ in ſolis bibliis continetur, nulla enim in hac quæſtione ratio haberi poteſt de Rabbinica (n.407.). Sed cum ſint qui cum Calmet (3) dicant in radicibus Linguæ Hebraicæ majorem haberi ſimplicitatem, quam in illis Syriacæ, reſpondeo II. cum Huetio (4) *omitto aſſumptum*; Nam ex eo non ſequitur, erg. Hebraica lingua eſt omnium prima aut aliis prior, niſi quis dicat, quod certo falſum eſt, *Latinas voces* mors ſors ſub *antiquiores eſſe illis*, *unde ortæ ſunt*, *μόρος ὅρος ὑπὸ*, *&* *Gallicas voces* temps corps ſens cruel, *his antiquiores* tempus corpus ſenſus crudelis. Immo ex data linguæ hebraicæ ſingulari brevitate concludent, tamquam ex imperfectione illam non eſſe primam hominum linguam quotquot cum eodem Carpovio (5) ſtatuunt ad perfectionem linguæ requiri verba monoſyllaba mixta cum polyſyllabis.

757. Vm. Lingua hebræa habet paucas radices, quingentas circiter & non amplius: ergo hæc eſt prima lingua; Prima enim lingua ſub initium non poterat habere niſi nomina rerum & actionum, ſine quibus vita non eſt. Hoc eſt argumentum Shuckfordii (6), quod jam olim placuit Carpovio, qui ait (7) *ex hoc capite hebræa linguæ præ aliis laus ſua non deneganda eſt*. Sed nullius momenti eſt hoc argumentum, tum quia paucitas radicum & generatim vocabulorum linguæ hebrææ naſcitur a paucitate librorum, qui ſuperſtites ſunt. Profecto ſi hæc lingua fuit illa Adami, neceſſe eſt fuerit omnium abundantiſſima, cum ipſe fuerit omnium ſcientiſſimus, & ſcientiæ comes eſt copia vocabulorum pro omnibus ideis, quibus illa conſtat: tum quia ſicuti ex inopia cujuscunque linguæ Barbarorum non licet inferre eas eſſe primas omnium linguas, ita neque ex illa linguæ hebrææ:tum quia inſtituta comparatione inter radices alterius linguæ ut Græcæ aut Germanicæ cum numero ſuorum derivatorum, invenias fortaſſe rationem radicum hebraicarum ad ſua derivata eſſe majorem, quam in alia lingua, h. e. plures eſſe radices in lingua hebraica quam in aliis linguis, attentis ſingularum derivatis.

758. VIm. Nomen Babyloniæ remanſit apud omnes gentes: Sed hoc nomen venit a lingua hebræa: ergo hæc eſt lingua omnium prima. At Amira negat minorem contendens illud nomen eſſe ſyriacum.

VIIm. Voces hebraicæ reperiuntur in omnibus fere linguis. Bardetus

(1) Ki. Oedip. to.2 cl.2 c.1 di.3 & Tur.Bab. ſec.1 c.5
(2) Ca. de perf. lin. n.182
(3) Ca. Dict. ar. Lingua.
(4) Hu. ubi. ſupre. n.8
(5) Car de perf. ling. n.200
(6) Su. Hiſt. du mond. l.2 pag.118
(7) Ca. ibid. n.155

Digitized by Google

tus (1) de multis meminit, qui id ex profeſſo conati ſunt ſuadere, & Hervas (2) de Franciſco Foris OtroKoeſio, qui in libro *Origines hungaricæ* impreſſo Franequeræ anno 1692. permultas voces hebræas viſus ſibi eſt videre in lingua hungarica: ergo hebræa eſt linguarum omnium prima, & quaſi mater. Hoc argumentum primum eſt apud Fraſſen deſcriptum a Waltono, apud quem ſecundum locum tenet. Idem ante Waltonum tanti fecit Joſeph Scaligerus, ut huic ſoli innitens affirmaverit (3) *ſummam eſſe imperitiam ſiquis Syrorum linguam hebraica antiquiorem eſſe velit, ac perinde eſſe ac ſiquis italicum hodiernum idioma Latino robuſtius eſſe diceret*.

759. At verba communia pluribus linguis, quæ tamen invicem diſtent magno locorum intervallo, & quin ulla adſint monumenta de ipſarum inter ſe commercio, dici quidem poſſunt aliis advenisse, ſed temere dicitur hæc pertinere ad primam linguam. Amira autem qui in notitia linguarum orientalium non poteſt poſtponi Waltono Fraſſenio & Scaligero, neque aliis jam nominatis, reſpondet, voces quæ reperiuntur in pluribus linguis æque bene & facilius etiam, ac proinde verius revocari ad linguam syriacam. Falconetus vero juxta id quod docuit in vigeſimo volumine Academiæ Inſcriptionum dicet etymologias perſequi idem plerunque eſſe ac divinare, idque Angli hiſtoriæ univerſalis auctores (4) volunt omnino dicendum de his qui in hac re ſic arguunt, quos proinde contemnunt. Definite Hervas (5) ridiculas vocat etymologias, quas OtroKoeſius attulit ut linguam hungaricam affinem eſſe linguae hebraicae ſuaderet. Huetius tandem (6) multa profert exempla, quæ oſtendunt facile eſſe originationem nominis quod diverſis linguis commune jam ſit a ſingulis repetere: Satis mihi ſit nomen Veſtæ, cujus etymon Latinus Ovidius dicit eſſe quod *vi ſua ſtet*: Græcus vero illud invenit in nomine Græco, & Syrus in Syro. Illud addam, quod cum confuſio linguarum facta probabiliter fuerit (n 374.) per tranſpoſitionem literarum in vocibus radicalibus, & additionem aut ſubtractionem alicujus literæ, non ſolum Hebræi ſed cujusvis linguæ gentes poſſunt veſtigia ſuæ linguæ per omnes alias diſperſae invenire.

760. VIIIm. Nomina propria veteris Teſtam. habent in ſola lingua hebræa aptam interpretationem & etiam ſignificationem. Exemplo ſit Adam nomen derivatum ab hebraico terræ nomine Admah, ex qua divino artificio fuit compoſitus. In hoc argumento eſt præcipuum fundamentum Waltoni (7) poſt Bochartum, qui concedens Amiræ etiam in lingua Syriaca proferri opportunas etymologias aliquorum nominum, quæ habentur in Scriptura, dicit (8) hoc melius & copioſius præſtari per Hebræam

(1) Ba. Ling. de primi to.1 ar.5
(2) He. Idea to 18 n.133 in notis.
(3) Sc. Epiſ. 242 ad Thonſon.
(4) Sto. vo.1 l.1 c.3 n.3
(5) He. Idea. to.18 n.133
(6) Hu. abi alias n.5
(7) Wa. Proleg.3 n.4
(8) Bo. Geogr. p.1 l.1 c.15

Digitized by Google

bræam. Bocharto conſentit Fraſſen (1) qui hoc ponit ſecundum ſuum & ultimum a ratione argumentum. & etiam Carpovius (2) dicens *ex hoc capite reliquis linguis hebræam palmam præripere*, & Ollivierius in commentario de Utilitate linguæ hebraicæ in literis humanis inſerto in Monumenta Trevoltiana, qui hoc argumentum dicit eſſe (3) tam validum ut nemo illud unquam impugnaverit, & ante hos omnes idem cenſuit Bonfrerius (4) qui anno 1643. obiit ætatis ſuæ 78, quando nondum Bochartus an. 1677 ætatis ſuæ 78. quicquam typis vulgaverat. Atque his deinde acceſſit Kircherus (5).

At reſpondet Amira, ſi ſermo ſit de antiquis nominibus, ut Adam Eva & ſimilibus, hæc eſſe Syriaca, & habere ibidem opportunam ſignificationem: ſi vero ſermo ſit de aliis poſteriorum temporum nominibus, hæc curanda non eſſe, quia ab Hebraica utique potuerunt eſſe, & jure a Moyſe Hebræo uſurpata. II. reſpondent Grotius & Huetius nomina quæ aliquam originationem præſeferant in una lingua paſſim reddi ab Interpretibus ſaltem aliquibus per ſimilem originationem alterius linguæ. Itaque Alexander Polyhiſtor Iſaacum, qui Hebraice riſum ſonat, reddidit γελῶτα, & Eſau qui Latine diceretur rufus, Græce dixit Erythram & ſi nomen Adam dicitur venire ab Hebræo nomine terræ, etiam homo latinum nomen videtur reſpicere humum tamquam ſui radicem. Alia in hanc rem exempla dabit Natalis Alexander (6), qui credit hanc reſponſionem non eſſe contemnendam.

761. IXm. Conveniens eſt, ut Abraham haberet eam linguam, quam habuit primus homo Adam: ſed Abraham habuit linguam hebræam: ergo. At Amira negat minorem. Nam Abraham loquebatur inquit Syriace ſeu Chaldaice. Novimus enim ex Geneſi (7) ſervum Abrahami, qui utique linguam domini ſui dicendus eſt loquutus, e Chananæa procedentem in Meſopotaniam Chaldææ regionem, ſermonem habuiſſe cum Rebecca ejusque parentibus, quin ullo uſus dicatur interprete. Jacob deinde (8) ſimul ac in eamdem regionem pervenit, alloquutus fuit illius regionis paſtores, Rachelem & Labanum, & ipſi invicem ſe intellexerunt. Huc ſpectat etiam quod ſupra (726.) obſervavi de adventu Abraham in Chananæam.

Xm. Conveniens eſt credere Deum alloquutum fuiſſe primos homines ea lingua, qua hæc Moyſes colloquia narravit: Sed narravit hebraice: ergo. At major negatur. Nam conveniens eſt Moyſem ſcripſiſſe in ea lingua, quam Hebræi pro quibus ſcribebat, bene noverant; ſicuti conveniens fuit ut Sancti Novi teſtamenti auctores ſuos libros ſcriberent non in lingua Syriaca, in qua commu ius dicitur loquutus J. Chriſtus, cum ſcriberent maxime pro Gentilibus. Solus S. Matthæus, qui pri-

(1) Fr. ubi ſupra pag. 154
(2) Ca. de perf. ling. n. 139
(3) Tr. ann. 1751 ar. 61
(4) Bo. in Geneſ. c. xi v. 1
(5) Ki. Tur. Bab. l. 2 ſec 2 c. 1
(6) Al. Hiſt. Aetas 2 diſ. 5 pr. 2
(7) Gen. c. 24
(8) Gen. c. 29

Digitized by Google

primus Evangelium protulit, (1) *hebraico* inquit Calmet, *ſive ſyriaco vulgari tunc temporis in Judæa idiomate* illud ſcripſit, qua oportuit primo evangelium judæis prædicare; reliqui autem *omnes græce* ſcripſerunt.

762. XIm. ſic proponit Villalpanda (2). Lingua hebraica literis viginti duabus conſtat, ex quarum tribus ſingula ipſius vocabula plerumque conſtant, quae radices appellantur, quia ex iis plura alia quaſi pullulant per aliarum literarum additionem & diverſam combinationem: ergo eſt lingua præſeferens quodammodo Deum ipſius immediatum auctorem ab ipſa humani generis creatione. Conſequentia probatur, quia imprimis nihil melius numero elementorum viginti duorum obſervante Epiphanio (3), utpote qui reſpondet numero operum viginti duorum, quæ fecit Deus ſex diebus creationis. Deinde combinatio trium literarum ad radices ſaltem potiores & numeroſiores conſtituendas exprimit quodammodo auguſtum Trinitatis Sanctiſſimæ myſterium. Tandem viginti duo elementa in diverſa ternaria mille quingenta quadraginta combinari cum poſſint totidem exhibent vocabula diverſa pro radicibus linguæ, qui eſt numerus ſatis amplus ad conficiendam linguam non ſolum ſufficientem, ſed etiam abundantem ad exprimendam rerum quas cognoſcere poſſumus multitudinem. Quod ſi inter radices reponantur etiam vocabula quæ ex quatuor elementis componantur multo major evadit radicum copia. Villalpanda quidem ex viginti duobus elementis infert fieri poſſe ternaria ſexcenta quadraginta & octo ſupra decem mille, in quo habetur cubus dati numeri 22., credens hoc modo reperiri numerum omnium combinationum, quæ tribus elementis conſtent in dato numero, in quo fallitur. Reperitur enim hic numerus multiplicando illum per ſe ipſum mulctatum unitate, & productum hujus primæ multiplicationis iterum multiplicando per primum numerum duabus unitatibus diminutum, novumque hoc productum tandem dividendo per ſenarium quemadmodum demonſtrant Arithmetici, ut Tacquet (4). Neque officit quod Lexica hebraica omnium copioſiſſima non exhibeant tantam vocabulorum abundantiam; Nam hæc conſtructa ſunt ſupra ſacra biblia; Nam nihil aliud ad nos pervenit hebraice ſcriptum.

Reſp. *conc. ans, & nego conſeqm*, quia etiam in Grammatica Linguæ Syriacæ invenio apud Amiram elementa viginti duo. Quare inutile eſt quicquid in probatione dicitur ad evincendum propoſitum.

763. XIIm. Salomoni tribuunt aliqui inventionem alphabeti ſyriaci, ſicut etiam arabici: ergo ante linguam ſyriacam fuit alia lingua. At nulla eſt hæc conſequentia, quia linguarum characteres ſunt certe poſt ipſas. Quare etiamſi auctor Syriacorum fuerit Salomon, quod gratis ex

(1) *Ca. Dict. ar. Biblia. De idiomate.*
(2) Vi *Appar.* d. 2 l. 2 c. 20 c. 28 ſub fin.
(3) Epi de Menſu. & pond.
(4) *Ta. Arith. prac.* l. 5 c. 8

dictis (n.144.) dicitur, potuit ipſa lingua ſyriaca eſſe ante Salomonem & ante omnem aliam linguam.

ARTICULUS V.

Argumentum pro primatu originis linguæ Syriacæ ex illa J. Christi in terris.

764. Linguam Syriacam eſſe primam hominum linguam tenuit ex Patribus Theodoretus paucis verbis hanc eſſe ſuam in hac re opinionem manifeſte (1) declarans, quod adverto quia Amira dicens, *quod Sancti Patres de hac re contendere ſupervacaneum eſſe exiſtimarunt, ut ex Theodoreto conſtat*, ſuſpicionem movet ab eo fuiſſe ex profeſſo hanc quæſtionem agitatam, quod non eſt verum, neque proinde id ſignificat Amira, ſed quod dixit de Patribus confirmare intendit exemplo Theodoreti. Qui pro primatu Hebraicæ pugnant ut Villalpanda (2) ſibi obſtare nolunt Theodoretum, quia dicunt ipſum nomine Syriacæ linguæ ſignificaſſe hebraicam. At hoc non poteſt dici, cum Theodoretus rationes etiam afferat, quas Pererius (3) confutat, quibus linguam hebræam ſtatuit poſteriorem eſſe confuſione & diviſione linguarum annis plusquam ſexcentis utpote primo traditam Moyſi. Falſum etiam eſt quod dicit Huetius (4) Theodoretum declarare *nihil officere pietati* quamcunque partem quis teneat in hac quæſtione. Hoc enim Theodoretus dicit de altera quæſtione quæ proxime ſequitur circa nomen populi hebræi, an venerit ab Hebero, an a tranſitu Euphratis facto ab Abrahamo. Præter Theodoretum alii Patres primatum linguæ Syriacæ tribuentes citantur ab eodem Amira, ſed in aliorum fidem. Ex Scriptoribus autem alterius generis multos idem produxit partim expreſſe, partim tacite & quaſi conſequenter idem affirmantes, quibus poſt ipſum acceſſit Miricæus in praefatione ad ſuam Grammaticam Chaldaicam. Fortaſſe tamen non omnes opportune citantur, poſtquam novimus Annium, Poſtellum, Sigonium, Polydorum Virgilium, Bibliandrum & Joſephum Scaligerum locis citatis a Gaſpare Schotto exiſtimare Hebraicam gentem a multis (5) *ſcriptoribus vocatam eſſe Aſſyrios, Syrios, Aramaos, & Phoenices ob loca quæ diverſis temporibus inhabitavit*. Quare etiam lingua hebraica conſequenter ab ipſis dici debuit Aſſyria, Syria, Aramaea, Phoenicia.

765. I. autem pro hac opinione dicitur. Conveniens eſt ut primi homines Adam & Eva loquuti fuerint ea lingua, qua Chriſtus ſecundus Adam, ejusque ſanctiſſima mater ſecunda Eva uſi ſunt: Sed Chriſtus ejusque Mater uſi ſunt lingua Syriaca: ergo.

Reſp. I. *diſt. maj.* Illud conveniens eſt ut oppoſitum non ſit inconveniens,

(1) Th. in Genes. qu. 60
(2) Vl. ubi ſupra l 2 c. 20
(3) Per. in Gen. l. 16 n. 113
(4) Hu. ubi alias n. 2
(5) Sc. Technic. l. 7 c. 7 n. 3

Digitized by Google

veniens, *conc. mai*: ſecus *nego*. Et omiſſa minori *nego conſeqm.* Omittitur minor, quia procul dubio ea lingua uſus fuit Chriſtus, quae tunc familiaris erat apud Hebraeos. Alii autem viderint, quaenam haec ſit. Pro lingua latina fuit Joannes Harduinus, qui referente Ladvocato (1) in ſuis in novum Teſtamentum commentariis hac ſtatuit J. Chriſtum, ejusque Apoſtolos uſos in praedicatione Evangelii. Sed docti jam olim hanc opinionem inter ſingulares abſurdasque hujus auctoris cogitationes computarunt. Tunc ſolum aliqui putant Dominum latine loquutum, quando ad tribunal Pilati deductus fuit, quia credunt Magiſtratus Romanos per omnes imperii provincias lingua ſolum latina leges promulgaſſe ac cauſſas adminiſtraſſe, de qua re novi haberi diſſertationem in XI. volumine miſcellaneorum Lipſienſium.

766. Pro lingua Syriaca eſt Salmeron, cujus eſt haec obſervatio (2) *Marcus gaudet exprimere voces ſyras; Nam ſyra lingua ejus ſaeculi vernacula utebatur Dominus*. Itaque ſuſcitans filiam Iairii dixit (3) *Tabitha cumi, puella ſurge*: & ſanans ſurdum & mutum (4) *Ephphetha*, inquit; *quod eſt adaperire*. Idem obſervo in Matthaeo (5), & Luca (6), apud quos legimus hoc nomen mammona tamquam adhibitum a Chriſto, de quo S. Hieronymus dicit (7) *Mammona non Hebræorum ſed Syrorum lingua divitiæ nuncupantur*. Nec ſit qui opponat illud S. Auguſtini (8) *Mammona apud hebræos divitiæ appellari dicuntur*, apud hebræos enim ait non hebraice. Idem obſervo etiam in Joanne, apud quem eſt *Gabbatha*, vox Syra, ut paullo infra diſtinctius dicam, & (9) *Rabboni* Syrum pariter nomen, quo Maria Magdalena Jeſum compellavit, cui Rabbi reſpondet in lingua hebraica.

767. Eſt præterea Maldonatus dicens (10) *Chriſtus non græce, ſed ſyriace loquebatur*: Et M. Antonius Marſilius Columna, cujus ſunt hæc (11) *quod Judæis hebraicæ linguæ uſus ex captivitate in patriam reſtitutis in Syriacam degeneraverit & omnibus palam eſt, qui hebræorum hiſtorias legerint, & aperte tradit Franciſcus Raphelengius in apparatu reg. bibliot. to. 3 in epiſt. ad chaldaicae linguae ſtudioſos*: Et Amira cum tot aliis, ut Cornelius a Lapide dicat (12) *certe Judæi tempore Chriſti loquebantur ſyriace*. Recentius Ignatius Weitenaver ait (13) *Lingua Syriaca Chriſtus & Apoſtoli, ut omnes hebraei ceteri poſt captivitatem utebantur, hebraica ſolis literatis relicta*: Et Franciſcus Mariani in opuſculo contra Salmaſium *De Helleniſtis*, quod in *Excerptis* Bernenſibus pro anno 1760 habetur,

(1) La. Diz. ar. Arduino.
(2) Sa. de Mirac. tr. 16
(3) Mar c. 5 v. 41
(4) Ibid. c. 7 v. 34
(5) Ma. c 6 v. 24
(6) Lu. c. 16 v. 9
(7) Hi. epiſ. ad Aiganam 96
(8) Au. l. 2 de ſerm. Dom. in mont. c. 14
(9) Jo. c 20 v. 16
(10) Ma. in Matt. c. 16 v 6
(11) Co. Hydragiol. ſec. 1 c. 5 n. 29
(12) La Com. in Matt.
(13) Vve. Le. Bibl. ar. Abba.

tur, advertit hujusmodi literatos fuiſſe pauciſſimos, eosque eſſe, quos S. Chryſoſtomus vocat *profundos Hebraeos*. *Quin immo*, inquit (1) *multi ſunt, inter quos Huetius in Demons. Evang. aliique apud Basnage, & Fabricium, qui aſſerere non dubitant, & argumentis probant, neque Joſephum, neque Philonem Judaeorum facile doctiſſimos Moſis & reliquorum prophetarum libros intellexiſſe*. Eidem opinioni favet, quod Chriſtus in cruce clamans (2) *Eli Eli* creditus fuerit invocare Eliam, quia ut ibi notat Salmeron (3), Maldonatus, & Balleſter (4) Eli eſt nomen hebraicum ſignificans Deus meus, & eo tempore Hebræi juxta linguam Syriacam quam loquebantur non dicebant eli ſed il. Qui nolunt ullum ex Judæis, ſed ſolos milites Romanos dixiſſe *Eliam vocat iſte, videamus an veniat Elias*, mihi videntur temere id dicere, immo contra hiſtoriam, quæ paganos præſertim milites deſcribit inſcios de vera religione & prophetis. Qui præterea volunt Judæos ipſos eo modo interpretatos Eli non per ignorantiam ſignificationis hujus hebraicæ vocis, ſed per procacitatem ad irriſionem morientis J. Chriſti, fingunt Judæos profanantes nomen Dei, quod iterum opponitur hiſtoriæ, quæ eos repræſentat conſtanter plenos reverentia in nomen Dei.

768. Pro lingua autem hebraica habemus quod titulus appoſitus cruci, ſupra quam J. Chriſtus emiſit ſpiritum ſcriptus fuerit (5) *hebraice, græce, & latine*. Igitur cum titulus hebraicus poſitus fuerit pro ipſo hebræorum vulgo, videtur concludendum familiarem adhuc eidem fuiſſe linguam hebraicam, Sed ſunt qui volunt *hebraice* ibi non ſignificare linguam hebraicam, ſed linguam, quam tunc Hebræi loquebantur, quæ erat Syriaca. Quod Franciſcus Lucas apud Cornelium a Lapide (6) dicat Syra lingua ſed charactere hebraico ſcriptum fuiſſe, mera ipſius conjectura eſt; Nam idem a Lapide, qui hunc titulum Romæ ex dictis (n.155.) extantem ſollicite inſpexit, inventas ſcripſit a ſe litteras primi verſus *ita vetuſtate exeſas, ut apices dumtaxat nonnulli appareant, nulla vero litera integra plenaque eruatur* quod teſtatur etiam ejusdem imago propoſita ab Antonio Lupo in *Epitaphio Severæ*. Quare in fide aliorum credo dixerit Salmeron in hoc titulo (7) *nomen Jeſu hebraice ſcriptum nullum he continet, nec in principio nec in fine, bene tamen literam hain*.

769. Pro lingua iterum hebraica eſt quod S. Matthæus ſcripſerit ſuum evangelium hebraice, ut conatur ſuadere Bellarminus (8), & Maldonatus dubitat (9) an ſine nota temeritatis negari poſſit propter perpetuam antiquitatis opinionem. At alii dicunt ſcriptum ab eo fuiſſe ſyriace. In his

(1) Exc. to. 1 pag. 99
(2) Matt. c. 27 v. 46
(3) Sa. de Paſſione tr. 43
(4) Ba. Onomatog. ar. Eli.
(5) Jo. c. 19 v. 20
(6) Lap. in Matt. c. 27 v. 37
(7) Sa. de Infan. Chri. tr. 37
(8) Be. Scrip. eccl.
(9) Mal. in Evan. præf. c. 1

Digitized by Google

his ſunt Salmeron (1) Mariana (2), & ii quos citat a Lapide (3), quibus nuper acceſſit Weitenaver (4) Linguarum profeſſor in Academia Leopold. Oenip., qui ſicuti negat ex illo Joannis (5) *qui dicitur litoſtrothos, hebraice autem gabbatha* inferri tunc hebræam linguam viguiſſe, volens *hebraice* ſignificare (6) *ſermonem hebræis tunc uſitatum, qui syriacus fuit, quique*, inquit Salmeron (7) *in evangelica hiſtoria haud ſemel dicitur hebraicus, ut primo libro late comprobavi*, & hic idem Joannis locus teſtatur cum ſit Gabbatha, ut idem advertit (8) vox ſyriaca. Traditio igitur de hebraico S. Matthæi evangelio jure intelligi poteſt de evangelio ſcripto ea lingua quæ apud hebræos erat tunc vulgaris. Franciſcus Lucas alium etiam modum explicandi hanc traditionem obtulit, dum dixit judæos ejus temporis uſos quidem lingua ſyriaca, ſed characteribus hebraicis, cujus opinionem videor mihi videre in S. Hieronymo (9) dum ait Matthæus *primus in Judaea evangelium hebraicis literis edidit*. Alii incertum dicunt hebraice ne an syriace ſcripſerit, in quibus eſt ipſe a Lapide, quos qui ſequatur, poſtquam noverit hebraicam linguam non fuiſſe tunc cognitam niſi ſolis inter hebræos literatis, neceſſe eſt dicat S. Matthæum pro his ſcripſiſſe evangelium, non pro vulgo, quod videtur abſurdum. Alii tandem græce a Matthæo exaratum volunt, quæ eſt opinio Cajetani, & Anabaptiſtarum apud eumdem a Lapide, confutata a Salmerone (10), quam confidenter ſequitur tamquam certam Dominicus Diodati (11).

770. Pro lingua tandem græca eſt hic Diodatus, qui integro libro Neapoli edito anno 1767. contendit *Græcam linguam, cum Iudæis omnibus tum ipſi adeo Do. & Apoſtolis nativam ac vernaculam fuiſſe*, quæ fuit jam Iſaaci Voſſii, Grotii aliorumque opinio ut ipſe idem fatetur monens tamen ſe (12) *nihil ab ipſis præter unam ſententiam accepiſſe, quam deinde ſuo marte argumentis firmare conatus eſt*, quod eſt verum & in damnum ſui libri vergit. Nam pleraque ejus argumenta falſa demonſtrantur, ut I. quod Lingua Ægyptiaca poſt Ptolomæos locum ceſſerit Græcæ, quæ evaſit ibi propria & vernacula. Teſte enim S. Athanaſio in vita S. Antonii hic ſolius Ægyptiaci idiomatis compos fuit, & teſte auctore vitæ S. Pachomii apud Bollandiſtas hic pariter ignarus fuit græci ſermonis, & per interpretem uterque agebat cum iis qui ſecum græce loquerentur, Cronusque inter Antonii interpretes nominatur, vir ſanctus qui vixit annos decem ſupra centum ut refert Fleurius (13). Quare adhuc ſæculo quarto Aegyptus ſua lingua, non graeca utebatur, & etiam quinto. Auctor enim

(1) Sa. de Inf. Chriſ. tr. 25 ſub init.
(2) Ma. Schol. in Matt. præf.
(3) La. in Matt.
(4) Vve. Lexi. bibl. ar. Raca.
(5) Jo. c. 19 v. 13
(6) Vve. *Lex.* bib. ar. Gabbatha.
(7) Sa. de Infan. Chr. tr. 25
(8) Sa. de Paſſion. tr. 32
(9) *Hi.* Præf in Evang.
(10) Sa. in Evang. l. 1 proleg.
(11) Di. de Chr. græ. loq. p. 3 c. 2 n. 6
(12) Dio. epi. ad Lect. pag. 9
(13) *Fl.* Hiſt. l. 13 n. 38

Digitized by Google

enim hujus ſæculi Caſſianus ſcribit (1) in ſuis per Aegyptum excurſionibus vix aliquos monachos inveniſſe, qui linguam græcam intelligerent, & referente Calmet (2) *in conciliis Epheſino & Chalcedonenſi*, quod habitum fuit anno 451., *quosdam Epiſcopos græce rudes, ægyptiace ſubſcribentes legimus, & plures erant Abbates & Monachi omnium præter ægyptiacam linguarum ignari*.

771. Secundum Diodati argumentum eſt, quod ſolum in Syria trans Euphratem Syriaca diutius permanſerit, at in Syria cis Euphratem a Græca jacuerit oppreſſa. Sed contra eſt quod habemus in vita S. Hilarionis mortui anno 351. ipſum loquutum fuiſſe syriace, & legimus in hiſtoria eccleſiaſtica (3) Macedonium monachum nullius literaturae, ſed eximiae ſanctitatis ſyriace egiſſe cum miniſtris Theodoſii pro Antiochenis reis de ſeditione contra ipſum imperatorem tam validis argumentis, ut illi, quibus ea græce reddebantur, neſcio quid divinum in ipſis agnoverint: & Acta S. Procopii Martyris vulgata ab Evodio Aſſemano teſtantur, ipſum interpretis munere functum eſſe in Eccleſiis Jeroſolymæ & Scythopoleos, exponendo Syriace populo Scripturas, quæ tunc Græce legebantur, quo argumento utitur contra Grotium etiam Butlerus (4). IIIm. eſt, quod Antiochus juſſerit Iudæos omnes Græce loqui. At ignotum omnibus eſt hoc edictum, nec aliam ſacræ & profanæ literæ ſollicitudinem de Antiocho commemorant, quam de ſtabiliendo veſano vitulorum aureorum cultu. Alia fortaſſe contra hunc Diodati librum argumenta dabit Bernardus de Roſſi, qui ipſum impugnavit libro Parmæ edito anno 1772. Italice *De lingua propria Chriſti*, quem laudant Ephemerides Liter. Romanae ejuſdem anni ad 10. Octobris.

ARTICULUS VI.

Alia argumenta pro primatu originis linguæ Syriacæ.

772. I. Dicunt. Hebræi ſunt progenies Chaldæorum, ut ex Judith conſtat, & teſtantur S. Juſtinus Martyr (5) cum Philone & Ioſepho, & Clemens Alexandrinus (6): ergo prior eſt lingua Chaldaica quam Hebræa, At permiſſo antec. negatur conſequentia; Nam dici poteſt linguam Chaldaicam populi ex quo deſcendunt Hebræi, fuiſſe eamdem tunc cum ea quæ deinde Hebræa dicta eſt, & poſteriori tempore commutatam fuiſſe in eam quæ nunc communiter dicitur Chaldaica. Simili modo Kircher iterum iterumque (7) hoc argumentum confutat in Amira nominatim. Fraſſen (8) alio etiam modo reſpondet negando

(1) Ca. Colla. 16
(2) Ca. Dict. ar. Biblia coptica.
(3) Fleury. l.19 n.4
(4) But. The Lives of the Saint. Iul. 8
(5) Juſ. Paræn. ad græc.
(6) Cl. ſtrom. l. 1
(7) Ki. Oed. ægyp. to. 2 cla. 2 c. 1 diſ. 3
(8) Fr. ubi ſupra n. 14

gando ant. Nam verba quæ ex Iudith obiiciuntur ſunt (1) *Populus iſte ex progenie Chaldæorum eſt: hic primum in Meſopotamiam habitavit*: Sed hæc dixit Achior dux Amonitarum Holoferni quærenti, quiſnam eſſet populus Hebræus, qui ſe & exercitum ſuum contemneret, & cum dixit eum eſſe ex progenie Chaldæorum, loquutus fuit ſecundum communem modum, quo ex diuturno incolatu dicimus aliquem eſſe unius gentis quamvis ſit reipſa alterius, quoniam Abraham & majores ſui in Chaldaea degerunt.

773. II. Chaldæi ſunt antiquiores Hebræis ut conſtat ex Ieremiæ ca.5. Ergo etiam lingua Chaldæa antiquior eſt. *Reſp. nego ant.* Textus Ieremiæ vocat quidem Chaldæos gentem antiquam, non vero dicit eſſe antiquiorem Hebræis aut aliis gentibus. Atque quando quis quærat rationem de adjuncto antiquæ attributo genti Chaldææ, quam comminabatur Deus ſe excitaturum ad eorum excidium, quaſi ad prælationem gentis hebrææ, dico rationem poſſe eſſe quod ea gens, quæ Chaldæa potita fuit a diviſione nationum facta per diviſionem linguarum ſemper in eadem regione commorata fuerit.

774. III. Conveniens eſt, ut prima lingua remanſerit in ea regione in qua accidit confuſio primæ linguæ: ſed regio in qua hæc accidit, ea eſt in qua diu floruit lingua Syriacă: ergo. At Fraſſen poſt Waltonum (2) negat majorem. Alii permittunt conveniens eſſe illud quod affirmat major, ita tamen ut non ſit inconveniens oppoſitum. Pendet enim hoc a Divina Libertate, quæ ſicuti noluit ſedem Religionis Chriſtianæ in regione, in qua eam Chriſtus promulgavit, ita potuit nolle conſervari ibidem primam linguam.

775. IV. Tandem dicunt. Lingua hebraica inops eſt, & contra Syriaca ditiſſima: ergo ſyriaca eſt prima lingua. Reſp. linguam hebraicam eſſe jamdiu mortuam, nec ſuperſtitem eſſe niſi in paucis libris. Sed dum viva erat præſertim tempore Salomonis non eſt dubitandum de ejuſdem copia opportuna ad omnium doctrinarum dilucidam expoſitionem. Hoc enim expoſcit elogium Salomonis, cujus ſapientia (3) major dicitur ſapientia omnium Orientalium, & quam omnis ſapientia Ægyptiorum: ſapientior omnibus hominibus eloquutus dicitur tria millia ſententiarum, & quinque millia carminum: loquutus præterea de plantis a cedro, quæ eſt in Libano usque ad hyſſopum, quæ egreditur de pariete: item de beſtiis de volucribus de reptilibus de piſcibus.

PARS

(1) Iudith. c. 5 v. 7
2 Vva. Proleg. 3. n. 12

(3) 3. Reg. c.4 v. 30

Digitized by Google

PARS V.

De primatu dignitatis inter linguas.

PROPOSITIO

Primatus dignitatis nulli convenit linguae.

ARTICULUS I.

Argumentum pro propoſitione ex natura linguarum.

776. NOMEN primatus dignitatis adhibeo, quia reſpondet primatui originis, de quo jam dixi. Idem autem eſt hunc primatum dare alicui linguæ ac illam cæteris præferre Pro hac propoſitione eſt Trembiayus (n. 269.) qui cap 9 de linguis tractatus ait, *Tueri non poſſumus linguæ gallicæ dignitatem, niſi ſtatuamus linguarum æqualitatem*. Et alibi (1) *nulla eſt lingua quæ alteri abſolute præferri poſſit, & nulla quæ par non ſit ad claram robuſtam nobilem atque ſapientem eloquentiam.* Ab ipſo etiam libri initio cum profeſſus fuerit quæ pro lingua gallica dicturus erat, convenire omni linguæ, finge inquit deinde (2) Demoſthenem aut Ciceronem redire ad novam vitam in Gallia hujus linguæ inſtructos pro illa quam olim habuerunt, ſed eadem ornatos ſcientia, quam ſibi comparaverant, credes ne ipſorum orationes paribus lucubrationibus commentatas nullius jam roboris & pretii futuras? Erravit igitur Diarium Literat. Venetum, dum to. 2 ar. 4 ipſi tribuit linguam gallicam omnibus prætuliſſe. Pro eadem noſtra propoſitione Buffierius (3) deinde integra diſſertatione peroravit, & nuper Benedictus Feijoo, qui tamen neſcio quomodo putavit communem (4) ſententiam eſſe ſibi oppoſitam.

777. Equidem pro illa ſic arguo. Ea lingua praeferri poteſt alteri, quae melius obtineat finem ſuae inſtitutionis, qui eſt idearum communicatio: ſed nulla eſt lingua quae apud illos qui in ea verſati ſunt hunc finem minus bene quam alia obtineat: ergo nulla eſt lingua quae alteri praeferri poſſit. Cum major difficultatem non habeat declaratur minor. Imprimis ea controverſiam non admittit in iis quae pertinent ad vitae ſocietatem, quae aequali modo conſervatur & promovetur apud gentes cujuſcunque linguae. Eadem certa etiam jam debet eſſe in iis quae ſpectant ad ſcientiam omnium artium diſciplinarumque ſeveriorum, I. quia quaevis veritas quae eſt quaſi anima propoſitionis atque ſermonis, ejuſque prae-

(1) Id. c. 20 ſub init.
(2) Ibi. c. 21
(3) Bu Prejug. di. 7
(4) Fe Teatro to. 1 di 15 n. 22

Digitized by Google

præcipua laus, poteſt ab omnibus cujusvis linguæ hominibus eodem modo cognoſci, quandoquidem ea una eſt in ſe pro omni tempore & loco, & vis rationis reperitur in omnibus cujusvis linguæ hominibus, utpote quæ eſt de eſſentia hominis. Quare veritates etiam omnium ſublimiſſimas, quas Deus revelavit, voluit ab omnibus nationibus cognoſci cum juſſit eas ipſis prædicari. Atque cum ut ait Tullius (1) *omnes in eo quod ſciunt ſatis ſint eloquentes*, ſequitur omnem linguam aptam eſſe ad quascunque magis exquiſitas cognitiones ſignificandas. Exemplo ſit oratio Dominica, quam Hervas ex dictis (n. 353.) exhibuit expreſſam in tercentis & amplius linguis diverſis.

778. II. Quia aliquam determinatam linguam alteri præponere idem eſt ac temere loqui aut ſibi contradicere. Temere enim loquitur qui ideo unam linguam ceteris anteponat, quia ſibi videantur ipſius auctores exprimere aliquod quod ipſe non concipit; nemo enim prudens judicat de iis quæ non percipit: Sibi autem contradicit, ſi quod ab illis dicitur ipſemet concipiat, qua enim ratione mente aſſequitur quod in illis legit aut ab illis audit, jam poterit etiam ipſe id aliis communicare, quoniam quivis habet vel habere poteſt pro ſuis ideis reſpondentes dicendi formulas.

III. Quia quod Tullius olim contra Græcos facto ipſo oſtendit Latina verba nihil imminuere ſplendorem & dignitatem philoſophiæ, idem confirmarunt de Italica & Gallica quotquot in has linguas verterunt græcos latinosque auctores. Quod ſi aliqua per unam linguam enunciata habeant gratiam quamdam dependentem a formatione verborum, quibus ipſa conſtat, quam non poſſit aſſequi alia lingua, in quam transferantur, alia viciſſim per hanc ipſam linguam propoſita, erunt ſimiliter eidem ſingularia, ita ut in integta tandem verſione plura obſerventur, quæ augeant ſplendorem ſui exemplaris, & abunde compenſent quæ ipſum in aliquibus imminuerint. De iis qui italicos reddiderunt non ſolum græcos latinosque ſed aliarum etiam linguarum ſcriptores extat copioſus catalogus in *Bibliotheca* Ant Franciſci Doni quam edidit anno 1550., eamque fortaſſe habuit præ oculis Scipio Maffejus, quem novi ſimilem enumerationem inſeruiſſe in primam ex ſuis epiſtolis, quæ conſtant ipſius italicum librum *De italis interpretibus veterum Latinorum & Græcorum*, quem Venetiis edidit anno 1720, ut falſum oſtenderet, quod non nemo dixerat linguam gallicam antiquius & abundantius quam italicam veteres utriusque linguæ ſcriptores fuiſſe interpretatam.

779. Idem luculentius de italica jam olim confirmarunt, qui de rebus ad quamvis ſcientiam pertinentibus ipſimet italice tractarunt. Michael Poccianti mortuus anno 1576. ex his multos jam dedit in ſuo *Catalogo Scriptorum Florentinorum omnis generis*, & multo plures Julius Negri Ferrarienſis mortuus anno 1720. ætatis 72. in ſua de iisdem ſcriptoribus hiſtoria, qua ni fallor ab alio deinde fuit aucta, ejus certe materia in

(1) Tu. de Orat. l. 1.

dies augetur, nec dubito alios multos, qui italicis ſcriptis doctrinæ famam ſunt conſequuti produci in monumentis *de illuſtribus ſcriptoribus qui in regno Neapolitano ad annum uſque* 1536. floruerunt, quorum primum volumen recens vulgatum commemorant Ephemerides Rom. Litterariæ (1), & multo magis ab aliis ſingularum Italiæ vel urbium vel provinciarum bibliographis, qui uſque ad annos nobis proximos deſcenderunt. Quare plane peſſum abeunt quotquot apud Speronem Speronium Patavii natum anno 1504., & mortuum anno 1588. a citato Donio magnifice laudatum (2), italicam a ſcholis quaſi natura ſua excluſam (3) crediderunt. Speronium nominans venit mihi in mentem Alexander Piccolomini celebris Philoſophus ipſi coævus, quippe mortuus anno 1578. ætatis ſuæ 70., qui ipſomet teſte apud Tiraboſchium (4) ut huic præpoſteræ opinioni ſe opponeret, italice ſcripſit ſuos de philoſophicis tractatus.

780. Idem de gallica evidens reddit Claudius Petrus Gouiet mortuus anno 1767. in gallica bibliotheca, quæ permulta volumina complectitur, quorum primum prodiit anno 1741.,& ut in ipſo ſingulorum titulo dicitur, palam facit *utilitatem librorum gallicorum pro cognitione humaniorum litterarum, hiſtoriæ, & cujuſcunque ſcientiæ & artis*. Praenimio igitur linguæ latinae amore Joachim Trotti de la Chetardie Pariſiis mortuus anno 1714. ætatis ſuæ 78. dixit apud Dictionarium Auctorum eccleſiaſticorum ſe latine potius quam gallice ſcripſiſſe quæ ſibi cordi erat altius imprimere, quia in latina majorem verborum vim & copiam reperiebat, quam in gallica ſibi ceteroquin nativa. Idem de Hiſpana colligitur ex ſola *Bibliotheca Hiſpana* Nicolai Antonii, qui obiit anno 1684., in qua, etſi ea deſinit in fine anni 1499., inveniuntur tamen, qui ſua lingua de quavis diſciplina ſcripſerunt.

781. Idem noſtra ætate de ſuis linguis ſingulæ demonſtrant nationes, quæ cum volunt per illas feliciter quamcunque vel ſublimiorem doctrinam exponunt, idemque procul dubio obtinerent barbaræ linguæ quæ nunc ſunt maxime inopes, quoties gentes, quæ illis utuntur a barbarie ſua recederent. Hujuſmodi enim inopia non provenit ex intrinſeca ullius linguæ natura, ſed ex incuria gentis quæ artes non curat & a ſtudiis abhorret. Cum enim verba ſint ſigna idearum, his ex ignavia deficientibus deficiant etiam neceſſe eſt verba. Hac de cauſſa poſtquam Arabes omnem animi culturam a tot ſæculis negligunt non ſolum ſuam linguam non amplificarunt, ſed potius dicuntur coarctaſſe, ignorantes jam plura ſuæ linguæ vocabula quæ majoribus ſuis circa tempora Mahumeti nota erant. Fac igitur ut populus cujuſcunque linguæ, quæ in alterius comparatione inops nunc eſt, incumbat ad artium diſciplinarumque acquiſitionem, dives etiam hæc evadet in vocabulis quæ excudet juxta formam aliorum quibus jam potitur.

AR.

(1) Eph. ann. 1781 n.28
(2) Do. Librer. p.1
(3) Dial. pref. c. 3 n.6
(4) Ti. Lett. Ital. to. 7 p. 1 l. 2 c. 2 n 65

Articulus II.

Argumentum ex laudibus quæ ſingulis linguis tribuuntur, ac primo de illis Italicæ.

782. ITerum pro propoſitione ſic arguo. Nullus eſt conſenſus hominum circa primatum dignitatis alicujus linguæ: ergo nulli hic tribui poteſt. Antecedens ſuadetur, quia tanta eſt opinionum in hac re diverſitas, quanta eſt ipſarum linguarum varietas, & unusquisque qui non ſit ex vulgo, quod nullas curat de literis controverſias pluris plerunque facit genus ſaltem patriæ linguæ, ſin minus ſuammet illius dialectum. Itaque ex italis exculti homines magnifice ſentiunt de ſua in genere lingua, cujus cum multæ ſint dialecti, omnibus unanimiter anteponunt Tuſcanicam. Dum Tuſcanicam linguam dixi dialectum Italicæ veram pronunciavi propoſitionem, cui quivis jam philoſophus aſſentietur, & mecum admirabitur fuiſſe olim, qui circa nomen quo deberet appellari Italorum lingua multis editis libris disputaverint. Itaque omiſſis iis, qui ætate Dantis Siculam ex dictis (n.684.) vocabant, Claudius Ptolomæus Senis natus circa annum 1492., & Romæ mortuus anno 1554. contendit eam appellandam eſſe Etruſcam in Dialogo, quem inſcripſit *Ceſano*, quia primas in eo partes habet Gabriel Ceſanus Piſanus, qui obiit anno 1568 Epiſcopus Salutiarum: Benedictus vero Varchi mortuus anno 1566. in ſuo *Ercolano*, ſeu *Dialogo delle lingue* voluit dicendam Florentinam, quemadmodum inquit cenſet Bembus: At Celſus Cittadini & Beliſarius Bulgarini circa idem tempus pro nomine Senenſis pugnarunt: Hieronymus tandem Muzius omnibus ſe oppoſuit in libro, cui titulus *Le Battaglie* impreſſo anno 1582., in quo Italicæ nomen illi cenſuit convenire, quod Triſſinus jam ante Claudium Ptolomæum ſtatuerat.

784. Juvat hominum opiniones circa aliquas linguas obſervare, atque mihi Italo ultro dabitur credo hæc venia, ut ab Italicæ laudibus exordiar. Hanc, qualem vulgus ipſum in Etruria, & gens culta Romæ loquitur, Hiſpani mirifice adamarunt. Ex antiquioribus commemorabo Franciſcum Figueroam, & Ferdinandum de Herrera, quos tamquam eximia hiſpanæ poeſeos exempla ſæculi decimi ſexti propoſuit Jo. Franciſcus Masdeu (1) narrans de primo fuiſſe ab Italis propter ipſius italica carmina lauro coronatus, de ſecundo vero conatum fuiſſe per apocopes & apoſtrophos hiſpana vocabula more italorum mutilare, quod in lingua Caſtellana eſt inuſitatum. Ex recentiſſimis Eximenus nuper italam linguam contendit eſſe (2) *omnium quæ nunc vigent ſuaviſſimam atque pulcherrimam*. Par judicium olim expreſſerat alter Hiſpanus Antonius Baſterus in ipſo titulo libri Romae editi anno 1724. *La Crusca Provenzale*, ovve-

(1) Ma. Poes. de Spagn. to. 1

(2) Ex. Muſic, p. 1 l. 3 c, 1 n. 1

ovvero maniere di dire, che la gentiliſſima e bella lingua toſcana ha preſo dalla Provenzale, hoc eſt *Furfur linguæ Narbonenſis, ſive modi loquendi, quos lingua Etruriæ ſuavis quam maxime & pulchra ab ea deſumpſit*. Idem antea pariter palam profeſſus fuerat ſe ſentire Deodatus de Trovazzis gallica diſſertatione De *excellentia linguæ italicæ*, ejusque contra cenſuram Voltaires defenſione, quæ cum in ipſa Pariſiorum urbe auſus fuerit typis mandare anno 1761., nil mirum quod plurium contemptum ſibi conciliaverit, ut videre eſt in annalibus typographicis alias citatis (1).

785. His omiſſis, quos non vidi, redeo ad Eximenum, qui utpote emunctæ naris homo, & in hac lingua probe exercitatus dignus eſt qui audiatur dum rationes exponit, quibus nititur relata ipſius propoſitio, quam in tam eximiam italicæ linguæ commendationem non in Hiſpania ubi credo equidem fuiſſet ingrata, ſed in Italia, & in ipſa Urbe, ubi gratiſſima accidit, promulgavit. Lingua inquit italica cum ſobrietate utitur conſonantibus & quando duas, vel tres ad ſummum conjungit in principio dictionis, ſemper unam ſaltem vult eſſe ſemivocalem, ut patet in his *grande* e *ſtrage*: in medio autem cadentes apte eas in finitimas vocales diſtribuit. In illa reſonat proſodia ſi minus tam varia, quam erat apud veteres Latinos, & maxime apud Græcos, ſaltem ſatis inſignis, quæ eſt fons quidam perpetuæ harmoniæ, dum penultimas ſuorum vocabulorum ſyllabas ſenſibiliter producit aut corripit, & quod ipſi fortaſſe ſoli ex omnibus linguis proprium eſt, quatuor aliquando ſyllabas invicem connexas ita exprimit, ut facta quadam vi in primæ pronunciatione reliquas celerrima quaſi ſaltatione percurrat, quemadmodum manifeſtum eſt in tertiis verborum perſonis, quæ ſint pluralis numeri, ut *terminano modulano*, aliisque compoſitis vocabulis ut in imperativis *mangiatelo bevitelo muoritene*.

786. Adde Italorum indolem intrepidam & generoſam, ingenium promptum & perſpicax, imaginationem vividam & fervidam, jamque habes cauſſas tantæ verborum copiæ efficacitatis elegantiæ & varietatis in ipſorum conformatione, quæ eadem non eſt pro re amabili aut æſtimabili, ac pro odioſa & deteſtabili, pro dura & aſpera, ac pro molli & delicata, pro gravi & ſeria, ac pro jocoſa & ridicula. Quare quasvis ſententias quavis exotica lingua expreſſas totidem opportunis verbis atque ſignificantibus Itali feliciter reddunt, ſuosque conceptus facile promunt tam clare tam ſignificanter, ut non ſolum cognitionem rerum in audientibus producant, ſed animos etiam commoveant, affectus excitent, & liquidam ſemper afferant voluptatem. Videas proinde ipſos artifices ſingulis diebus certis horis & locis inter ſe diuturnos ſermones miſcere ad jucundiſſimam animi & laboris relaxationem. Adde quod pro ingenita huic linguæ harmonia nulla alia ex linguis vivis opportunior eſt ad poeſim, Judice Scipione Maffeio (2) Veronæ nato anno 1675. Kal. Juniis, ibidemque

(1) An, ann. 1762 pag. 433

(2) Ma, Rim. e Proc.

demque mortuo pridie Idus Febr. anni 1755., cujus judicium nemo parvi pendet, utpote hominis. qui teſte Jo. Lamio (1) *Academicorum furfureorum coetui adnumeratus* vulgatis etiam diverſi generis italicis carminibus clariſſimus eſt.

787. Italica certe par eſt ad verſus Latinis ſimiles conficiendos propter pedum diverſitatem, quæ in ſuis vocabulis reperitur. Sentias enim choreum in *venne*, jambum in *farò*, pyrrichium in *fare*, ſpondæum in *ſogno*, dactylum in *torbido*, bacchium in *dolori*, anapeſtum in *amerò*. Quare poteſt habere verſus ad inſtar latinorum, quos Claudius Ptolomæus omni ſtudio promovit, & plures a Tiraboſchio (2) nominatos ad hanc poeſim induxit excolendam. Eſto exemplum hexametri & pentametri in his ejusdem Ptolomæi verſibus.

Ecco il chiaro rio, pien eccolo d'acque ſoavi
Ecco di verdi erbe carca la terra ride,

Nuper quidam Labindus Horatianos odarum verſus imitari conatus eſt. En exemplum in ode ſapphica, quam ex illo referunt Ephemerides Liter. Rom. (3)

Verſan le Driadi del Veſevo ignito
L'uve mature, Satirell caprino
Mentre le calca nel fumoſo tino
Dorme Sileno

At infelix ſane imitatio eſt. Nam dactylus velis nolis reſonat in ſecundo primi verſus pede, qui cum debeat eſſe in tertio, hic certe minus apparet.

788. Phaleucii enim vero a multis jam uſitati tam blande reſonant apud italos poetas, quam apud græcos & latinos. Sed ceteri derelicti jam ſunt, quia propter italicæ diverſam indolem ab illa latinæ & græcæ longe diſtant ab eorum ſuavitate. Ex hac cauſſa fatendum eſt tam græcam quam latinam poeſim in aliqua parte præſtare italicæ. Hæc enim dum terminum invenit ad harmoniam facile ſenſibilem in verſibus hendecasyllabis, illae eam retinent etiam in verſibus ſeptemdecim syllabarum, ut in illo Virgilii *Quadrupedante putrem ſonitu quatit ungula campum*. Hunc tamen italicæ poeſeos defectum cum foenore compenſat ſuavitas naſcens ex verſibus, quos iisdem syllabis poteſt cum velit concludere, & plerunque facit, non quidem ut ſe a proſa ſenſibiliter diſcernat; hoc enim præcipue obtinet per accentus, quibus certa ſedes in ſingulis eſt aſſignata: ſed ad majorem carminum venuſtatem, gratioremque aurium delectationem, idque tam feliciter ex ubertate linguæ præſtat, ut veterum latinorum græcorumque poetica opera in italos verſus converſa nata in Italia, non aliunde translata videantur.

789. Itaque gratiſſima facta eſt lectio Homeri in italicos verſus liberos translati ab Abbate Ceſarottio Academico Patavino, quam Stephanus

(1) La. Memor. ital. to.1 ar. Maff.
(2) Ti. Stor. Lett. to.7 p.3 c.3 in fin.
(3) Efe. ann.1786 n.19

Digitized by Google

phanus Arteaga ſummis laudibus extulit per tres ſuper eam editas literas, quarum ſuccum retulerunt Ephemerides Liter. Rom. (1): & illa Iliados liberis pariter verſibus expreſſa ab Hyacintho Ceruti, & typis Taurinenſibus anno 1787 publicata, quam eædem Ephemerides per tres articulos ſub initium anni 1788. celebrarunt: & illa Joſephi Bozzoli, qui tam Iliadam quam Odyſſeam interpretatus eſt per italicas ſtrophas octonis verſibus hendecasyllabis concluſas, in quibus ultimæ voci primi conſonat ultima tertii & quinti, & ultimæ ſecundi illa quarti & ſexti, ſecum vero ultimæ ſeptimi & octavi, quod jam antea effecerat Jo. Baptiſta Tepaldi, qui eodem carminum genere Iliadem edidit Romæ anno 1620., primumque ejusdem poematis librum ſic pariter translatum longe ante typis Venetis anno 1570. vulgaverat Aloyſius Grotto Venetiis mortuus anno 1582, vulgo dictus cæcus Adriæ, quia in hac urbe natus anno 1541. cæcus octavo ab ortu die evaſit: Et juxta Tiraboſchium (2) ejusdem poematis duodecim primos libros circa idem tempus eodem modo verterat Bernardinus Leo Privernas: omnes vero ſic verſos reliquit Nicolaus Franco Romæ ſuspenſus anno 1569. propter ſuas etiam contra Principes ſatyras, ut conſtat ex ejus pleno lituris exemplari, quod in Romana Albanæ domus bibliotheca conſervatur. Ita pariter opera Virgilii, Ovidii, Anacreontis nacta Caros, Anguillaras, Regnieros, Corſinios, Rollios, aliasque nobiles muſas italicas, lectu jucundiſſima ſunt ipſismet Italis græce & latine doctis. Nuper Hieronymus Pompejus, quem natum Veronæ ann. 1731. morbus ſuſtulit violentus anno ætatis ſuæ 57. Ovidii Heroidas tam blandis, & sponte fluentibus carminibus expreſſit, ut Ephemerides Lit. Rom. (3) dicant fore ut in oblivionem veniant, quotquot antea ex aliis Italis poetis habebamus. Atque dum obſervo unum idemque opus horum veterum fuiſſe a pluribus translatum in italica diverſi generis carmina cum plauſu accepta a doctis, propter alacritatem elegantiam, aliasque poeticas dotes, quas ſin minus pares in ſingulis, aliquas certe quidem in omnibus inveniunt, jam ſponte ſeſe offert elogium de ſuavitate & copia italæ linguæ magnificentiſſimum.

790. Dum quæritur unde natum ſit hoc ſtudium concludendi italica carmina ſimili ſono, Fouchetus respondet a Gallis, at gratis id dicit. Sarmiento & Sanchez respondent a Gothis, quibus placuiſſe hunc carminum modum probant eruditi ex iis, quæ eruerunt ex antiquis illorum ſcriptis & monumentis. Immo Lacombe (4) etymologiam italici nominis Rime repetit a *Rune*, nomine inquit, quod Gothi dabant carminibus ſuorum poetarum, qui Runeri ab ipſis vocabantur. At cum video latinos longe ante Gothos cognitos ab Italis meminiſſe de rhythmicis, qui ſcilicet rhythmos amabant, reſpuam neceſſe eſt hanc etymologiam. Adde Gothos

(1) Ef. ann. 1788. n. 9
(2) Ti. Stor. Lett. to. 7. p. 3 l. 3 n. 3 n. 73.
(3) Ef. ann. 1788 n. 5
(4) Lac. Dizi. d. arti. ar, Rime, e ar. Runeri.

Digitized by Google

Gothos in regiones noſtras deſcendentes linguam ſuam in illam populi, quem ſubigebant ſolitos fuiſſe commutare, & arma quidem ac minas, non calamum & elegantiam literarum curabant.

791. Alii respondent, ab iis qui in poeſim latinam invexerunt verſus dictos Leoninos a Leonio Pariſienſi præcipuo illorum auctore. At hic floruit ſæculo duodecimo & quidem exeunte. Quare cum noverimus Latinos, & in his Ciceronem (1) meminiſſe de rhythmicis, non poſſunt attendi. Ex eadem ratione excluduntur, qui eos repetunt ab auctoribus quorumdam carminum, quæ *Sequentiae* & etiam *Prosae* dicuntur, qualis eſt celebris *Dies illa*, auctore inquit Magrius (2) juxta aliquos S. Gregorio, juxta alios S Bernardo, & juxta Bzovium Urſinio aut Fregepanio Cardinalibus, & illi tandem, qui obſervant Arabes ſeu Saracenos ſingulariter amaſſe verſus ſimiliter cadentes, & ab his proinde utpote late dominantibus per multas terrarum regiones hunc guſtum volunt derivatum primo in Hiſpanos, deinde in Narbonenſes, & tandem in Italos, quam ſententiam tenet Jo. Andres (3) poſt Huetium, Maſſicum, & Quadrium, quos citat.

792. Arabes quidem non eſt dubium delectatos fuiſſe de mutuis in fine carminum conſonantiis, dum ſtudia excolebant, ut ad illas facilius obtinendas compoſuerint gloſſaria arabica, quæ etiam nunc in bibliothecis extant, contexta ad inſtar eorum, quæ Ruſcellius, Stiglianus, ac Baruffaldius ad uſum italorum poetarum conſtarunt poſt Peregrinum Moratum, qui juxta Tiraboſchium (4) omnium primus hujus generis librum ex ſolis tamen Dantis ac Petrarchæ carminibus concinnatum Ferrariæ ann. 1528. edidit, & alium Joannis M. Lanfranci Parmenſis Brixiæ anno 1531., & illum Benedicti de Falco Neapolitani, Neapoli 1533., & alium tandem Honuphrii Bonozii Cremonæ anno 1556. publicatum. Sententiam quæ ab Arabiis rhythmos deducit, ex hac credo cauſſa Jo. Andres (5) & tot alii amplexi ſunt. Alii tandem & quidem ſatius cenſent plauſum quo carmina in vulgi lingua propter fortuitos ipſorum rhythmos excipiebantur, illorum uſum ſtabilem reddidiſſe, & certis regulis direxiſſe pro diverſis carminum generibus.

793. Sed redeo ad laudes italæ linguæ ex teſtimonio exterorum. Laudatus ſæpe hiſpanus Hervas ait (6) *hæc lingua una eſt ex perfectioribus Europæ. Non immoror in ejus laudibus, cum nemo ſit qui eius inſigne meritum non agnoscat,* Inferius (7) dolet in magna Italiæ parte neglectam rectam & integram ſuorum vocabulorum pronunciationem, quæ ceteroquin ſatis blanda & facilis eſt, quandoquidem adoleſcentes, qui Romæ ex diverſis

Aſia

(1) Cic. l. 3 de Orat.
(2) Ma. Vocab. Eccl. ar. Proſa.
(3) An. Orig. d'ogni let. to. 1 c. 11
(4) Ti. Sto. lett. to 7 p. 3 c. 3 n. 23
(5) An. Orid. Letter. to. 1 c. 11
(6) He. Idea. to. 1 l. 2 c. 8 in nota.
(7) Id. c. 9 §. 4

Digitized by Google

Aſiae & Africæ linguis inſtruuntur in Collegio de propaganda fide obſervavit omnes ſacile pronunciationi italicæ aſſueſcere, etſi alii facilius aliis, ut Copti & Madagaſcarii promptius, quam Æthiopes & Malabarii, & hi melius quam Sinenſes & Tunquinenses.

794. Arteaga Matritenſis ſupra commemoratus (n.689.) mirabiliter captum ſe declarat a linguæ italæ dotibus, quas ſingulares praedicat in libro *Viciſſitudines theatri muſici a ſua origine usque ad hac tempora*, quem Italice Bononię publicavit an. 1783 & Ephemerides L.R.(1) etiam propter ſermonis elegantiam commendant. Aliis omiſſis, quae jam alii in hac lingua laudarunt, ipſe imprimis admiratur (2) abundantiam ſonorum, quae naſcitur ex diverſa pronunciatione, quam ſui alphabeti elementa exigunt pro diverſa illorum inter ſe unione, vel circumſtantiis. Etſi enim haec non ſunt quantum ad nomen & figuram niſi viginti, quantum tamen ad poteſtatem ſunt triginta quatuor ex obſervatione egregii grammatici Buonmatthaei (3). Exemplum hujus augmenti habemus in vocalibus I, E, O, quarum ſingulae apud genuinos italos duobus modis reſonant. Hos grammatici ſignificant diſtinguentes I longum ab I brevi, & E ac O clauſas ab E & O apertis ex dictis (n.38.)

795. Deinde celebrat poſſe eam uti ſine claritatis detrimento aliqua verborum traiectione, quae tantopere confert ad jucundam ſermonis varietatem, ad vitandum occurſum vocabulorum, quae aſperam redderent pronunciationem, & ad eam eligendam ipſorum collocationem, quae auribus gratior accidat. Tandem obſervat nullam ex aliis Europae linguis ab Euterpe artis muſicae arbitra magis amari quam italam, quae propterea facta eſt lingua pro theatris totius Europae. Et merito quia in ſe habet ſingularem harmoniam, ut ejus ſermo facile evadat carmen, & ejus carmina proxima ſint cantui, quemadmodum experimur in dramatis Zeni & Metaſtaſii, quae ita apta ſunt ad cantum ut placeant etiam recitata. Dalembertius quidem hanc quaſi indifferentiam ad cantum & recitationem dramatum italicorum, inter eorum defectus numeravit (4): ſed nemo prudens illi aſſentitur, quin immo non nemo eidem obiiciet ſibi minus conſtare, poſtquam dixit optare ut gallici verſus pro theatro habitum induerent italorum qui rhythmis carent. Otioſum profecto votum, qua linguae gallicae natura ex ratione quam inferius adducam non permittit ut verſus aliter diſtinguantur a proſa, quam per rhythmos, ſecus ac accidit in itala, in qua accentuum certa collocatio pertinet ad uniuscujusque verſus conſtitutionem. Quare rhythmos conſtanter omittit in verſibus pro theatro ex quadam quaſi lege, quam cum violaverit Sfortia Pallavicinus in ſua tragoedia *Hermenegildus*, quam cum adhuc eſſet in Soc. Jeſu tacito nomine publicavit anno 1644. cenſuram doctorum incurrit, nec iis contrarium perſuaſit in diſſertatione, quam praemiſit novae ejusdem

(1) Ef. ann. 1785 n 47
(2) Art. ca. 2
(3) Bn. Ling. toſc. l.1 to.3 c.19
(4) Da. Libert. de la muſiq.

Digitized by Google

dem editioni anni 1655. Quare rhythmi in carminibus pro theatro ſolum audiuntur in cantiunculis interſperſis, quarum auctor dicitur Hyacinthus Andreas Cicognini Florentinus ſaeculo decimo ſeptimo.

796. Ejusdem Arteagae ſunt haec verba (1) *Itala lingua eſt præ ceteris, quæ nunc vigent dulcis nobilis flexibilis harmonica*, quae habet in obſervationibus ad diſſertationem Borſae ſupra (n.689) commemoratis, quas utinam nunquam promulgaſſet, quoniam in iis praeter iniuſtum contemptum Academiarum, quas praecipua Europae regna & illud etiam Hiſpaniae pro linguarum ſuarum incremento & conſervatione inſtituerunt, multas etiam quaſi contumelias in italam linguam congeſſit, a quibus eam diſtinctim vindicabo, poſtquam de quibusdam aliis ejusdem laudatoribus dixero.

797. Itaque Hiſpanorum de lingua Italica ſententiam illa præceſſit plurium Gallorum. In his eſt Henricus Stephanus mortuus anno 1598., nomen celebre non ſolum apud typographos ſed etiam apud eruditos propter ſuum linguæ græcæ theſaurum, opus ceteroqui magna ex parte Roberti patris, ut probat Artignius apud Franciſcum Ant. Zachariam (2), etſi contra leges honeſtatis, & pietatis id ipſe non dixerit. Hic interea in Gallico libro edito anno 1583. *Duorum dialogorum de nova gallica lingua* profitetur velit nolit eam quammaxime auctam fuiſſe per Italos, qui frequentes in gallia fuerunt ſub Carolo VIII. Ludovico XII. Franciſco I. & Henrico II. Eſt Philippus Deſportes clariſſimus inter Gallos poetas, Henrico III. acceptiſſimus, mortuus anno 1616. ætatis ſuæ 61., qui Italos auctores ita amavit, ut ipſos ſibi propoſuerit imitandos quemadmodum neſcio quis manifeſtum fecit, qui ut refert Muratorius (3) librum edidit, cujus titulus Latine ad verbum ex Italico eſt, *Conformitas Muſarum Italicarum & Gallicarum*, poſita Gallica Deſportes verſione vel imitatione e regione carminum italicorum, nequicquam volens ipſius honori detrahere, quem revera auxit, tum quia plagiarii non ſunt, qui interpretis aut imitatoris perſonam, & multo minus qui illam etiam poetæ ſimul ſuſtinent, tum quia Deſportes ingenio non minus quam ingenuitate nobilis, viſo hoc libro inquit ſi noſſem editoris conſilium alia communicaſſem ipſi ignota, quæ ab Italis deſumpſi.

798. Eſt Auctor libri pariter gallici, qui prodiit anno 1678. *De cognitione bonorum librorum*, qui capite quarto idem repetit ac Stephanus. Sunt Ægidius Menagius mortuus anno 1692. ætatis 79., & Franciſcus Regnerius qui obiit anno 1713., completo jam anno vitae ſuae octogeſimo primo, quos inter ſuos Academicos recenſuit Academia linguæ Etruſcæ propter ſummam, quam ambo habuerunt hujus peritiam, & ſingularem in eam amorem, quorum utrunque propalam eſt in multis quæ Italice ſcripta reliquerunt. Carmina quidem Regnierii, quibus etruſca fecit

(1) Ar. Oſſer. A pag.99
(2) Za. Sagg. critic. to.2 n.22
(3) Mu. Perf. Poeſ. l. 1 c.3

Digitized by Google

in conjunctione *e*, quam itali ſumpſerunt ab *&* Latinorum. Non memini de oratione in laudem hujus linguæ Alberti Lolii docti hominis Florentiæ nati, & Ferrariæ mortui anno 1569. quia licet non ſemel edita, eam non vidi.

Articulus III.

Vindiciæ linguæ Italæ.

§ 804. Arteaga ſtatuam, quam in honorem linguæ Italæ quodammodo erexerat ſuis jam relatis in ipſam elogiis, totam deinde comminuit, & in auras diſperſit, dum in citatis ſupra (n.689) obſervationibus ex profeſſo conatus eſt oſtendere ejus dotes nullum adhuc habuiſſe uſum niſi in poeſi, in qua dat haberi plures inſignes, ſed nullum in ſoluta oratione invenit, cui ex eruditorum conſenſu fuerit hoc attributum conceſſum. Ipſo judice adhuc deſiderantur auctores inſignes in epiſtolis, in dialogis, in tractatibus philoſophicis, in hiſtoria literaria, in libris qui prompto quodam & conſtanti modo affectus commoveant, & in iis qui mentem defigant in ſublimi cogitandi ratione, & in aliis literaturæ generibus. Atque hujus defectus ſeu ignominiæ cauſſam repetit a nimietate præceptorum circa uſum linguæ, & ab horrore immodico cujusvis dicendi formæ, quæ non ſit uſu confirmata, & præpoſtera ſollicitudine ſectandi harmoniam, quæ alacritatem imaginationis retundit, & a paucitate vocabulorum, quæ facile concluditur tum ex celebri dictionario Academiæ pro lingua italica, vulgo *della Cruſca*, a quo ſi detrahas obſoletas voces, ſatis imminuas ipſius voluminum molem, tum ex verſionibus auctorum magis inſignium ut Homeri, Pindari, Taciti, Miltoni, quæ tales ſunt, ut jure dicas eos nondum eſſe italice redditos.

805. Qui advertat Italicæ linguæ uſum in poeſi exiſtimatum ab eo eſſe dignum laude, cum apud eumdem legit nullos alterius linguæ auctores adhuc haberi feliciter redditos per hanc linguam, quæ pleroſque poetas tam græcos quam latinos vel alterius cujuscunque linguæ italis expreſſit carminibus, concludat neceſſe eſt laudes ab eo datas italae poeſi ad eam ſolum pertinere quae non ſit carminum, quae ex alia lingua in italam fuerint tranſlata, ut Areoſti & Taſſi, quos Janus Nicius Erythraeus (1) *Homero Virgilioque non inferiores* dixit, idemque viſi ſunt ſentire, qui Taſſi Jeruſalem nuper per hexametra latinam fecerunt & publicarunt Dominicus Zanni Cremonae anno 1743., & Balthaſar Framaglia Auguſtae Taurinorum anno 1787. Certe ipſe loquens de graeco Homero facto italo per Ceſarottium amicum ſuum (n.78.) profitetur in eo

(1) Ja. Vit. Bapt. Guarini.

eo ſolum ſe deprehendere *eam ſtili vim*, *dexteritatem & carminum pangendorum peritiam*, quæ requiritur ad opportunam hujus poetæ in verſus Italos translationem. Verba quibus libere hanc ſuam imaginationem declarat, habentur apud Ephemerides Lit. Rom. (1), quæ monent in eo articulo, quæ de hac Arteagae opinione exhibent, *ne unum quidem verbum haberi*, *quod ipſius non ſit*.

Interea qui noverit præter has literas fuiſſe ab eo jam antea librum (n.62) *de viciſſitudinibus theatri* (n.798.) italice perſcriptum ſoluta oratione, dicet imprudenti conſilio id ab eo factum in lingua, quam opus eſt ſtatuat imparem eſſe ad proſaicas lucubrationes dignas laude, qui affirmat nullum adhuc habuiſſe in hoc genere ſcriptorem laudabilem. Sed quoniam ab hac imprudentiæ nota ſe liberabit dicens italica proſa uſum fuiſſe, quia in Italia ſcribebat, quæ huic ſtilo jam eſt aſſueta, equidem nihil huic reſponſioni reponam, ſed rogabo quonam modo plures ſint ipſo fatente egregii & admirabiles poetæ in lingua italica, in qua quotquot non poetice ſcripſerunt, vidit propter inopiam etiam verborum humi quodammodo ſerpere. Poeta qui dignus ſit admiratione debet animos legentium erigere, commovere, & in omnem quam velit partem ſtatim inflectere. Quis autem hæc obtineat per linguam, in qua non ſit ea verborum copia, quæ prompte exhibeat vocabula, ſine quibus cogitationes ſublimes & ſingulares non ſignificantur, nec ſubitae ac vehementes affectiones excitantur? Quam prompte hæc in italica lingua occurrant, demonſtratur ex tot italis poetis extemporalibus, qui identidem exiſtunt in permultis Italiae civitatibus, ubi ſtudium hujus linguæ viget apud cultos cives, qui forte habeant vulgarem ſatis corruptam. In illis certe Etruriæ hi frequentiſſimi ſunt. Sanſevetinus in epiſtola ad Foncelum, quæ extat in primo volumine *de Indole Italæ literaturæ* aliqua eorum exempla admiratur in Senenſibus etiam ruralibus. Jo. Lamius multos nominat qui ſuo tempore Florentiæ ex hac etiam parte celebrabantur, atque hic inquit (2) *qui ſubito impetu elegantia carmina effundant paſſim occurrunt*, *Hic pueri*, *feminæ*, *viri cuiuscunque conditionis verſus non ſpernendos fundere vulgo audiuntur*: & inferius diſtinctim meminit de ruſtica puella in ſuburbano agro Florentino commorante, quam cum Violantes Etruriæ princeps voluiſſet audire (3) *adeo cum tota regia familia admirata fuit*, *ut illico a ruſticis operibus avocatam inter ſuas cubicularias ancillas cooptaverit*, *& literas inſuper docendam ac vocalia organa pulſandi peritia inſtruendam curaverit*; & cum voluerit ipſam eſſe in numeroſo comitatu, quo Romam venit ſub Benedicto XIII. anno jubilaei, Arcadum coetui ſub nomine Florae adſcripta fuit *ſui extemporalis cantus praemium*.

806. Quoniam tamen pro ſua contra linguam italam philippica provocat

(1) Ef. ann. 1788 n. XI.
(2) La. Mem. Ital. to. 1 ar. Mozzius.
(3) Ibid. ar. Violantes pag. 138

vocat ad gloſſarium Academiæ, quod de illa habemus, hoc aſſumens conſulo præmiſſum in eo catalogum auctorum, quos ipſa probavit, in quo multos invenio, qui quovis tempore italicas proſas in omni genere ſcripſerunt commendantiſſimas: In genere interpretationis neſcio quis non laudet Bembum, Davanzatum, Bernardum & Petrum Segni, & Angelum Firenzuolam, aliosque veteres, & inter recentiores Hieronymum Pompejum ſupra (n 789.) laudatum, ut ex his aliquem nominem, qui mihi ſponte nunc occurrit remota omni meditatione. Vitas ille Plutarchi ex græcis italicas factas jam olim edidit ſtilo tam fluido purgato gravi ac eleganti, ut in his ſolum commemorandis elogium invidia dignum habeatur, inquit Cl. Hipolitus Pindemonte in elogio, quod de ipſo contexuit, inſerto in Anthologiam Romanam (1).

In philoſophico, quam inſignes ſunt ex omnium conſenſu Galilaeus, Redius, Magalottus, de quorum vita & ſcriptis novi identidem laudatores erumpunt, teſte Pompilio Pozzetti Cl. Reg. Sch. Piar. qui anno 1787. elogium de Magalotto laudatum in romanis Ephemeridibus (2) publicavit. Noſtra ætate quis ignorat quantam conſequutus ſit gloriam in hac etiam linea Franciſcus Algarotti Venetus? De illo auctores *Excerpti* Bernenſis (3) dicunt, *quicquid ad eius manus venit, utut aridum, utut spinosum ſermonis italici leporibus venuſtatibus & gratiis mirum in modum ornatum prodit*, ejusque tractatus philoſophicos anonymus in libro (n.475) *de indole italæ literaturæ* (4) dixit perſcriptos eſſe modo conſtanter docto ſplendido amabili, etſi in Neutonianismo, ſeu dialogis de luce & coloribus & de attractione, non ſemper honeſto, qua fortaſſe de cauſſa hos Roma proſcripſit. In Aſcetico celeberrimi ſunt Jacobus Paſſavanti, & Dominicus Cavalca inter veteres, illos autem qui deinceps usque ad hæc noſtra tempora extiterunt, quis numeret? In Oratorio Joannes Della Caſa, & Paulus Segneri nominati in catalogo Academiæ, omnes ſuſpiciunt, & qui eruditi ſunt, alios norunt perquam multos, in quibus nuper eſt Jo Baptiſta Roberti Beluni nobili genere natus anno 1719, ibique poſt annos 67. mortuus, cui locum inſignem inter literatos diverſi generis, & etiam inter oratores perpetuo conſervabunt, quæ proſtant ipſius lucubrationes, de quibus ſit mentio etiam in Anthologia Romana (5), quæ ſummam quamdam exhibet elogii, quod eo mortuo typis fuit promulgatum.

807. In hiſtorico ſunt Varchius, Vaſarius, Pallavicinus, & hujus temporis famigerati Tiraboſchius, & Andres. In epiſtolari Bembus iterum & Caſa, Ptolomæus, Bonfadius, Caro, quorum aliqui ex ſermonis fluiditate, alii ex copia, alii ex alacritate & alia ſingulis propria dote conſpicui ſunt. Quod ſi ut nonnulli animadverterunt in nullo horum

(1) An. ann. 1788 n.42
(2) Ef. ann. 1788 n.6
(3) Ex. ann.1760 to.1 pag.154
(4) *Genie.* pag. 52
(5) Ant. ann.1787 n.20 & 28

Digitized by Google

horum habentur exempla ſtili omnino familiaris, quis hinc quando vera ſit hæc animadverſio, inferat linguam italam non eſſe aptam ad familiare commercium, poſtquam multi cum Carolo V. (n.498) natam putant ad loquendum cum feminis. Deinde ratio cur non abundet hoc genus epiſtolarum eſt, eas non ſolere conſervari, aut publicari. Sed magnus tandem harum numerus productus fuit in epiſtolis familiaribus Laurentii Magalotti, & recentiſſime in epiſtolis Bononienſibus, quæ iterum Venetis typis excuſæ fuerunt anno 1766., quae ſunt Euſtachii Manfredi, Flaminii Scarſelli, Fernandi Chedini, duorum ex familia Fabria, & duorum ex Zanottia, nec potuerunt eſſe omnino ignotae adverſario, qui diu Bononiæ vixit. In Philologico tandem habuimus nuper Cl.Scipionem Maffeium, qui ſex volumina de obſervationibus literariis, Veronam illuſtratam, & alia ita italice ſcripſit, ut celebres Menchenii, Lipſiæ ornamentum, dixerint (1) *eo forſan omnis Europa cultiorem, & elegantiorum literarum peritiorem non habet*, palamque faciunt quanto jure, ut loquar cum Jo. Lamio in ejus elogio (2) *Florentino Academicorum Furfureorum coetui miro omnium conſenſu adnumeratus* fuerit circa principium vertentis ſæculi. Ipſa Diaria literatorum, quæ Nazarium, Zenum, Lamium, Bianconum auctores habent, plerunque laudantur etiam de ſtili elegantia & facilitate, quæ in eorum lectione ſemel incoepta quemvis intelligentem jucunde retinet. Evidens itaque eſt hujuſmodi accuſationum falſitas.

808. Ad illud quod ait de paucitate vocabulorum linguæ italicae, imprimis dico tot eſſe, quot abunde ſufficiunt ad omne ſcriptionis genus cum facilitate, varietate, dignitate, & plauſu complendum, ut plane demonſtrant italæ translationes, quas de uno eodemque opere vel latino vel græco plures fecerunt (n.789.), in quibus evidens eſt easdem auctoris ſententias eſſe per totidem diverſa vocabula expreſſas, quot ſunt illius interpretes. Deinde dico plura eſſe in lingua itala quam in gallica, ut quisque videat, qui præ manibus ſumat dictionaria utriusque linguæ, quæ Annibal Antonini extraxit ab illis, quæ habemus ab Academiis Itala & Galla. Cum autem Gallam adverſarius ſi bene memini, vel certe multi prædicent tamquam parem ad omne genus ſcribendi admirabiliter conficiendum par etiam eſſe poterit Itala, quin parem re ipſa demonſtrant italica opera, quæ in omni diſciplina habemus, & videmus in dies augeri. Dico etiam ad laudem linguæ non pertinere prænimiam vocabulorum copiam; Nam dum mens debeat multitudinem vocabulorum, quibus eædem res explicari poſſunt, advertere & apprehendere, jam negligat neceſſe eſt ipſam rerum copiam agnoſcere, quod eſt cujuscunque linguæ finis. Confirmat hoc quod advertimus receptum communiter axioma, non debet fieri per plura, quod poteſt fieri per pauciora. Confirmat iterum quod videmus obſoleſcere in linguis vocabula mere ſynonima. Certe vix aliqui reperientur inter Arabes hujus temporis, qui noverint

(1) Me. Bibl. viror. illuſt.

(2) La. Memorab.Ital pag.253

Digitized by Google

verint tot illa nomina, quæ eorum lingua ut referunt Magalottus ex auctore quem citat (1) & Finettius (2) habet pro quibusdam rebus frequentioris apud ipſos uſus, ut ſeptuaginta pro lapide, octoginta pro melle, ducenta pro lacte, quadringenta pro magnete, quingenta pro leone, ſexcenta pro camelo, & mille pro gladio.

809. Præterea dico copiam linguarum non conſiſtere in ſola diverſarum dictionum multitudine, ſed in variis etiam modis efferendi eumdem conceptum, in quo Auctor gallus paulo ante (n.806.) laudatus obſervat cum Algarotto linguam italam, præſtare Gallicæ. Exemplo ſit, inquit hæc noſtra loquutio *c' eſt a dire*, latine *ideſt*, cui apud italos plures reſpondent formulæ, *cioe: cioe a dire: è a dire: che è a dire: che è il medeſimo che dire: che è lo ſteſſo a dire: che vale a dire: che tanto è a dire: che importa*, &c. Nonne ſic ille concludit, qui hæc audiat, *dicet eam eſſe inter has linguas differentiam, quæ eſt inter chelim & cymbalum*. Tandem dico, qui de hac paucitate accuſat linguam italam palam facit ipſum non legiſſe propoſitum ipſius Academiæ in conſtructione ſui gloſſarii ab ea declaratum in præmiſſa ad lectores alloquutione ab ipſa prima editione, & repetitum etſi per alia verba etiam in ultima, ſcilicet ſe exhibere verba uſus communis apud Italos caſtigate loquentes, & propterea omiſiſſe nomina provinciarum urbium & ſimilium quæ ad geographiam pertinent, eorumque quæ ab his derivantur, & parce admodum protuliſſe quæ pauci adhibent, cujuſmodi ſunt, quæ artes earumque inſtrumenta reſpiciunt, utpote quæ non ſolum uſus communis non ſunt, ſed etiam quia (3) *ſingula hæc requirunt lexicon proprium, quod olim forte in italica lingua non deſiderabitur*. Quare animos quodammodo addit iis qui velint hanc meſſem colligere & producere, quæ copioſa profecto eſt. Nam Antonius Franciſcus Doni homo maxime eruditus, ſed ſatis etiam cerebroſus, ut Tiraboſchius (4) oſtendit, & ipſemet de ſe loquens in ſua Bibliotheca (5) jam perſuaſerat, Florentiæ natus circa annum 1513., ſuæque ætatis ſexageſimo primo mortuus in monte Silicis oppido ditionis Patavinæ, narrat (6) Joannem Norchiati ante dimidium ſæculi decimi ſexti Florentiæ defunctum, ubi a puero vixit relicto natali oppido Bonitii Senas inter & Florentiam poſito, habuiſſe in promptu nomina plusquam decem mille, quibus Florentini ſingula artium inſtrumenta, ipſorumque operationes appellant, ab ipſiſmet artificibus collecta, quos eorum officinas perluſtrans ſtudioſe interrogabat, quæ ad amplitudinem linguæ etruſcæ demonſtrandam volebat publici juris facere data ſingulorum imagine, uſuque expoſito, ac materia ex qua conſtant. Sed mors ſublimi huic cogitationi interceſſit.

810. Omiſ.

(1) Ma. Lett. ſcient. 20
(2) Fi. Ling. ebra. ſe. 7 n. 3
(3) Vocab. d. Crus. edit. 1729
(4) Ti. Stor. to. 7 p. 2 l. 3
(5) Do. Libraria. p. 1 ar. Ant. Fr. Doni.
(6) Ibid. ar. Gio. Norch.

Digitized by Google

810. Omiſſas pariter dicit Academia dictiones communiter uſitatas, quas nondum reperit in auctoribus, quorum exempla voluit eſſe tamquam ſuffragium ad eas in ſuum codicem transferendas; quod credit facturos poſteros, qui eas invenerint vel in iisdem bonis auctoribus, vel in aliis quos bonis deinceps adſcripſerint. Proinde nullam ex his improbat, nec quemquam condemnat, qui ipſis utatur. In ipſis verbis dicit ſe conſiderare & diſtinctim explicare multiplicem ſignificationem, quam plura habent, prout cum aliis conjungantur, vel diverſo modo pronuncientur. Sunt enim inquit ſoni noſtræ pronunciationis plures numero quam ſint characteres, & proinde quod erat unum verbum, jam evaſit multiplex.

811. Præterea loquens de verbalibus, de participiis, de nominibus quæ quid vel ſuper omnia extollunt vel augent vel minuunt, vel alio modo ex una deducunt voce, obſervat facultatem procudendi hac via magnam novarum dictionum copiam, quas proinde jam approbavit, pertinere ad quamdam italæ linguæ dotem, quam græca & latina vix habent. Certe grammatici apud Joannem Marchellum in *indice critico vocum vitandarum* in lingua latina, Mediolani impreſſo anno 1753. unanimes reprehenderunt M. Antonium Flaminium emendatæ ceteroqui latinitatis ſtudioſiſſimum de barbarismo in vocibus lucidulum & plantula: Subluſtre inquiunt dixerunt Latini quod ſit aliquantum lucidum, & herbam vel fruticem quæ ſit parva planta. Fortaſſe tamen etiam Latini abundarunt ſaltem diminutivis, quæ ad nos non pervenerunt tot illorum deperditis libris; in iis enim quæ de ſolo Catullo ſuperſunt, multa habemus, ut turgidulus, ocellus, medullula, auricilla, pellucidulus, quo Flaminius potuiſſet luciduli cenſores aliquo modo retundere, lepidule eſt Plauti, lepuſculus & putidiuſculus eſt Ciceronis, putidulus Martialis, & Loquaculus Lucretii. Vult autem Academia, ut Itali, qui ea facultate utuntur creandi novas dictiones, noverint non unam eamdemque regulam eſſe pro omnibus, adeoque jubet conſulere leges quas de hac re multi jam probati grammatici accurate expoſuerunt.

812. Eadem advertit convenire italicæ linguæ quod in aliis quibusdam obſervatur ex infinitis facere ope articuli totidem nomina, & ex una voce alias derivare, quæ rei, quam hæ voces ſignificant, peculiarem affectionem exhibeant, in quo habetur fons novorum verborum, quæ jam probat. Eadem monet in auctoribus primæ notæ, quoniam non habuerunt opportunitatem loquendi de omnibus, fruſtra omnia verba requiri, & conſulendos inferioris temporis bonos ſcriptores, ex quibus multa ejus exemplo licet eruere. Hæc exempla perſpicua ſunt in editionibus ſui operis, quæ deinceps ejusdem ſtudio prodierunt, in quibus perquam multa videas, quæ non erant in antecedentibus, & ex quibus quisque intelligit non ſolum nullibi ſancitum ab ea eſſe nulla in poſterum addenda eſſe vocabula, immo omnino velle ut hoc a ſuis academicis deinceps

 fiat.

Digitized by Google

fiat. In ipſo hujus operis initio advertit auctores quos tamqaam linguæ magiſtros proponit in prolato eorum catalogo non eſſe omnes ejusdem pretii, & unicuique licere cum ratione & prudentia uti aliquibus dicendi modis a ſe nondum extractis, quos in illis invenerit: atque in hoc ipſo catalogo iterum iterumque edito novi reperiuntur ſcriptores, qui in aliis non legebantur, ut evidens ſit, Italos cum citata Academia (1) ſibi optimo jure gratulari de copia ſuæ linguæ majori quam habuerit græca & latina, & cæcitatis cujusdam ſpeciem eſſe paucitatem illi obiicere, & inter ludibria depravatæ imaginationis eſſe limites, quos in uſu verborum quis credat præſcriptos a lexicis hujus Academiæ & aliarum, quæ deinde fuerunt ad ejus imitationem excitatæ.

ARTICULUS IV.

De laudibus attributis linguæ Gallicæ.

813. GAllicam linguam auctor libri gallice editi anno 1688. *Novæ observationes in linguam Gallicam* obſervat nemine ut arbitror contradicente eam obtinuiſſe jam vel quodam ut ita dicam fato, vel ſuomet merito quaſi imperium non ſolum ſupra omnes linguas, ſed etiam ſupra omnes nationes. Eadem appellatur lingua univerſalis in præfatione ad gallicos Annales typographicos alias commemoratos. Hanc ipſi laudem Academia Berolinenſis apud Ephemerides Lit. Rom. (2) quodammodo nuper decrevit eſſe ſine controverſia, dum præmio affecit diſſertationem, quæ attulit pro cauſſa, quæ gallicam linguam reddit univerſalem, intrinſecas ipſius dotes in quæſtione, quam de hac inveſtigatione ipſa Academia propoſuerat

814. Eamdem laudem uſque a ſæculo decimo tertio ipſi tribuerunt Itali, adeoque quando adhuc gallica erat ſatis informis; Nam Brunettus Latini, qui ex dictis (n.198.) obiit anno 1294. ait apud Tiraboſchium (3) gallice ſuum theſaurum ſcripſiſſe, quia tunc in Gallia vivebat, & quia lingua Gallica eſſet *præ ceteris suavis & communis*. Martinus etiam a Canale gallice ſcripſit Chronicon, quod manu ſcriptum extat in Bibliotheca Riccardiana, dicens hac ſe lingua uti, quia *cognita eſt ab aliis per orbem populis, & præ ceteris lectu & auditu ſuavis*. Fontaninus (4) eosdem ſenſus per errorem tribuit Danti; eos enim non ſibi ſed Gallis ipſis tribuit Dantes, qui pro italica totus eſt, ut planum fecit acutus ipſius cenſor Marchio Maffeius (5).

815. Alios italos ejusdem ſæculi linguæ gallicæ cultores commemorat Tiraboſchius (6), qui hunc in illis amorem natum credit a commercio

(1) Ac. Vocab. pref. 1729
(2) Ef. ann. 1785 n.4 ar. Roma.
(3) Ti. Stor. lett. to.4 c.5 n.22
(4) Fo. Eloq. Ital. l.1 c.10
(5) Ma. Oſſer. lett. to.2
(6) Ti. Stor. lett. to.4 l 3 c.2 n.7

cio cum Gallis, quando ſub Corolo Andegavenſi potiti regno Neapolitano anno 1266., etiam in Etruria potentes fuerunt. Noſtra certe ætate videmus illam evaſiſſe linguam aulicam præſertim apud principes boreales ejusque ſtudium pertinere jam apud quasvis cultas gentes ad ingenuam educationem ex ea etiam ratione, quod tantam in hac lingua habemus copiam librorum de quibusvis diſciplinis, ut Auctor hiſtoriæ literariæ Italiæ (1) dixerit ei locum eſſe inter linguas doctas, nec poſſe ad magnam ſcientiæ gloriam adſpirare, qui eam non intelligat.

816. Hiſpanus etiam Feijoo inquit (2) ad Logicam, Metaphyſicam, Theologiam ſcholaſticam & moralem ſufficit Latina lingua, ſed qui cognitionum ſuarum ſphæram nolit his limitibus contineri *neceſſe omnino eſt linguam gallicam ediscat*, quæ brevi illum erudiet in hiſtoria ſacra & profana per Dictionarium Morerii, in omnibus philoſophiæ naturalis & experimentalis partibus per monumenta Academiæ Scient. Pariſien., in theologia dogmatica ad noſtra tempora accomodata per hiſtoriam *de variationibus hæreticarum eccleſiarum, & per expoſitionem doctrinæ catholicæ in rebus controverſis* Jacobi Boſſueti, & in omni demum diſciplina per egregios in gallica lingua præceptores. Quæ cum indubitata ſint, falſum conſequenter eſt, quod alius Hiſpanus Antonius Vila (3) nuper cenſuit, magnum detrimentum allatum eſſe non ſolum cuivis arti & ſcientiæ, ſed etiam moribus a conſuetudine, quæ jam invaluit de his agendi lingua propria cujusvis gentis.

817. Nulla autem ſunt omnia argumenta, quibus gallica lingua in ſeptimo Bibliothecæ univerſalis volumine de verborum paucitate accuſatur. Fortaſſe auctor hoc dixit habens præ oculis gallicæ linguæ lexicon, quod gracilius eſt illis quæ de multis linguis circumferuntur. Sed hujusmodi paucitas, quæ comparativa dici poteſt, redundat in laudem ipſius linguæ, quæ via faciliori conſequitur omnium linguarum finem, communicationem quarumvis idearum, animaeque affectionum. In quo equidem video unam ex cauſſis, quare tam late gallica lingua diffuſa ſit. Ejus enim vocabula quamvis longe pauciora arabicis graecis ſinenſibus non ſolum aptiſſima ſunt ad omne humanum commercium, ſed paria ſunt ad omnes diſciplinas pertractandas, & ad omne compoſitionis genus, quod aliæ quaevis linguae dicantur egregie exequi, præterquam illud ſeverioris poeſeos, ut paullo poſt dicam.

818. Franciſcus quidem Charpentier mortuus anno 1702. hanc circa poeſim exceptionem non habet ſi bene memini in ſuo libro de linguæ gallicae excellentia, ſed eam, quae hanc linguam excludit ab inſcriptionibus pro publicis monumentis, quas credidit non poſſe fieri niſi latine, non jam quia lingua latina habet ubique qui eam intelligant, ſed quia ſtilus inſcriptionum poſtulat ſigla ex quadam conſuetudine, quae eſt plusquam incom-

(1) Sto. to.3 l. 2 c.8 n.2

(2) Fe. Teatro. to. 1 diſ.15 n.10

(3) Vi. Dign. lin. lat. Ferrariæ 1783

incommoda in lingua gallica & alia quacunque. Sed haec ratio laborat falſa ex dictis (n.269.) ſuppoſitione de neceſſitate ſiglorum : & ea etiam admiſſa propoſitum non evincere oſtendit jam Tremblaius (1) ; Nam quis vetat ſigla adhibere etiam in inſcriptionibus cujuscunque linguæ ? Equidem vidi Liburni Heterodoxorum & Hebræorum diſtincta ſepulchreta abundare inſcriptionibus in lingua ſingulis gentibus propria inſculptis, nec dubito in permultis quæ ibi ſunt pro Hebræis haberi ſigla quæ poſt nomen defuncti ſolent legi TNTzBTzH, hoc eſt redditis latine hebraicis verbis, quæ videſis apud Finettium (2), *ſit anima eius inclusa in fasciculo vitæ*.

819. In laudatoribus linguæ gallicæ mentionem faciam de Carolo Perrault mortuo anno 1703. ætatis ſuæ 70., qui ut ſuadeat antiquis ſcriptoribus præſtare recentiores, ſola Gallorum exempla affert in quatuor voluminibus, quibus hanc comparationem inſtituit. Extat etiam alter gallicus liber *admodum rarus* inquit Tremblaius (3) *De præſtantia gallicæ linguæ ſupra latinam* auctore Laboureur, in quo tamen omnium reprehenſionem incurrit, dum ipſam poeſim gallicam latinæ & græcæ prætulit, propterea quod ſemper bini gallici verſus ſimiliter cadunt poſt certum in ſingulis syllabarum numerum, quam harmoniam Latini & Græci non curant, ſed illam ſolum ipſo judice minoris pretii, quæ ex proſodia naſcitur, adeoque laudi ducit quod ſui etiam ut inferius dicam pro imperfectione habent. De hoc auctore fortaſſe loquutus fuit Abrahamus Amelot mortuus anno 1706. ætatis ſuæ 72., quando in gallica Taciti interpretatione de hac opinione mentionem faciens credit eam manifeſtæ abſurditatis condemnari ab ipſa origine linguæ gallicæ a latina, quaſi vero filii nequeant evadere parentibus perfectiores. Hujus Laborarii veſtigia ſequutus deinde fuit Dominicus Bouhours, de quo jam dicam, qui de linguæ gallicæ excellentia ſupra reliquas omnes hujus temporis, & ſignate ſupra latinam & italicam copioſe ſcripſit, cujus tamen plura argumenta oppoſitum potius concludunt, ut jam advertit Muratorius in eorum examine (4), & copioſius Antoninus (5), & vehementius Stephanus Arteaga (6), cujusmodi eſt carere Gallos vocabulis, quæ unico verbo rem minuant, & augeant, vel extollant & laudent, vel deprimant & vituperent.

820. Igitur Bouhours Gallicæ linguæ cultor celebris, ejusque ſicuti & gentis ſuæ perditus amator, Pariſiis mortuus anno 1702. ætatis 75. ſupra Latinam maxime & Italicam linguam extollit Gallicam quia longe abeſt a vitio quod grammatici vocant ſynchiſim vel hyperbaton, cum orationis ſtructuram habeat, quæ eſt analoga ordini, quem mens tenet in

(1) Tr. des lang. c.19 pag.140
(2) Fi.Ling. Ebrai. c.1 ſe.2 n.4
(3) Tr. des lang. c.13
(4) Mu. Poeſ. l.3 c.9 & 10
(5) An. Diz. Ital. pref.
(6) Ar. Rivoluz. del teatro. to. 1 c.2 pag.97

Digitized by Google

in productione ſuarum idearum; quæ proinde ab aliis ſtatim comprehenduntur ſine ullo mentis conatu, ſecus ac accidit in Latina, in qua donec ſenſus abſolutus non eſt, mens conceptum nequit efformare. Quæ ſane laus legitima eſt quicquid dicat Moinæus qui licet Gallus hanc ſententiam vehementer reprehendit (1); Nam aliud eſt hujusmodi syntaxim naſci ex defectu diverſitatis vocum maxime in declinatione nominum quæ eſt ipſius verior cauſſa, quam diverſa duarum nationum indoles, ut volunt Trevoltiani (2): aliud vero eſt illam non eſſe vel potiorem vel ſaltem æque æſtimabilem alia magis exquiſita, quam facile ſequuntur Lingua Latina, aliæque, quæ quoniam eo defectu non laborant, hoc artificio naturam perficiunt, quam aliunde per artem poſſe perfici pomaria demonſtrant, quando naturalem quis credat idearum ſignificationem ſecundum ordinem quo ideæ generantur. Limites hujus laudis transgreſſus eſt Tremblajus, dum eam usque adeo exaggeravit ut non ſolum, quod jam fecerat Laboureur, omnes Latinos (3) vocaverit corruptores linguæ per ſuas verborum perpetuas trajectiones, ſed etiam quod ipſi proprium eſt, inimicum ſe declaraverit (4) carminibus græcis latinis gallicis & cujusvis linguæ, quia videtur ſibi videre ab omnibus vim inferri operationibus mentis & corrumpi linguarum naturam, quoniam dum opus eſt numeris ſervire aliisque quæ carminum conſtructio poſtulat, jam conceptus mentis nequeunt excitari & multo minus declarari cum eo plano & aperto ordine, quo alias producuntur & exponuntur.

821. Alter Gallus a quo habemus libros inſcriptos *Pro & Contra* pene iraſcitur (5) contra illos, qui majorem harmoniam dabant Italis loquentibus quam Gallis. Injuſtam tamen eſſe ex hac parte ipſius lamentationem plane perſuadet Gallicæ linguæ indoles, quæ ut advertit Muratorius (6) ultimas syllabas vocum quæ deſinant in A, I, O, U accentu afficit, easque in vocibus, quas aliter deſinentes premit in penultima, elidit dum pronunciat. Itaque minus apta eſt ad poeſim, quia pedibus caret diverſi generis, & omnino dactylis. Id Marchio Maffejus in epiſtola ad Voltairem data, quam ſuæ Meropi præmiſit, nuper obſervavit, & jam olim Voſſius, quem, dum Burette apud Eximenum (7) credidit a ſe valide impugnatum objiciendo gallica verba triſyllaba *quantite conſequent*, plane hoſpitem in proſodia ſe declaravit. Ipſimet Galli, ut Des Fontaines (8) fatentur perpetuam ſeriem verſuum, quorum unus eſt Echo alterius in ſua terminatione faſtidium afferre, quod ut minuant miſcent verſus, quorum ultima syllaba premitur accentu, & vocant maſculinos, cum iis qui hunc habent in penultima, & dicunt femininos: ſed tenue remedium eſt, quia in femininis ultima syllaba non pronunciatur, & ita ut

(1) Mo. Orig. des lettr. pref.
(2) Tr. ann. 1727 ar. 86
(3) Tr. Des lang. c. 12
(4) Tr. des lan. c. 19
(5) Pour. to. 2 n 24
(6) Mu. Poes. l. 3 c 9
(7) Ex Muſic. p. 2 l. 3 c 1 n. 3
(8) De Jugem. to. 2 pag. 328

Digitized by Google

ut ajunt muta eſt, ut hi propterea una plus ceteris donentur syllaba.

822. Etiam Voltaire dolet in ſuo de Tragoedia ſermone hanc ineſſe Gallicæ poeſi duram legem, quæ non poſſit abrogari, quicquid in contrarium aliqui ut Tremblaius (1) dixerint vel tentaverint, quos La Combe (2) deridet; Nam ſublato ſimili vocum exitu in hujus linguæ carminibus mera jam proſa habetur, a qua propterea magis diſtant verſus, quorum Echo eſt magis perfecta, quia continetur non ſolum in ultima ipſorum vocali vel diphtongo quæ pronunciantur, ſed in aliqua etiam ipſis prævia conſonanti ut apparet in *Victoire* & H*iſtoire*, P*uiſſance* & *Naiſſance*: Et rurſus minus a proſa diſtant qui ſibi reſpondeant ſolum per ultimam vocalem ſeu dipthongum, ut ſi unus deſinat in *moi*, vel *publique*, & alter in *toi* vel *unique*. Atque hi quos vocant ſufficienter homotonos longe frequentiores ſunt aliis quos abundanter homotonos appellant. Eamdem querelam renovant Petrus Danet in præfatione ſui Gallici Gloſſarii, & alius neſcio quis Gallus apud Bibliothecam univerſalem Clerici (3). Eamdem jam olim expreſſit Franciſcus Malherbe Gallicæ poeſeos quaſi Pater dicens Menagio referente in ſuis ad ejus opera adnotationibus ſuam linguam aptam ſolum eſſe ad leves pro triviis cantilenas, eamque confirmant qui poetas alterius linguæ per proſaicam interpretationem gallice reddiderunt.

823. Hoc modo habemus a Jo. de Goattes poematis Ludovici Arioſti verſionem anno 1543., qui fuit decimus a morte hujus praeclariſſimi poetae, quae iterum impreſſa fuit anno 1545., & 1571., & aliam ſimilem deinde dedit Franciſcus Roſſet, aliam Gabriel Chappuis, & recentius aliam Mirabeavius. Eodem modo celebris Anna Dacier Homerum vertit, & Virgilium Abbas des Fontaines, dolens & ipſe ſub initium interpretationis Georgicorum de indole linguae gallicae minus accomodata poeſi epicae & didaſcalicae, & Jo. Marinus Kervillars elegias Triſtium & de Ponto Ovidii, ſequutus tamen eorum opinionem, qui nolentes palam fateri hanc linguam poeſi eſſe quaſi indocilem, dicunt ſatius eſſe quorumvis poetarum interpretationes ſoluta facere oratione. Sed cum agam de laudibus linguarum, has proſequar omiſſis defectibus quae in ſingulis quis neget poſſe obſervari.

ARTICULUS V.

De laudibus linguæ Hiſpanæ & Luſitanæ.

824. HIſpana lingua ait Academia ipſius conſervationi & incremento praeſidens (4) nulli cedit ex linguis ſtudioſe excultis. Foecunda eſt in ſuis expreſſionibus, nitida & pura in vocabulis, facilis

(1) Tr. des langu. c.19
(2) La Diz. dell' arti. ar. verſo.
(3) Bi. to.7 ann. 1687
(4) Ac. Proleg. Diction.

Digitized by Google

cilis ad uſum communem, gravis pro rebus ſeriis, gratioſa pro feſtivis, & aptiſſima ad agendum de omni arte & ſcientia, & quidem cum quadam aurium jucunditate, quae in multis vocibus ſuperat illam lalinae matris ſuae, quandoquidem frequenter aſperiores literas C & T latinorum commutat in G & D molliores. Itaque latinis dictionibus amicus, lucrum, antiquus, aquila, mutus, pratum, respondent hispana amigo, logro, antiguo, aguila, mudo, prado. Immo Dalembertius (1) eam credit eſſe exemplum linguae harmonicae ſupra omnes, quae nunc vigent propter aptam mixtionem vocalium cum conſonantibus mollioribus & gratioris ſonitus.

825. Arteaga (2) audiens eam accuſari de frequentibus vocabulorum terminationibus in as, os, us, dicit vix tertiam ipſorum partem deſinere per conſonantes, atque ex his ſunt etiam T, D, L, N, R, facilis pronunciationis. Atque ſi in lingua graeca non corrumpitur ejus ſuavitas, quam nemo illi negat per frequentes terminationes verborum in as, es, os, hae temere dicuntur officere ſuavitati hispani ſermonis. Reſtat igitur ut dicantur utrobique eas ipſis linguis qnamdam majeſtatem conciliare. De ejus copia evidens teſtimonium ſunt auctores, qui in hac lingua proſtant in omni diſciplina laudati a Feijoo (3), qui ut hoc confirmaret hispanice ſcripſit *Theatrum criticum universale*, quod per omne ferme genus literaturae excurrit. De eadem aliud inſigne argumentum ſunt quinque fabuloſae narrationes non ita breves eo artificio in hac lingua extenſae, ut in ſingulis fruſtra requiras unam ex quinqne vocalibus vulgo notis, quod in nulla alia lingua factum eſt.

826. Ad poeſim omnis generis aptiſſimam eſſe prout ſunt Latina & Italica quisque videat in mille & tercentis poetis, quot Herva teſte (4) a ſæculo decimo tertio, ſub cujus initium floruit Gonzalus Berceo, auctor poematis in laudem S. Dominici de Silos, usque ad noſtrum decimum octavum numerantur, & in his profert odem ſaphicam verbis hispanis contextam a Stephano de Villegas, qui natus Anagari anno 1595. obiit anno 1669., quæ in italicos etiam verſus elegantiſſimos translata legitur in libro hispanice & italice Romæ impreſſo anno 1786., cujus titulus latine redditus eſt, *Carmina duorum ſupra viginti auctorum hispanorum, qui floruerunt ab anno* 1500. *ad* 1600. auctore Jo. Franciſco Masdeu Barcinonenſi, qui in Italiam cum aliis ſui ordinis, cui adſcriptus erat deportatus, clariſſimus jam erat ex hiſtoria critica Hispaniæ, & ex poemate Vidae de ludo latrunculorum in Italum parnaſſum delato. Luſitanus Emmanuel de Azevedo laudat Emmanuelem de Salinas y Lipſana, & Franciſcum de la Torre, qui (5) *epigrammata Martialis, & Ovvenii & plura alia in hispanum idioma tranſtulerunt, quin aliquid de elegantia vel argutia*

(1) Da. Eſſai ſur l'armon. des lang.
(2) Ar. Rivol. del teat. to. 1 c. 2 pag. 99
(3) Fe. Teatro. to. 1 dis. 15 n. 10
(4) He. Idea. to. 17 n 326
(5) Az. Poet. amphit. Spect 4 n. 18

Digitized by Google

gutia detraxerint, quæ vehementius nuper repetit Cl. Serranus de nova (1) ſelectiorum epigrammatum Martialis verſione a Joanne Iriarte facta.

827. Italus Jo. Baptiſta Conti in *Selectis poematis hiſpanis in etruſca carmina translatis*, quæ proſtant typis impreſſa dicit putare ſe, poſſe vim & majeſtatem linguæ hiſpanæ illam italicæ ſuperare. Alius Italus Fulvius Teſtius de hiſpanis carminibus Lupi de Vega, qui Matriti nobili genere natus obiit anno 1635. ætatis ſuæ 72. poetice dixit, ea adeo placuiſſe Apollini & Muſis, ut ſola in poſterum lingua hiſpana voluerint uti. Fulvii verba apud Serranum (2) hæc ſunt

Ne più di greci accenti
O di latini, e toschi il biondo Arciero
Tempra le corde dell'aurata cetra:
Sol d'Iſpani concenti
Rimbomban Pindo e Cirra

De eadem in gallica Encyclopædia legitur (3), qualis eſt gens hiſpana, talis eſt ejus lingua, quæ conſtat verbis longis quidem, ſed non ſine pulcra proportione, & plenis majeſtate reſonantia & ſignificatione. Angli hiſtoriæ univerſalis auctores (4) in hiſpana inquiunt hujus temporis lingua magis, quam in ceteris Europæ linguis videas virilem quamdam pulcritudinem, robur, & granditatem. Ad commendationem tandem hujus linguæ pertinet illius uſus ab uno quaſi orbis terrarum termino ad alium diffuſus propter amplitudinem hiſpanæ monarchiæ, cui ſubiacet non mediocris pars Europæ, maxima Americae, & aliqua tam in Aſia quam in Africa.

828. De lingua Luſitana eadem prædicari poſſunt ac de Hiſpana. Immo Emmanuel de Faria (5) hanc hiſpanæ præfert non ſolum propter majorem cum Latina ſimilitudinem, quam ex dictis (n.483.) obſervavit, ſed propter majorem etiam pronunciationis ſuavitatem, quoniam ejus vocabula gutturalibus carent, & dulcioribus literis, in quas conſtanter deſinunt, componuntur. Habet qui ſecum ſentiant multos quos citat Luſitanos auctores, in quibus eſt Duarte Nunez de Leon, qui duos libros ſcripſit de ſuæ linguæ origine, quibus nuper concinuit Emman. de Azevedo in elogio patriæ linguæ contexto per verba latina ſimul et luſitana, quod ſupra ex parte (n.480.) retuli: diſtinctim autem Faria laudat ipſius aptitudinem ad omnia argumenta, quæ diverſum poſtulant ſtilum, brevitatem dictionum, harumque copiam; cujus luculentum argumentum ſunt extemporales poetæ ibi frequentiſſimi ex teſtimonio eorum qui ibi nati & exculti diu etiam ibidem vixerunt. De ea idem auctor prædicat etiam pronunciare quod ſcribit, & ſcribere quod pronunciat, quam dotem

(1) Ser. Car. i.2 n.21
(2) Ser. ibidem.
(3) En. ar. Langue.
(4) Sto. to.19 ſe.2 c.11
(5) Fa. Europ. portug. to.3 p.4 c.9 n.22 & 28 edit.2

Digitized by Google

tem ſoli linguæ luſitanæ propriam dicit (1), in quo fallitur; Nam eam habet etiam Itala.

829. Veriores ipſius laudes ſunt, quod lingua commercii dici poſſit, quia ejus uſus non ſolum eſt in Luſitania & Braſilia, ſed in omnibus Europæ, Africæ, & Aſiæ maritimis emporiis. Quare vidi Liguroi hebræorum etiam filios ſtudioſe eam doceri: Et quod ad omne ſcriptionis genus aptitudinem habeat parem aliis linguis quibuscunque, ut teſtantur qui abundant in hac lingua ſcriptores. Laudatus Faria in citato volumine edito anno 1680., ſex paginas majoris moduli implevit de ſolis plerunque nominibus per alphabetum diſpoſitis auctorum anteacti temporis, qui laudem apud omnes jam meruerant, de quibus tunc meminerat dicens ſe relinquere aliis, qui memoria magis valeant eos addere, quorum ipſe non meminit, poſteris vero illos qui tunc vivebant, de quibus conſulto tacebat, quia poſthuma plerunque eſt boni ſcriptoris fama: Et quod flexibilis ſit quantum italica & hispana ad quasvis poeſeos ſpecies, in qua ſatis eſt commemorare Ludovicum de Camoens, quem Masdeu (2) dicit oriundum ex Gallæcia, ſed Uliſippone natum an. 1507., ibique mortuum an. 1579. tam celebrem poetam, ut Torquatus Taſſus ſe determinaverit ad ſtudium hujus linguæ, ut ejus carmina, quæ nemine contradicente idem Faria (3) dixit admirabilia, poſſet prout ab ipſo fuerunt perſcripta perlegere. Nec omittam Franciſcum Roiz Lobo, qui Leiriae natus diverſi generis carmina compoſuit, quorum magnifica impreſſio facta fuit anno 1721., ut lego apud Ladvocatum (4), qui eum appellat Rodriguez, non Roiz, quin de negligentia accuſari poſſit; Nam ipſe Faria modo Roiz (5) modo Rodriguez eum vocat, Ab hoc ipſo philologo repeti poſſunt ex citato proxime loco nomina aliorum poetarum, qui hanc Luſitanæ linguæ dotem ſuis lucubrationibus inſignem fecerunt. In hac quoque lingua fieri poſſunt carmina juxta leges poeſeos latinæ, ſicut vidimus factum in linguis Itala & Hiſpana. Exemplum ſupra (n. 483.) attulimus in elegia latina ſimul & luſitana, aliud in ſola luſitana videſis apud Azevedum (6).

ARTICULUS VI.

De laudibus linguæ Arabicæ.

830. Linguæ arabicæ elogium, qui velit proponere, quod invidiam creet omnibus linguis, adeat Joannem Andres (7) ubi de literatura Arabum diſſerens oſtendit illos per quinque aut ſex ſæcula,

 ſum-

(1) Fa. ibid. n. 27

(2) Ma Poes ſpagn. to. 1

(3) Fa. ibid. c. 9 n 13.

(4) La. Diz, ar. Lobo,

(5) Fa. Europa. to. 3 p. 4 c. 6 & c. 9 n. 27.

(6) Az. Poet. amphit ſpect. 6 n 61

(7) An. Orig. d'ogni lett. to. 1 c. 8

ſumpto initio a nono æræ chriſtianæ, omne diſciplinarum genus in ſua lingua expoſuiſſe, & extat etiam nunc in pluribus Europæ bibliothecis præcipue in illis Hiſpaniæ, quam fere totam Arabes Mauri a ſæculo Chriſti octavo usque ad finem undecimi poſſederunt, immenſa librorum vis, in quibus tum quæ pertinent ad bonas artes, grammaticam poeſim rhetoricam, tum quæ ſeveriores disciplinas reſpiciunt, philoſophiam medicinam aſtronomiam jurisprudentiam hiſtoriam temporum matheſim chronologiam geograhiam hiſtoriam naturalem agriculturam botanicam metallurgiam, & quæ multis harum ſunt adminiſtræ arithmetica algebra trigonometria plana & sphærica, & optica diligenter pertractantur.

831. Quod ipſe ait, cum ante illum dixerint Boerhaave, Haller, Muratorius, Montucla, Baylius, quorum teſtimonia Andres (1) adducit, juvat afferre illud Hiſpani Terreros, qui dicit (2) Arabes cum eſſent Hispaniæ domini *egiſſe de omni ſcientia & arte, & apud illos ſolum de his legi potuiſſe, quæ tunc in nulla alia lingua habebantur. Plusquam ducentos auctores grammaticos de hac & in hac lingua, & multo plures rhetoricos & poeticos ſervamus: In archivio Eccleſiæ* Toletanæ *ſunt plusquam bis mille codices Arabici, & in Monaſterio S. Clementis monialium Ciſtercienſium plusquam quingenti, atque horum omnium maior pars auctores habet chriſtianos religioſos clericos, ipſosque Archiepiſcopos*.

832. Antonius Burriel germanus frater Andreæ ſupra laudati his ſimilia dixit in *Oratione de veteri adoleſcentium inſtitutione apud Hiſpanos revocanda* Matriti impreſſa anno 1755., quam merito ſummis laudibus extulit Matthæus Aymerich in ſuis proluſionibus philoſophicis Barcinone editis an. 1756 (3) quæ inquit manifeſta erunt ex *Bibliotheca Arabico hiſpana, quæ brevi ut ego intelligo, publici iuris fiet a Michaele Caſſiri ſingularis doctrinæ atque humanitatis viro, mihique imprimis benevolentia coniunctio*, prout reapse factum fuit. Terreros deinde idem elogium ſcripſit de Cl. Caſſiro, ſibi pariter noto, qui obiit valde ſenex, cum natus eſſet Tripoli Syriæ civitate nobili, & Romae in Coll. Maronitarum educatus ſub cognomine Gazzir, quod ut novi ab ejus populari erat patrium, ab eo in Caſſirum deinde commutatum. Cum ille Romae in Theologia praeceptorem habuerit Franciſcum de Ravago (n.174.) ſupra laudatum, hic redux Romam a qua ab aliquot annis diſceſſerat, eumdem ibi inventum, qui per eos dies ex Syria advenerat, pro magna æſtimatione de ipſius ingenio & ſtudio in Hiſpaniam deduxit, ubi impetrato ipſi a Rege Ferdinando VI. munere moderatoris regiae bibliothecae locum dedit aggrediendi & perficiendi praeclarum opus de Scriptoribus arabico-hiſpanis, quos addas iis quos Bartholomaeus Herbelot Pariſiis mortuus anno 1695., ubi ante annos ſeptuaginta natus erat, in medium produxit in ſua *Bibliotheca Orientali*.

833. Videri etiam poteſt Anglus Hyde, qui in oratione *de lingua ara-*

(1) An. ibid. c9. (3) Ay. par. 2 prol. 2

(2) Te. Palaeog. pag. 21.

Digitized by Google

arabicæ antiquitate præſtantia & utilitate, inquit, *ſi totius eruditionis cyclum ſive encyclopædiam percurramus, non inveniemus aliquam eius partem, quæ ex lingua arabica inſtrui & ornari non poterit*. In hac ipſi attributa laude cum habeatur quaedam de hujus linguae praeſtantia demonſtratio, eidem addi poteſt illa deſumpta ab inſigni verborum copia, qua poteſt unam eamdemque rem diverſis modis iisque aptiſſimis & venuſtiſſimis ſignificare, & ex qua ſit, ut Arabum carmina dicantur praeſtare graecis & latinis, ita ut Finettius ex aliorum etiam ſententia dixerit (1) apud Arabes poetas Charites Graecorum fieri cariores, & Gratias Latinorum gratiores. Jure etiam ejus antiquitas celebratur, quia quae nunc apud orientales literatos viget, eadem eſt cum illa, quam videmus in libris novem ante ſaeculis ſcriptis, quod de paucis ſane linguis affirmari poteſt, quas aſcendendo ad ſuperiora tempora magis ſemper ac magis informes reperimus, ut nullae fere jam ſint quinto ante nos ſaeculo. Quare in hac laude convenit Arabica cum latina cum graeca, aliisque, quae inter linguas doctas numerantur.

Quod tandem pertinet ad ejus utilitatem hanc perſuadet primo quidem ipſius uſus per magnam Aſiae & Africae partem, ita ut ſubductis rationibus ſubſtantia ut ita dicam hujus linguae ſit plusquam ceterae linguae diffuſa: deinde multitudo librorum qui ex dictis extant in hac lingua, in quibus maximi momenti ſunt, tum translationes arabicae ſacrorum librorum, quae lucem pluribus textus hebraici locis afferre poſſunt ad meliorem ipſius intelligentiam, tum libri in quibus Mahumetanæ religionis ſcelerata dogmata continentur, cujusmodi ſunt Alcoranus & illius commentaria, quæ illis ſolum qui linguam arabicam, in qua ſcripti ſunt poterunt feliciter impugnare in bonum tot gentium quæ illis cæco modo adhærent. Hæc de utilitate hujus linguæ ſicuti etiam aliarum orientalium linguarum egregie perſequutus fuit alias laudatus Finettius Venetus ſcriptor ex Ord. Prædic. doctus eruditus elegans, quem doleo audiens Goritiæ mortuum, poſtquam legi ejusdem tractatum de lingua hebraica eique affinibus, quem eruditis propoſuit tamquam *ſpecimen operis, quod de omnibus huius terræ linguis comparabat*.

Articulus VII.

De laudibus linguæ hebraicæ, græcæ, & latinæ.

834. Hebraicam linguam ſupra omnes extollunt hebræorum doctores, aliique cum his, in quibus eſt M. Antonius Marſilius Columna copioſe de ejus dotibus agens, & pro certo habens (2) *hebraica verba maxima continere myſteria, maximasque in iis occludi virtutes poſtquam quævis literæ, quodque ſignum, immo vero quisque etiam punctus*

(1) Fi. Ling. ebra. c. 1 ſe. 7 n. 5

(2) Col. Hydralogia.

Digitized by Google

ctus aliquid cæleſte & divinum explicat. His ſimilia dixerunt deinde Poſſevinus (1) & Kircher non ſemel. Quæ in hac re agens de Turri Babel dixit, ſupra (n.753.) retuli: alibi autem id credidit (2) ſuaderi per plura hebraica nomina examinata ſecundum Cabaliſtarum artificium, qui diverſos ſenſus ex uno vocabulo eruunt illius elementa transponendo, dividendo, mutando, vel alia illis addendo, vel ab illis detrahendo. Recentius in hujus linguæ laudes effuſus eſt Blaſius Garofalus in ſuis *Conſiderationibus circa Hebræorum Græcorumque poeſim* italice Romæ editis anno 1707., qui illam contendit ſupra ceteras commendabilem eſſe propter vocabulorum elegantiam atque diſpoſitionem: Et Georgius deinde Hiſtmacher pro ejusdem primatu peroravit peculiari diſſertatione edita Jenæ anno 1719., etſi rationibus plusquam infirmis judice Carpovio (3), qui eas examinavit.

835. Græci pro ſua lingua tamquam omnium præſtantiſſima arguunt a copia verborum, quæ in ea abundant pro omni ſcientia & arte, & pro ſingulis rerum cognitionumque generibus, ipſarum adjunctis, quibus afficiantur, & relationibus, quas mens poſſit advertere. Quis inquiunt non videt Græcam linguam ad claritatem ſermonis ſingulos nominum caſus, ſingulasque verborum perſonas diſtinguere per diverſam conformationem? Quis neſcit in ſuis illam tam nominibus quam verbis habere præter alios numeros etiam dualem, & in verbis conjugationem mediam inter activam & paſſivam, & plures modos pluraque tempora quam ſint in aliis linguis? Quis facilitatem non admiratur, qua conflat nova vocabula, quæ plura ſimul unica voce ſignificant utpote compoſita ex pluribus quæ in unam coaleſcunt. Exemplo ſit verbum συμπεριάγω latine una circumduco, quod componitur ex binis præpoſitionibus & uno verbo.

836. Quis ſatis prædicet illius harmoniam? cum in eam confluant ipſius elementa, quæ ſunt I. diverſa quantitas in ſyllabis, quarum illæ breves dicuntur, quæ breviori tempore pronunciantur quam aliæ quae propterea longae appellantur. II. Multitudo accentuum; Etenim præter acutum nobis italis notum habet alios duos nobis omnino ignotos, qui iis non utimur, gravem, qui acuti intenſionem respuit, & circumflexum, qui de acuto & gravi participat, & alios qui proprio carent nomine, per quos antiqui ad ſubitum audientium captum vocales a, ι, y reddebant modo longas modo breves. III. Ea literarum electio & inter ſe colligatio in vocabulorum compoſitione, quæ ſonum reddunt proportionatum rebus ſignificatis, adeoque pro harum qualitatibus robuſtum aut infirmum, aſperum aut ſuavem, clarum aut confuſum. IIII. Abundans varietas in literis & syllabis initialibus verborum, quæ neceſſario ſonum reddunt

(1) Po. Bibl. ſelect. l. di.3 &4

(2) Ki. Oedi. ægyp. to. 2 cla.2 c.1

(3) Ca. Perſ. ling. n.120

reddunt perpetuo novum. V. Multiplex verborum terminatio & quidem per literas auditu jucundas, quales non ſunt binæ vocales, & propterea nomina & verba græca, quæ hoc modo juxta grammaticam deſinerent, contrahi etiam ad libitum poſſunt certis regulis, quas grammatici tradunt in declinationibus nominum contractorum, & in coniugationibus verborum circumflexorum. VI. Mixtio verborum unius aut pauciorum syllabarum cum aliis plurium, quæ tamen ſuo numero ſpiritum pronunciationis non fatigent.

837. Mitto alias hujus linguæ dotes, quibus ipſius ſcriptores gratiam apud doctos ſemper invenerunt, ut Horatius ingenue dixerit (1)

Graiis ingenium, Graiis dedit ore rotundo
Musa loqui

Ipſe Cicero profeſſus fuit (2) *græca legi apud omnes gentes; latina ſuis finibus ſane exiguis contineri*, etſi ita forte tunc loquutus fuit, ut melius cauſſæ quam agebat, inſerviret. Novum de ejus inſigni merito argumentum ſunt vehementes tot auctorum exhortationes ad ejus ſtudium, quod ceteroqui nunquam defuit, etſi uno tempore intenſius quam alio. Videri in hac re poſſunt epiſtola Franciſci Barbari mortui anno 1454. edita a Cardin. Querino, quam magni æſtimat Gradenigus (3): & Marcus Antimacus Mantuæ natus circa annum 1475., & Ferrariæ mortuus ætatis ſuæ anno 79., in oratione de græca literatura, quæ proſtat in ejus operibus Baſileæ impreſſis anno 1540. Et Alexander Politi in oratione, quam novi ipſum publicaſſe de neceſſitate excolendi literas græcas: Et Antonius Vila Hiſpanus in illa *de mirabili ac præclara græcæ linguæ utilitate*, & alia *De Sacro Oratore* per exempla Græcorum Patrum Athanaſii, Baſilii, Nazianzeni, & Chryſoſtomi inſtructo, quarum primam habuit Comacli anno 1783., alteram vero anno 1786., quæ Piſauri in publicam lucem prodierunt tanto ubique plauſu a doctis receptæ juxta Ephemerides Liter. Rom. (4) ut ipſius Rex, cujus juſſu utpote e Soc. J. in exilio vivit ex quadam annua penſione, hanc ipſi duplicaverit.

838. Linguam latinam etſi Cicero dixit ſua ætate longe minus ſparſam, quam græcam, attamen palam græcæ præferebat cum querela græcorum, (5) *Ita ſentio* ſic ille, *& ſæpe diſſerui latinam linguam non modo non inopem, ſed locupletiorem etiam quam græcam*. Quare non dubito Verrinam contra Senecam fuiſſe ſcripturum, ſi hæc in illo legiſſet (6) *Quanta verborum nobis paupertas, immo egeſtas ſit, nunquam magis, quam hodierna die intellexi. Mille res inciderunt, cum forte de Platone loqueremur, quæ nomina deſiderarent, nec haberent: quædam vero cum habuiſſent, faſtidio noſtro perdidiſſent*. Nec adductum hujus egeſtatis argumentum

(1) Ho. de arte.
(2) Ci. pro. Archia.
(3) Gr Rag. ſu la grec. c. 1 pag. 7
(4) Ef. anno 1784 n. 31 & ann. 1787 n. 34
(5) Cic. de Finib. l. 1
(6) Se. Epiſ. 59 l. 8

Digitized by Google

mentum ſedaſſet bilem hominis, qui gloriabatur ſe ſummorum oratorum græcas orationes (1) non ſolum latine reddidiſſe verbis uſitatis, ſed novis etiam & idoneis quædam expreſſiſſe. Utinam græca etiam poemata effeciſſet latina: fortaſſe inter latina verba optimæ notæ haberentur pulchricomus ab Homeri ἠΰκομος, nigroculi ab ἑλίκωπες, aliaque ſimilia compoſita, quæ nunc lego in ſola ad verbum verſione quatuor Iliados librorum Bonaventuræ Giraudeau, quam edidit Rupellæ anno 1755. pro adoleſcentibus græcæ linguæ ſtudioſis. Fuit quidem M. Antonius Flaminius in ſtudio linguæ latinæ nulli ſecundus, qui dum viveret diſerte contendit non eſſe latinis denegandam facultatem græcis conceſſam componendi unam vocem ex duabus latinis. Quare licitum ſibi putavit dicere Pana ſylvipotentem. At Grammatici nullo modo hoc cenſent tolerandum ex rationibus, quas fuſe Marchellus (2) perſequitur.

839. Redeo ad commendationem linguæ latinæ, pro qua plura dabit Ubertus Folieta natus Januae anno circiter 1518., & Romæ credo mortuus anno 1581. in libris *De linguæ latinæ uſu & præſtantia*, propter purum etiam ſermonem celebratis, quem ille in aliis ſuis operibus a Tiraboſchio (3) commemoratis conſtanter adhibuit. Ut aliquam in hanc rem & ego ſymbolam conferam, imprimis obſervo omnes ferme gentes ea uti pro inſcriptionibus in publicis monumentis, quod eſt argumentum inſigne de ejus dignitate ab omnibus cognita, ejuſque ſtudio, quod apud omnes gentes viget. Deinde pro ejusdem gratiſſima harmonia prout ab Italis pronunciatur, teſtimonium habeo omni exceptione majus eorum, quos etſi prorſus ignaros linguæ latinæ ut ſunt ruſtici, non ſemel vidi arrectis auribus, & immotos diutius haerere, ubi latina qnaedam oratio e ſuggeſtu habebatur ad confertam eruditorum multitudinem, vel pro anniverſaria aliqua celebritate. Huic ſimile eſt teſtimonium adoleſcentum ex infima plebe, quos non ſemel Romae obſervavi gradum in via ſuſpendere, dum occurrerent aliquibus, qui utpote ex diverſis nationibus latine inter ſe clariori voce colloquerentur, palam praeſeferentes auditu gratam ſibi eſſe hanc linguam, quam ceteroqui non intelligebant: certe nunquam vidi materiam riſus ſibi eam effeciſſe ludicra ipſius imitatione, quemadmodum ſolent facere dum alias audiunt exoticas linguas. Tandem dico cumulum laudis haberi in immortalitate, quam non vanis conjecturis eidem ſupra (n.646.) ſum auguratus.

A R-

(1) Ci. in Orat. l.1
(2) Ma. Index. critic. pag.17
(3) Ti. Stor. to.7 p.2 l.2

Digitized by Google

Articulus VIII.

De laudibus aliarum linguarum.

840. CAntabrae linguae elogium magnificentiſſimum ſupra jam (n. 404.) retuli ab Herva contextum, & illud etiam Malayae (n.420.) quod confirmat ejusdem uſus late diffuſus per Aſiam & maris indici inſulas. De Germanica inquit Kircherus (1) *ſive copiam ſive elegantiam ſpectes nulli alteri linguæ cedere videtur, idque innumeri auctores, qui omnis generis artes & ſcientias lingua germanica publicæ luci tradiderunt, apprime teſtantur.* Homini in Germania nato conſonat Gallus in praefatione libri alias citati *de indole Italæ literaturæ* dicens (2) *lingua Germanica nobilis eſt & elegans & ex omni parte æſtimabilis.* Ceteris eam anteponit Georgius Halbaverus (3). Atque nequis plus juſto contemnat ejus opinionem legat Aurelium de Georgiis Bertolam Ariminenſem, nunc profeſſorem hiſtoriae univerſalis in Academia Ticinenſi, qui in quorumdam carminum Gesnerii translatione e lingua germanica in italicam nuper edita Neapoli, quam laudarunt Ephemerides Lit. Rom. (4) maxime ipſam celebrat propter inſignem verborum copiam, quam auget ſingularis facilitas conflandi ad inſtar graecorum ex aliis pluribus invicem conjunctis vocibus nova vocabula, quæ dum ſingularum ſignificationem includunt, ea pro novis rebus perquam opportune excogitata eſſe demonſtrant, & propter quamdam ipſorum majeſtatem, cui vim & dignitatem addit eorumdem diſpoſitio, quæ ſine claritatis detrimento ſequitur ordinem non grammaticalem, ſed exquiſitum, qualis tantopere placet in græca & latina, & propter aptiſſimam ad poeſim ipſius conformationem, ut planum eſt ex multis aliis præclaris poetis, in quibus commemorabo Fridericum Gulielmum Zaccariam, cujus quoddam carmen idem Bertola in etruſcos verſus translatum, & Florentiae impreſſum anno 1766., iterum ipſe melius factum pretulit Lucæ anno 1784. in ſecundo volumine italico, *Idea literaturæ germanicæ*, de quo loquuntur Ephemerides Lit. Rom. (5) additis in eo quibusdam epiſtolis ad ſe datis a Tigurino Gesnerio hoc anno 1788., ætatis ſuæ 58. mortuo juxta publicos nuncios Venetos (6), officioſiſſimis, & plenis grati animi ſignificationibus propter famam ſui apud Italos etiam propagatam. De aliis hujus gentis non vulgaribus poetis meminit Anthologia Romana (7). & jam antea anonymus, qui Pariſiis edidit gallice anno 1754. *Diſſertationem de germanica literatura*, de qua videſis ſpecimen (8) exterae literaturae.

841. Lin-

(1) Ki Tur. Babel. l. 4 ſe.3 c. 4
(2) Genie. to 1
(3) Ha. Va. lin. perf. n.11
(4) Efe. ann.1777 n.24
(5) Ef. anno 1786 n. 26
(6) Notitie n. 28 ar. Venezia.
(7) Ant. ann.1777 n.24
(8) Sagg. to.2 ar.59 ſub fin.

841. Linguam Turcicam Hervas (1) teſtatur ejus eſſe pulchritudinis in ſuo artificio, *quæ ſine dubio illud ſuperat, quod eſt in dialectis latinis, teutonicis, celticis, & ſcythicis, quibus tota fere Europa utitur*. Linguam Mexicanam magnis laudibus celebrarunt teſte Clavigero (2) Europæi optimis diſciplinis exculti, & in linguis doctis exercitati, Itali, Galli, Belgæ, Germani, Hiſpani, qui illuc appulerunt evangelizandi gratia, ex quibus aliqui eam græcæ etiam latinæque prætulerunt. Ipſe Clavigerus, qui eam in Mexico natus (n.4.) optime callebat, eique plurium annorum uſu familiaris fuit, profert magnam vim vocabulorum, quibus hæc lingua quosvis altiſſimos numeros exprimit, eaque oppoſuit cuidam de Paw, qui cum nunquam in America fuerit, confidenter affirmavit (3) *in nulla ex ipſius linguis numerationem ultra ternarium extendi*. Sic iſte in ſuis *perquiſitionibus philoſophicis*, quas Berolini gallice ſcripſit ſtilo ſcurrarum, prout moris eſt incredulis, ex quorum grege illum eſſe ipſius impugnator (4) oſtendit.

842. Idem hiſtoricus permultas etiam congerit Mexicanas voces, quæ ideas abſtractas ad Metaphyſicam & Ethicam pertinentes ſignificant, quoniam incredulus Paw poſt Condaminem, qui in America aliis ſtudiis occupatus ſibi commiſſis ab Acad. Scient. Pariſien. hoſpes fuit non incola, dixerat non haberi in ejus linguis & definite in Mexicana & Peruana voces pro notionibus univerſalibus. Sed argumentum quod horum errorem ſtatim demonſtrat eſt copia librorum, qui in hac lingua extant typis impreſſi, maxime de religione & ethica chriſtiana, & diverſorum auctorum de eadem grammaticæ & gloſſaria, & interpretationes aliquorum Sacræ Scripturæ librorum, ut Proverbiorum, & Evangeliorum, quorum auctorum ipſe idem quemdam exhibet catalogum ad eos limitatum, de quibus cum hæc in Italia ſcriberet, potuit reminiſci. Atque hac occaſione ſcriptores etiam celebriores nominat aliarum linguarum, quæ vigent in regno Mexicano, quarum præcipuas ſupra (n.444.) commemoravi. Gilius hæc confirmat dicens non poſſe dubitari de copia linguæ Mexicanæ (5), cum in ea habeantur tractatus politici, oeconomici, mechanici, militares, ſacri, & eruditi.

843. De lingua Guaranenſium apud quos in America Vanthiennen Apoſtolicum munus exercuit, ſcribit (6) *nobilitate & harmonia viſam ſibi nulli inferiorem ex iis, quas in Europa didicerat*

De lingua Tamanaca propria cuidam Americanæ nationis Gilius in ea peritiſſimus dotes prædicat admirabiles, eamque inquit in tomo tertio ſuæ Hiſtoriæ Americanæ (7) *non dubito brevi pulcherrimam evaſuram ſi*

(1) *He.* Idea to.17 n.279
(2) Cl. Stor. del Meſſico. du.6
(3) Pa Recer. p.5 ſe. 5
(4) Cl. Stor to. 4 pref.
(5) Gi. Stor. americ. to.3 append.2 c.2
(6) Va. Lett. edif. Recue. 22 pag. 410.
(7) Gi. append.2 c.6

ſi literati ipſa uterentur; Nam præter numerum ſingularem, habet dualem, & præter pluralem quaſi genericum, habet pluralem determinatum ad eos ſolos, quos quis alloquitur, eoque utitur tam in nominibus quam in verbis ſeu verborum perſonis: habet ſeptem declinationes ſeptemque conjugationes: & in his ſunt præter modos qui reperiuntur in aliis linguis, alii ipſi proprii, ut modus prohibitivus: ſunt etiam particularia eidem tempora, ſcilicet plura ſupra omnes linguas participia, tria futura, præter aoriſtum ad inſtar græcorum & italorum unum præteritum pro tempore proximo puta unius diei, aliud pro remoto duarum aut trium hebdomadum, tertium pro remotiſſimo, quod ſpectat ad annos jam elapſos. De aliis linguis ampliſſimæ hujus orbis terreſtris partis idem affirmat, (1) *Neminem ex Evangelii prædicatoribus ſe noviſſe qui in illis non laudaret vim alacritatem ordinem connexionem & quicquid in melioribus linguis admiramur, pluresque audiviſſe qui eas in nullo dicerent videri ſibi Europæis linguis inferiores*.

ARTICULUS IX.

Objectiones aliquæ.

844. OBiicitur. Scriptum eſt, Israel (2) *cum exiret de terra Ægypti linguam quam non noverat audivit*, h. e. linguam patrum ſuorum, cujus oblitus fuerat in Ægypto, loqui per miraculum iterum coepit: ergo Iſraelitarum lingua ſive fuerit Hebraica ſive Syriaca, quam tanto Deus miraculo conſervatam voluit, habet primatum dignitatis. Reſp. nego allatam interpretationem eſſe legitimam; Quæ enim communiter recepta eſt dicit, Iſraelitas tum audiviſſe vocem Dei in Sinai loquentis nunquam antea auditam, ut veriſſime Calmet (3) jam advertit.

845. Inſtant aliqui apud Creſolium (4). In titulo Crucis lingua Hebraica primum locum obtinuit; Hic enim ex Evangelio Joannis (5) *erat ſcriptus hebraice græce & latine*: ergo Divino etiam teſtimonio omnis primatus convenit linguæ Hebraicæ. Reſp. *Omitt. ans & nego conſeqm.* Sicuti enim ex eo quod Lucas præmiſerit in narratione Linguam Græcam (6) *Erat ſuperſcriptio ſcripta ſuper eum literis græcis latinis & hebraicis*, non ſequitur primatus dignitatis pro Græca, ita neque ſequitur ex illo Ioannis pro Hebraica. Igitur in hac Evangelica hiſtoria nullo modo ordo linguarum ſed ipſæ dumtaxat adhibitae linguae debent attendi.

846. II. Obiicitur. Lingua quæ Majeſtatem quamdam præſefert

Aaa conjun-

(o) Ibid. c;11
(1) Prov. c. 80 v. 5
(3) Ca. Dic. ar. Lingua.
(4) Cr. Myſtag. l.2 c.24
(5) Jo. c.19 v. 20
(6) Lu. c.23 n.38

Digitized by Google

conjunctam cum harmonica longiorum etiam periodorum reſonantia & quaſi magnificentia, ut accidit in Græca & Latina præſtant aliis, quae utraque dote ſint evidenter inferiores ut apparet in Italica & multo magis in Gallica. Hæ enim minus ſunt grandiloquæ, quia minus amant conſonantes, nec poſſunt ſicuti Latini & Græci plures ſenſus ſub una periodo includere mutato obvio verborum ordine, quin quicquam depereat de ſermonis claritate & alacritate, ſed coguntur cuidam quaſi grammaticali & puerili diſpoſitioni inſervire.

Reſp. cum Pallavicino (1) præſtant ea linguæ in hujusmodi particulari dote, *conc.* præſtant in omnibus prout requiritur ad dignitatis primatum, qui majorem vocabulorum copiam & perfectiorem aptitudinem ad communicationem idearum poſtulat, *nego*. Major igitur majeſtas & harmonia quam habent lingua græca & latina ſupra italicam & gallicam abunde compenſatur a majori copia verborum, quæ eſt in his aliisque quae nunc florent; Nam cum haec copia ſit in ratione cognitionum, quis neget eam longe maiorem nunc reperiri apud cultas gentes, quae veterum artes omnes & diſciplinas norunt, & alias præterea ipſis ignotas. Qua ratione Perraultii (n.819.) opinionem de merito majori in recentioribus auctoribus quam in veteribus approbavit Tremblajus (2) obſervans habuiſſe quidem qui illam de abſurditate condemnaverint, neminem vero qui rationes quibus id faceret attulerit. Neque absurda dici poteſt haec opinio, quoniam abſurda non eſt haec quaeſtio, de qua extat dialogus non multis ab hinc annis formis excuſus auctore Benedicto Accolti, qui obiit anno 1466., & celebris eſt ſuis quinque libris de bello chriſtianorum pro Chriſti ſepulcro, quibus uſus fuit Torquatus Taſſus pro ſuo praeclariſſimo poemate.

847. Adde pro ulteriori compenſatione, majorem ſuavitatem, faciliorem que intelligentiam loquentium gallice vel italice, qnia cum hae linguae minus ament conſonantes, facilius pronunciantur, & blandam magis faciunt impreſſionem, & cum brevius concludant ſuos ſenſus per illos, qui illarum indoli ſapienter ſe accommodant, opportuniores ſunt ad expeditam idearum communicationem. Itaque quoniam obſervatur quod quaevis lingna habet aliquod attributum, in quo aliis præſtat, concludam cum Antonio Salvinio in notis ad poeſim Muratorii (3), diſputationem de primatu dignitatis alicujus linguae eſſe omnino importunam.

848. Inſtabat ex dictis (n.848.) Scaliger, *ſumma eſt imperitia italicum hodiernum idioma latino robuſtius dicere*. Respondeo, do quod ait, ſed viciſſim dandum ſummam fore imperitiam latinum idioma italico hodierno robuſtius dicere. Nam ſi ſtatuamus quid ſit robur linguae, planum erit par robur cuivis linguae ineſſe. Equidem dico robur linguae conſiſte-

re.

(1) Pa. Stile c.5 n.11
(2) Tr. des lang. c.21
(3) Mu. l.3 c.10

re in eo quod ſit clara pura nitida ſignificans harmonica. Cum autem claritas reſpuat omnem ambiguitatem, puritas poſtulet ſyntaxim juxta regulas grammaticae, nitor conſiſtat in diſpoſitione ſingnlarum orationis partium, quae ſtatim percipiatur, ſignificantia in opportuna ſingularum rernm deſignatione, harmonia tandem in ea verbotum collocatione quae grata auribus accidat, jam qui negat uni linguae par robur ac alteri, opus eſt oſtendat aliquam ſaltem ex his dotibus in ea deſiderari. Quod fieri non poſſe Tremblajus diſtincte de ſingulis differens (1) demonſtravit.

849. Inſtant iterum. Ex quo lingua latina & graeca factae fuerunt linguae etiam quaſi communes ipſi vulgo in tam multis orbis terrarum regionibns, quas Everardus Brerewod percurrit in *Scrutinio linguarum* Francofurti 1659., non ſolum nunquam penitus perierunt, ſed quovis loco & tempore non pauci illas excoluerunt, quod de nulla alia lingua dici poteſt: Sed hoc probat ipſarum intrinſecum meritum ſupra omnes alias linguas: ergo

Reſp. minorem falſam eſſe. Ratio enim vera, cur prædictæ linguæ nunquam caruerint amatoribus, eſt ex dictis (n. 646.) copia præclariſſimorum auctorum qui extant, ejusque uſus in exercitiis chriſtianæ religionis, quam J. Chriſtus inſtituit, & Apoſtoli promulgarunt eo tempore, quo ambæ late florebant.

PARS VI.

De uſu linguarum in docendo.

850. USus linguarum is eſſe debet, qui reſpondeat fini ipſarum inſtitutionis, communicationi idearum noſtrarum. In ſermone de rebus cuique obviis, quibus ſocialis vita indiget, & quæ proinde brevi verborum circuitu comprehenduntur, facile eſt huic fini ſatisfacere, quoniam nihil aliud requiritur quam adhibere linguam quæ ſit iis quibuscum vivimus communis, At dum agitur de rebus remotis a vulgi cogitationibus uſuque quotidiano & neceſſario, cujusmodi ſunt omnes diſciplinæ, propterea quod hæ multis quodammodo partibus conſtant, quæ ſuomet numero mentem obruunt, nec omnes perſpicuæ ſunt: immo aliæ vix apparent, aliæ vero in aliis omnino latent involutæ, & multis proinde indigent verbis & longo ſermone ut aliis declarentur, non ita facile eſt earum legitimam ideam, quam quis ceteroquin intra ſe habeat in aliis

(1) Tr. des lang. c.10 & ſeq.

Digitized by Google

excitare, niſi obſervatis certis regulis, quas pluribus complectar, quae ſequuntur, diſtinctis propoſitionibus.

PROPOSITIO I.

Verba ignotæ auditoribus ſignificationis non ſunt cum illis adhibenda.

851. PRopoſitio probatur, quia verba eſſe ignotæ ſignificationis idem eſt ac non eſſe ſigna idearum: ergo qui hæc adhibeat alios alloquens, otioſe facit. Urgetur argumentum ab eo quod ſcriptum eſt (1) *Ubi auditus non eſt*, qui ſcilicet ſit perceptio ſenſus verborum, & non ſolius illorum ſtrepitus, *non effundas ſermonem*, & ab eo quod novimus Apoſtolos donatos fuiſſe die Pentecoſtes ſcientia linguarum, cujus doni ſymbolum fuerunt linguæ, quæ (2) *apparuerunt tamquam ignis ſupra ſingulos eorum*, ut poſſent ſuo muneri prædicandi Evangelium omnibus diverſarum linguarum populis, quot terrarum orbem occupant ſatisfacere. Omittendum in hac re non eſt quod S. Auguſtinus maluit antiquatum nomen oſſum renovare apud Afros ſui temporis, omiſſo puro latino vocabulo os, ne illud confunderent cum os, oris, quoniam apud ipſos deperierat pronunciatio per quam Romani unum ab altero diſtinguebant producendo o, dum de ore,& corripiendo dum de oſſe loquerentur (3). *Oſſum*, inquit, *potius quam os dicam, ne iſta syllaba non ab eo quod ſunt oſſa, ſed ab eo quod ſunt ora intelligatur, ubi Afræ aures de correptione vocalium vel productione non iudicant. Quid enim prodeſt loquutionis integritas quam non ſequitur intellectus audientis, cum loquendi omnino nulla ſit cauſſa, ſi quod loquimur non ntelligunt, propter quos ut intelligant loquimur.* Nonne ſimiles hi ſunt iis qui loquantur, ubi nullus cum illis aut circa illos eſt quem alloquantur, quos in mente captis numeramus? Atque ex hac ratione rite concluditur ne ipſos quidem Cælites poſſe nobiscum loqui de bonis caeleſtis beatitudinis; Nam vocabula quæ a nobis in hac vita percipiantur, deſumuntur a rebus quæ vel oculus vidit, vel auris audivit, vel in cor hominis aſcenderunt: atqui ea bona ex veteri & novo Teſtamento (4) non ſunt hujusmodi: ergo ne Caelites quidem poſſunt nobiscum de illis loqui.

C o-

(1) Eccli. c. 32 v.6
(2) Act. c.2 v.3
(3) Au. de doct. chriſ. l. 4 c.10
(4) Iſa. c.64 v.4 & 1 Cor. c.2 v.9

Digitized by Google

Corollarium I.

De fugiendis vocabulis privatis antiquatis & peregrinis .

852. Docti male apud indoctos utuntur verbis , quæ propria ſunt alicujus ſcientiæ aut artis , quæ Tullius privata appellat ; Fit enim ut nihil diſcant qui hæc audiant , Circumloquutione igitur cum his utendum vel tacendum . Hoc Apoſtolus ſic expreſſit (1) , *Vos per linguam niſi manifeſtum ſermonem dederitis , quomodo ſcietur id quod dicitur ? Eritis in aera loquentes . Si ergo neſciero virtutem vocis , ero ei cui loquor barbarus , & qui loquitur mihi barbarus .*

853. Similiter male in ſermone miſcentur verba antiquata vel in ſe vel in quadam ſui ſignificatione . Tædio enim afficitur & brevi diſſipatur concio quæ ignotis aut jam deriſis vocibus audit ſermonis ſenſum obrui . Errant igitur , qui hæc ſtudioſe infarciunt putantes orationem hac via reddi ſuaviorem & illuſtriorem , quaſi vero lumen ac delectatio dimanare poſſint a vocabulis , quæ cum olim exploſa fuerint vel prætermiſſa manifeſtum eſt non placuiſſe . Quamobrem Quintilianus pejus errare cenſuit qui obſoleta vocabula iterum producat , quam qui nova excudat , cum hic non ille poſſit conjicere placitura , & ex hac etiam cauſſa refert (2) communiter reprehenſa opera Salluſtii . Audiant hi qui fuerit in hac re ſenſus Ciceronis , quem nemo non habet pro eximio docendi & dicendi exemplari (3) , *Opera* inquit *danda eſt ut verbis utamur quam uſitatiſſimis & quam maxime aptis ideſt rem declarantibus .* Eidem conſonat effatum Cæſaris *insolens verbum tamquam ſcopulum fugiendum .* Abſit igitur ut quis Latine nunc ſcribat *Donicum* pro *Donec* , *Antihac* pro *Antehac* , aliaque quæ jamdiu jacent in Plauto : aut quis Italice nunc loquens utatur verbis *Cherico* pro *literato* , & *Laico* pro *illiterato* , & *Grammatica* pro *Lingua Latina* , quia in hoc ſenſu hæc olim a primis tuſcanici ſermonis ſcriptoribus fuerunt uſurpata .

854. Male tandem peregrina vocabula permiſceri nulla ſubjecta eorum interpretatione , quoniam inferius oſtendam ex profeſſo , hic ſolum contra illos qui id faciunt commemorabo oppoſitum effatum eximii rhetoris Quintiliani (4) *Oratio cuius ſumma laus eſt perſpicuitas , vitioſa eſt ſi egeat interprete* , & oppoſita exempla auctorum omni exceptione majorum Platonis Xenophontis & Ciceronis , quibus jam olim contra eoſdem uſus fuit Petrus Alcyonius (5) . Itaque Plato ſæpe differens de rebus Mathematicis , quas ab Ægyptiis didicerat , nunquam ipſorum nativis verbis utitur in ſuis dialogis ; nec Xenophon in inſtitutione Cyri unquam pro-

(1) 1. Cor c 14 v 9 & 11
(2) Qu. l 8 c 3
(3) Ci. de Fin. l.4 n.58
(4) Qu. l.1 c 6
(5) Al. de Exilio.

promit Perſicas loquutiones: nec Cicero voluit græce recitare Epicharmi ſententiam Pomponio Attico etſi græcæ linguæ peritiſſimo, quia inquit (1) *ſcis me græce loqui in latino ſermone non plus ſolere quam in græco latine*, quod qui facerent alibi dicit (2) *jure optimo irrideri*. Hoc reapſe facit Apoſtolus Zeno, in tomo tertio Diarii Literatorum Italiæ, qui horum ſic compoſitos ſermones appellat centones monſtroſos, & concinunt Lamindus Pritanius, h. e. Muratorius, qui hos de levitate (3) condemnat, & Maupertuiſius qui in Gallica Oratione *de Officiis Academici* Gallis ſcriptoribus gratulatur, quod nolint unquam eos imitari qui peregrinarum linguarum ſententiis tamquam eruditionis luculentis teſtimoniis ſuas lucubrationes præpoſtere infarciunt. Qui igitur ſic agant aliorum in ſe ſibilos provocant, & ſapientum contemptum ſibi comparant pro laude quam hac via videntur captaſſe. Haec quidem non deerit ſi aperta noſtris verbis reddantur ea, quae in auctoribus alterius linguae velint obſervari.

Corollarium II.

De *ſervanda verborum recepta ſignificatione*.

855. Perperam tribui novam ſignificationem vocabulis quæ aliquam jam habent communiter receptam ſuadetur, quia cum hæc illis auditis ex conſuetudine ſemper occurrat animo, moleſtiam & defatigationem patitur qui eam a ſe repellere & novam debet ſubſtituere; quod non caret periculo, ne tandem iterum effundatur ſermo ubi non eſt auditus. Adde quod ſicut notam barbari incurrit, qui vocem aliquam unius linguæ aliter inflectat vel ſcribat, ac leges grammaticæ poſtulant, quanto magis qui a conſueta recedat illius ſignificatione; hæc enim eſt quaſi vocis anima, pronunciatio vero vel ſcriptio ſe habent tamquam illius corpus vel artus. Hac de cauſſa alibi (4) queſtus ſum de Carteſio & Carteſianis, quod omnibus animæ noſtræ operationibus ipſiſque actibus voluntatis nomen cogitationis tribuerint, eademque ratione probari nequit quod Auctor Diſſertationis Neapoli editæ anno 1760. *De natura extenſionis* impenetrabilitatem, quæ ut cum communi ait Genuenſis (5) accipitur pro *ea extenſi qualitate qua fit ut una eius pars alteri, ne eundem locum occupet, reſiſtat*, explicet per vim quæ conſtituit rerum ſubſtantias vel formaliter vel materialiter vel etiam efficienter; Nam omnia hæc ſonant ea ipſius verba (6) *cum vis ſit potentia accurate apta ac determinata ad tribuendam exiſtentiam rebus, quæ eidem ſubsunt, nomen vis impenetrabilitati nemine invito applicabimus: ... Erit ergo* impe-

(1) Ci. Tuſcul.
(2) Ci de Offi. l. 1 c. 38
(3) Mu. Buon guſto c. 7
(4) De Ideis n 683 edit. 2
(5) Ge. Metaph. p. 2 c. 1 pro. 10
(6) Na. ext. n. 14 & 15

Digitized by Google

impenetrabilitas ipſa etiam inertia gravitas & vis qualibet alia elementaris.

856. De hoc vitio omnium voce jam reprehenduntur antiquiores Chemiæ ſcriptores, in quibus eſt celebris medicus Paracelſus, qui cum publicaſſet ſe inveniſſe quæ poſſent hominum vitam parem reddere in diuturnitate illi Mathuſalem, obiit juxta Macquerum (1) anno 1541. ætatis ſuæ quadrageſimo. Aliorum nomina cum libris, quos in tenebras potius quam in lucem emiſerunt, qui animi cauſſa velit noſſe adeat Lengletum de Freſnoi (2).

857. De eodem vitio condemnantur majori etiam jure a Gauchato (3) recentiores quidam auctores, qui perſonam magiſtri in rebus ad mores ſpectantibus ſibi audacter arrogantes, perverſa ethices dogmata conati ſunt hac via diſſeminare, dum laudant amorem proprium, quem ipſi pro amore ſui ſtatus, vel deſiderio ſuæ felicitatis ſumunt, cum communiter ſub eo nomine veniat apud doctos amor ſui contra leges rationis, & commendant motus appetitus, qui vulgo vocantur paſſiones, uſurpantes hoc nomen non pro pravis animæ affectionibus quos ratio debeat coercere, ſed pro illis ſine quibus anima eſſe non poteſt, & quibus proinde ratio non debeat repugnare. Atque hinc anſam arripiunt traducendi quotquot ſibi contraria doceant tamquam abſurda præcipientes, & leges imaginarias chimæricasque confingentes.

Corollarium III.

De diſpoſitione verborum juxta propriam cujusvis linguæ naturam.

858. PErperam negligitur verborum diſpoſitio cujuscunque linguæ propria. Nonne enim conſtat moleſte audiri vel legi, qui cum latine præſeferunt ſe loqui, de latino non habent niſi vocabula pro guſtu alterius linguæ diſpoſita, ita ut quivis hanc facilius deprehendat, quam Aſinius Pollio inſignis Ciceronis aliorumque illuſtrium auctorum obtrectator Patavinitatem in Tito Livio, ſi modo per hoc vocabulum aliquid ad linguam ſpectans ipſe ſignificavit, ut credit Tiraboſchius (4) quia hoc videtur exiſtimaſſe Quintilianus, & non ut cenſent alii apud Ladvocatum (5) adhæſionem parti Pompejanæ notam in Patavinis. Qui ex Hiſpanis Chiloam magnam Americæ meridionalis inſulam adeunt, admirantur ejus incolas uti lingua quæ parum differt in omnibus ſuis vocabulis ab hiſpana, ſed in eorum ſyntaxi tota eſt Araucana ipſis olim propria, prout teſtati ſunt Hervæ (6), chriſtianæ religionis apud ipſos magiſtri, qui in Italia nunc ſunt.

859. Si-

(1) Ma. Diz. di Chim. diſs. prel.
(2) Le. Hiſt. Philoſ. hermeti.
(3) Ga. Lett. crit. 6 & lett. 28
(4) Ti. Stor lett. to 1 p. 3 l. 3 c. 3 n. IX
(5) *La*. Diz. ar. Aſinio.
(6) *He*. Idea to. 20 n. 175

859. Similes his Chiloanis, quos nemo quod ſciam laudavit de literarum cultura, aut de bono in illis guſtu, ſunt illi, qui in italicis lucubrationibus, ſtudioſe latinitatem oſtentant. Sed hi communiter jam cum nauſea a doctis & omni exceptione majoribus circa ſtilum judicibus audiuntur, aut cum irriſione leguntur. Exemplum hujusmodi importunæ latinitatis reperitur in italica grammatica pro lingua latina ab italis pueris addiſcenda, deſumpta ab illa, quæ ex Portu regali famoſa Janſeniſtarum ſede gallice prodiit auctore Claudio Lancellotto uno ex auctoribus eccleſiaſticis commemoratis a Dictionario Stortii alias (1) citato. In hanc italicam verſionem anonymus interpres obſoleta etiam verba *arrogendo*, *ſappiendo*, *maggiorenti*, *avvegnadiochè*, *a baſta lena*, aliaque plura iniecit, ut pueri inqnit (2) mature ea addiſcant, quorum ſcilicet ſignificationem ipſi jam etiam docti itali ſolent quærere, & quibus poſtquam illis explicata fuerint, nunquam ſi ſapiant utentur.

860. Argumenta pro hoc corollario expoſita confirmantur ab exemplis, quæ nobis paſſim proponunt itali ſcriptores præclariſſimi, in quibus videas abundantiam ſententiarum ſed non periodorum, quales Cicero ſolitus fuit contexere, quæ vincunt contrariam veterum quorumcunque licet magni nominis auctoritatem, ut ſupra (n. 510.) dixi.

PROPOSITIO II.

Definitio nominum in quavis diſciplina opus eſt præmittatur.

861. PRobatur propoſitio quia per definitionem nominum opportune præmiſſam in ipſo cujusvis quæſtionis de qua agatur initio, habentur ideæ claræ & diſtinctæ eorum qnæ ad eam pertinent, & removentur inepti ſermones & inutiles contentiones. Quod ſine definitione non poſſint quædam voces excitare promptam ſaltem ideam, quam qui iis utitur habeat, omnia æquivoca palam faciunt. Exemplo ſit hoc nomen Jus. De eo habemus jocoſum Tychonis verſum

Jus legum & patinæ ſunt nomine iura ſub uno

Jus igitur appellatur tum aqua ſaturata particulis carnis in ea excoctae, tum collectio legum docentium quid juſtum quid injuſtum ſit, atque in hoc ſecundo ſenſu, quem continet pervulgata juris definitio *Ars boni & æqui*, quam Buffierius (3) iterum iterumque de obſcuritate accuſavit, ſumitur ab Juriſprudentia nobiliſſima ſcientia, quæ in ſe diſciplinas omnes includit, ita ut poſſit quis aliquo modo de omni ſcientia & arte tam liberali quam fabrili diſſerere ſolis utendo doctrinis legalibus, ut videri poteſt, ſed quaſi per tranſennam multa involutam caligine in libris Antonii

(1) De Ideis. n.121 edit.2

(2) Nuovo metodo. Avviſo del tradutt.

(3) Bu. Sec· Logiq. ar.18 n.23.

tonii Dorimini, *de artibus & disciplinis omnibus in Jurisprudentia obſervatis*, Neapoli editis anno 1747., & italice ſcriptis, ſed ſtilo incondito & horrido, & conceptibus perſæpe informibus & abortivis.

862. Aliud exemplum eſto in hoc alio nomine Jus naturale, quod æquivocum pariter redditum eſt, poſtquam Jure conſulti illud ſumpſerunt etiam pro inſtinctu naturali, qui omnia animalia etiam bruta inſtruit de iis, quæ pertinent ad vitæ conſervationem, ſpeciei propagationem, & media ad hos fines neceſſaria ponenda materialiter tantum, ſine prævia conſultatione, atque in hoc ſenſu intelligitur illa definitio, quæ in Digeſtis (1) & Inſtitutionibus (2) legitur, *Jus naturale eſt quod natura omnia animalia docuit*: Theologi autem definiverunt eſſe id quod omni homini intrinſecus præſcribit quid faciendum vel non faciendum ſit, quo etiam modo definitur Lex naturalis, quam proinde Layman (3) cum aliis dicit idem eſſe ac jus naturale in ſenſu Theologorum non vero in illo Ulpiani.

863. Tertium liceat addere exemplum in hoc nomine Jus Gentium quod pariter æquivocum evaſit, quia non conſentiunt Doctores in ejus acceptione. Silveſter Maurus idem ſignificare vult (4) ac Legem naturalem, quam proinde negat diſtingui ab jure gentium, quod alii deinde ſtatuerunt, ut Puffendorfius (5), Heineccius (6), & Jo. Jacobus Burlamaquius in ſuo gallico tractatu *de principiis iuris naturalis* apud Trevoltianos (7), qui eum anno mortuum 1748 laudant ut ſubtiliſſimum in Ethicis anatomicum. Alii ut citatus Layman, & Ioſaphat Maſſarius (8) bene obſervant nomen juris gentium excuſum eſſe ad aliquid aliud præter jus naturæ ſignificandum. Hinc ſunt qui volunt illud ſignificare leges quæ obligant diverſas nationes ad mutua quædam officia ſolum poſt initas inter ſe arbitrarias conventiones, quod proinde dicunt eſſe jus quod gentes libere ſtatuerunt. Quæ definitio communior dicitur a Widman (9) & Vattel (10), eique conſonat illa Iuſtiniani (11) *Jus gentium eſt ius humanum voluntarium, quod gentes inter se conſtituerunt*. Hanc Jo. Baptiſta Laſcaris Guarini (12) amplectitur, & optime ſtabilitam propugnat productis in medium exemplis in admiſſione legatorum ſub lege immunitatis & ſecuritatis, in introductione commercii cum nationibus non inimicis, in jure belli fundato in poteſtate reipublicæ pro injuriis ſibi illatis reparandis, & aliis, quæ non poſſunt dici pertinere ad jus naturæ.

864. Si ad fugienda æquivoca vidimus neceſſarias eſſe definitiones, non minus fatebimur neceſſarias ad intelligenda ipſa nomina, quæ in

 quavis

(1) Di. l.1 §.3 de Juſt. & jure.
(2) In. de Jur. natur. §. Ius naturæ.
(3) La. Theo. mor. l.1 tr.14 c.8 n.7
(4) Ma. Ethic. l.5 c 7 n.2
(5) Pu. de I. N. & S. l.1 c.3 n 23
(6) He. Elem. I. G. tit. 2 l.1 n.41.
(7) Tr. ann. 1748 ar.82
(8) Ma. Reli. nat. n.443.
(9) Wi. Jus can. proleg. n.18.
(10) *Va*. Droit de gens vol.1
(11) Inſt. Inſti. n.1.
(12) La. I. G. princip. to.2 d. 14.

quavis diſciplina occurrunt vulgo ignota, & quæ proinde legitimam ideam doctrinalem apud alios non poſſunt excitare niſi verbis communiter cognitis fuerint explicata, (1) *Dialecticorum verba* dicebat Tullius *nulla sunt publica, ſuis utuntur & id quidem commune omnium fere eſt artium*. Ita in Jure quam multa ſunt, quæ niſi Jureconſultus explicet, ignota ſunt, ut cum dicitur Redhibere pro facere ut rurſus habeat venditor, quod habuerat: Trajectitia pecunia pro ea quæ trans mare vehitur: Lata culpa pro nimia negligentia, ſeu non intelligentia ejus quod omnes intelligunt. Et quisnam ideam ſibi comparet inſtrumentorum cujusvis artis ex ſolo ipſorum nomine ab artificibus uſitato? Hinc vir nobilis animi appellatur ab Ant. Franciſco Doni (2) Joannes Norchiati, qui ex dictis (n.809.) italica horum nomina meditabatur appoſita ſingulis eorum figura explicare. Viderunt alii hujus explicationis neceſſitatem, qui hujusmodi gloſſaria exhibuerunt, quæ brevi ſaltem determinant ſignificationem vocum, quæ propriæ ſunt cujusvis artis & ſcientiæ. In his celebre eſt Trevoltianum ſic dictum a loco ubi editum eſt, ad cujus majorem perfectionem procurandam ſtimulos addidit Iametus per diverſas obſervationes, quas refert Conſervator (n.93.) menſe Decemb. 1757.

865. Præterea definitiones aditum obſtruere ineptis ſermonibus demonſtratur ab illis propoſitionibus quas aliqui interdum confidenter proponunt tamquam veriſſimas, quas deinde minus veras aut etiam falſas coguntur fateri, dum illis obiicitur recepta a doctis ſignificatio nominis, quod eſt illarum ſubiectum. Exemplo ſit propoſitio, quam in Bayle reprehendit Leibnitius (3), Deus ab æternitate habet gloriam indefectibilem & immutabilem, quæ admitti non poteſt niſi quatenus loquatur de gloria Dei relate ad Divinas Perſonas, adeoque in ſenſu minus proprio; Nam ait S. Thomas, (4) Etſi *largius accepto gloriæ nomine non ſolum conſiſtat in multitudinis cognitione, ſed etiam paucorum vel unius aut ſui ſolius, dum ſcilicet aliquis proprium bonum conſiderat ut dignum laude, tamen proprie per nomen gloriæ deſignatur, quod bonum alicuius deveniat in multorum notitiam & approbationem*. Quare Gloria definitur multorum notitia & laus ſeu approbatio de alicujus bonitate, ſeu ut ait Tullius (5) *conſentiens laus bonorum, incorrupta vox bene iudicantium de excellenti virtute*, ſeu ut vulgo ſed obſcurius dicitur clara notitia cum laude. Quare ad gloriam requiritur non ſolum ut ſit qui cognoſcat bonitatem alterius, ſed etiam qui illam laudet. Laus autem definitur cum Vaſquez (6) expreſſum verbis teſtimonium alterius bonitatis, quia illa talis eſt in ſe, vel quia talis eſt in ordine ad aliquem finem, eaque in rigore diſtinguitur ab honore qui definitur teſtimonium alterius bonitatis expreſſum quibusvis ſignis,

(1) Tu. Acad. l.1 n.29
(2) Do. Libraria. par.1.
(3) Le. Theod. p.2 n.109.
(4) S. Th. 2. 2. q 132 ar.1
(5) Tu. Tuſc. l.3 n.3
(6) *Va*. De cultu adorat. l. 1 diſ. 1. c.1 n.2.

Digitized by Google

ſignis, quia ipſa talis eſt in ſe. Jam vero repugnat aliquid eſſe cognitum ab aliis a ſe diſtinctis ſine ullo a ſe diſtincto adhuc exiſtente: Atqui ex æternitate nihil extra Deum extitit: ergo repugnat Deum eſſe ab aliis a ſe diſtinctis cognitum & laudatum ex æternitate.

866. Per definitiones tandem opportune præmiſſas removeri inutiles contentiones, exemplum habemus in iis, quæ inter malos philoſophos aliquando magnis clamoribus agitatæ, nullæ unquam fuiſſent, ſi nomen ſubjecti quod idem erat apud utroſque, ſed non in eodem ſenſu, antea definiiſſent. Ita cum quis affirmat manum vulneratam nihil dolere, non eſſe in igne calorem & ſimilia, quivis illi aſſentitur ex dictis alibi (1) ſi interrogatus de ſenſu horum nominum Dolor & Calor reſpondeat calorem ſignificare modum quemdam animæ quem illa in ſe excitat, quando ſubtilia ignis corpuſcula impreſſionem fecerint in corpore cui conjungitur: dolorem autem appellari eam animi modificationem, qua a malo præſenti ſibi vel corpori cui conjungitur abhorret. Qua in re qui has definitiones accipiunt ſolent cum Auctore artis cogitandi (2) laudare Plantum qui dixit *Doleo ab oculis* ſignificans dolorem quemdam ſibi eſſe in anima natum a prava diſpoſitione oculorum, & minus philoſophicas dicunt illas Tullii loquutiones, *Fac totum dolere corpus*. *Nunquam tibi oculi doluiſſent*, utpote quæ tribuere videntur organis corporeis ſenſationes. Hujuſmodi definitionibus poſitis nihil clarius & nil etiam minus controverſum illarum propoſitionum veritate. Interea tamen qui de illorum nominum ſignificatione non aliter judicant quam ex ſuis ideis confuſis exclamant ſtatim ſomnia eas aſſertiones eſſe & deliria, quæ repugnant intimæ experientiæ & conſtanti evidentiæ. Atque hinc inter utroſque excitatur rixa quædam pugnaciſſima, quam tandem dirimit non cognitio veritatis aut falſitatis cum neutri quid ſignificent ea verba apud ſe determinaverint, ſed ſola anhelitus difficultas & totius corporis defatigatio ex inconditis exorta vociferationibus. Hujuſmodi rixa appellari ſolet Logomachia, de qua tractatum edidit Werinfels Academiæ Baſileenſis profeſſor celebris, eumque imitatus eſt Anonymus, qui dialogos de Logomachia, ſed in ampliori ſenſu ſumpta, protulit Baſileæ anno 1748., de quibus ſupra (n. 166.) memini, & quorum epitomam dedit Conſervator (n. 93.) ad menſem Decemb. anni 1757.

867. Idem iterum antecedens declarant quotquot celebrantur præclari in quavis diſciplina auctores & ipſi etiam qui contemnuntur mali auctores. Ideo enim illi commendantur, quia opportunas nominum definitiones de re de qua agunt præmittentes non ſolum docent, ſed quid doceant clare percipitur: ideo autem alii rurſus vituperantur, quia cum plura de aliqua re meditari & ſcribere aggreſſi fuerint, quin antea ſtabiliverint quid præciſe intelligerent vocibus quibuſdam, quas ſæpe uſurpare neceſſe illis fuit, nihil tandem quod vel ſibi ſolis penitus ſatisfaceret

(1) De ideis, n. 773 edi. a

(2) Arſ. p. 1 c. 11.

ret concluſerunt, difficultatem rei cauſſantes, revera hanc definitionum neceſſitatem vel ignorantes vel negligentes. In his extitit ultimis hiſce temporibus Petrus Bayle, qui ut notant Trevoltiani (1) hac via vel ipſe evaſit qualis in ſuis libris apparet ſcepticus inſignis, vel ſtudioſe captavit indecoram voluptatem ducendi alios in ſcepticiſmum.

Confirmant tandem propoſitionem Auctores qui expreſſe approbant & repetunt aut illud Plutarchi (2) *Qui vocabula non diſcant recte intelligere, eos etiam de rebus ipſis falli*, aut illud Tullii (3) *Omnis quæ de re aliqua inſtituitur diſputatio a definitione proficiſci debet*, atque cum eodem laudant antiquos, a quibus nihil (4) *ex eo genere quod ad diſſerendum valet prætermiſſum eſt, qui & definierunt plurima & definiendi artes reliquerunt*, & vituperant (5) Epicurum qui definitiones & omnem diſſerendi artem ſuſtulit:

PROPOSITIO III.

Ideæ ſpectantes ad diſciplinas non ſunt communicandæ per ſermonem barbarum, neque ſcatentem conceptis verbis Scriptorum diverſarum linguarum, neque hyperbolicum aut ſymbolicum, neque figuris diſtinctum oratorum propriis: ſed per illum, qui ornatus dici poſſit, quatenus non ſit vulgaris.

ARTICULUS I.

De barbarie ſermonis a doctoribus fugienda.

868. HÆC prima propoſitionis pars ſuadetur I. quia cum diſciplinæ ſint per ſe difficiles intellectu, non eſt augenda alia difficultas ipſis extrinſeca, quæ neceſſario naſcitur ex inculto & barbaro ſermone. II. Quia de omni lingua qua doctor utatur, dici poteſt quod Tullius de ſua (6), *Non tam præclarum eſt ſcire Latine, quam turpe neſcire, neque tam id mihi Oratoris* (dicamus Doctoris) *boni, quam civis Romani proprium videtur*; quandoquidem qui cives ſunt cultæ Reipublicæ a pueris hauſerunt contemptum, & horrorem omnis ſoloeciſmi & barbariſmi, quæ a ſuis magiſtris continuo audierunt reprehendi tamqnam ruſticitatis & hebetudinis notas. Quot autem modis utrumque vitium incurratur, ex iis quæ docet Alvarus (7) pro lingua Latina, licet colligere pro alia, qua Doctor utatur. III. Quia non ſunt ad rem exempla, quæ

(1) Tr. ann. 1737 ar.13
(2) Pl de Iſide poſt medi.
(3) Tu de offic. l.1.
(4) Tul. de fini. l.4 n.4
(5) Tu. de fini, l.1 n.22 & num.6 Et l.2 n.4
(6) Tu. de Clar. Orat. n.140
(7) Al. Gram. l.2 c.20 & 21.

Digitized by Google

quæ afferuntur clariſſimorum hominum, qui majoris momenti diſciplinas inaudito apud latinos vel luteæ ætatis ſermone pertractarunt, quaſi edicentes oportere omnem ſollicitudinem impendere in rerum ſcientia, nullam vero in verbis quibus ea exponatur. Non enim id fecerunt conſulto, ſed ex quadam ſuorum temporum neceſſitate. Quippe ea ipſi ætate ſcripſerunt, qua ſtudia omnia, & illud imprimis humaniorum literarum neglecta erant etiam in Italia, ea Occidentis parte, in qua bonæ artes locum ſemper habuerunt, & quidem *unice* inqnit Card. Sfortia Pallavicinus in tractatu de Stilo (1), pro quo adverbio ſubſtituit *præcipue* Jacobus Boſchius in latina ejuſdem interpretatione pereleganti, quæ Monachii prodiit anno 1678., fortaſſe ad vitandam invidiam, cujus jam periculum nullum eſt, quoniam id paſſim jam dicunt ex quibusvis nationibus eruditi, qui Italiam appellant literarum matrem atque nutricem. Quando igitur accedente temporum tranquillitate, & favore Principum reviréſcere denuo ſtudia cœperunt, emicare quidem repente potuit multorum ingenium in penetrandis quibusvis obſcurioris ſcientiæ adytis, at diu expectanda fuit in iis exponendis ſermonis copia & elegantia. Hæc enim non ſunt, ſicuti ingenium, munus naturæ, ut advertit idem Pallavicinus (2), ſed fructus artis, multarum ſcilicet animadverſionum, & diuturnæ exercitationis.

869. Quamobrem doctores temporis, quo florentes vel adultæ jam erant literæ, opus eſt obſervare. Quem autem in his invenimus, qui ſollicitus non fuerit, ut nativa cujusvis ſcientiæ pulchritudo ornato dicendi genere pulchrior appareret, quin immo quanto magis pretioſam crediderunt ſuam ſcientiam, tanto ſtudioſius curarunt, ne per inqninatam aut incomptam loquutionem vileſceret. Quid enim minus conveniens, quam princeps ſub pannoſis & ſordidis veſtibus, aut gemma in plumbeo loculamento? Teſtis eſt Tullius præclariores Græciæ philoſophos fuiſſe in dicendo non minus graves, quam eloquentes & perpolitos. Ariſtotelem nobis deſcribit (3) *flumen orationis aureum fundentem*, eique conſonat Quintilianus, qui dubitat, *an eloqnendi ſuavitate an varietate operum clariorem putet*. Quod ſi ille, qui nunc circumfertur, talis non ſit juxta S. Hieronymum & Tertullianum, quos ſequitnr Jo. Ciampoli (4) cum aliis, dicam hoc verum eſſe de latinis plerornmque ejus operum interpretationibus, non vero de græco auctoris exemplari, niſi in quibusdam locis, quæ per temporum viciſſitudines corrupta, cum male vel nullo modo intelligerentur, ſuppleta fuerunt arbitrio Apelliconis primum, deinde Tirannionis, qui licet natus in Paphlagonia Romæ floruit tempore Ciceronis, & tandem Andronici Rhodiani eidem coævi, ut poſt Bruckerum & Baylem refert Tiraboſchius (5).

870. De

(1) Pal. c.2 n 3
(2) Id. ibid. c.2 n.4 & c.26
(3) Tu. Acad.4 n.119.
(4) Ci. della Filoſof. pr.56
(5) Ti. Stor. Lett. to.1 p.3 l.3 c.4 n. 2

870. De Theophraſto idem Cicero inquit, quod (1) *divinitate loquendi nomen invenit*: Et de Platone, quod *longe omnium quicunque ſcripſerunt extitit & ſuavitate & gravitate princeps*, atque iterum paulo infra, *Video viſum eſſe nonnullis Platonis & Democriti loqutionem, etſi abſit a verſu, tamen quod incitatius feratur, & clariſſimis verborum luminibus utatur poema putandum*. Quæ in horum pariter laudem dicuntur, ſpectant non ad eorum latinas interpretationes horridas plerunque ſordidas & obſcuras, ut Jacobus Pontanus jure dixerit (2) *Soleo eorum conditionem vehementer miserari, qui cum in ſua lingua fundant orationis flumina in noſtra balbutiunt*, ſed ſpectant ad eorum græca autographa. Hæc præ oculis habentes plures veterum latinorum pro viribus ſunt imitati, ut Cicero in philoſophicis, Cato & Columella in ruſticis, & in medicis Cornelius Celſus, qui propter nitorem ſermonis medicus Cicero, & propter gravitatem doctrinæ latinus Hippocrates appellatur. Habemus etiam in divinis S. Leonem magnum, eloquentiſſimum & nitidiſſimum, & Lactantium Firmianum, qui niſi errores quosdam contineret, propter quos magis Ciceroni quam ſacræ Scripturæ accuſatur ſtuduiſſe, plena cum laude nomen chriſtiani Ciceronis vulgo illi tributum ſuſtineret.

871. Idem elegantiæ ſtudium obſervatur in multis ſæculi decimi quinti & ſexti auctoribus. Itaque Laurentius Valla qui obiit anno 1458. *indignatus* ut ait Jovius, *optimas artes inculta ſermonis barbarie defoedari, elegantiarum libros edidit*. Extant opera Nicolai Leoniceni, qui Ferrariæ obiit an. 1524 ætatis ſuæ 95., & primus fuit juxta Tiraboſchium (3) ex medicis & philoſophis, qui quod alii barbare, ipſe eleganter explicavit, cui pone venit Hieronymus Fracaſtorius magnum in iisdem diſciplinis nomen. Extant etiam Commentaria in libros Sententiarum Pauli Corteſii (n. 657.) ad religioſam latinitatem exacta, in quorum proemio, quo ea doctiſſimus auctor dedicat Paulo II. per eos dies in Romanum Pontificem electo, conatur alios omnes doctores ad hanc elegantiam procurandam inducere; Ea enim inquit, *ſpecies philoſophiæ ſtudiis aptior eſt, quæ ſuavis, quam quæ abſona feratur, propterea quod ſuavitas cum in intelligendi ſenſum irrepat, philosophiæ ſtudia amplificat... Equidem eloquentiam in doctrinarum genere tamquam in corpore pulchritudinem putarim, quæ ab his velut decora ſanitate ſeiungi non poſſit... Cutem a carne ſeiungit, qui elegantiam a philosophia ſecernit*. Tandem poſt legitimam validamque confutationem eorum, quæ in contrarium audiebat proponi, concludit, *nihil minus conſentaneum puto, quam politiorem, philoſophiæ rudem, aut philoſophum infantem*.

872. De hoc Corteſio mentionem conſulto feci, tum quia primus fuit juxta Tiraboſchium (4), qui cum theologia latini ſermonis elegantiam

(1) Cic. de perf. orat. n. 11
(2) Po. Progymnaſ. 96 to. 1
(3) Ti. Stor. lett. to. 6 l. 2 c. 3 n. 21.
(4) Ti. Stor. lett. to. 6 l. 2 c. 1 n. 27 & to. 7 l. 1 c. 1 n. 6

tiam coniunxerit, barbarique ſquallorem ingenitæ myſteriorum religionis obſcuritati ſuperadditum deterſerit, tum quia ab ejusdem dialogo *De hominibus doctis* temporis ſibi proximi, qui vita jam deceſſerant, alii colligi poſſunt, qui latine cum doctrina & elegantia ſcripſerant, atque in his jure meminit de Hermolao Barbaro (1) *Franciſci Barbari nepote, qui huius gloriam illuſtrioribus literis, & gravioribus artibus cumulavit*, ut Tiraboſchius (2) magis declarat. Quare equidem inter nugivendulos computabo cum Feijoo (3) & Tiraboſchio (4) Petrum Crinitum (5); & Io. Bodinum (6), quando hunc Barbarum necromantiæ addictum repræſentant, qui animam Ariſtotelis ab inferis revocaſſet, ut vim ſibi declararet nominis Entelechiæ ab eo uſurpati. Merito autem commemoratur hic Hermolaus Romæ mortuus anno 1493., cum natus eſſet Venetiis anno 1454., quia adverſus graſſantem ſermonis latini barbariem in omnibus philoſophiæ partibus perquam ſæpe (7) vehementer declamavit.

873. Eosdem ſenſus habuerunt multi, qui pone ſequuti ſunt graves doctores, ut Melchior Cano (8) ſolitus ut ipſe ait *orationis cultum elegantiorem adhibere*, quod pariter præſtiterunt Benedictus Pererius in expoſitione ſacrarum literarum. Petrus Fonſeca in illa dialecticæ & metaphyſicæ, & Franciſcus Duarenus in illa juris tam civilis quam canonici. Reticendus non erat hic Duarenus Briconii natus, ſed Bituricæ mortuus anno 1559., quia in ſua *De docendi dicendique iuris ratione* epiſtola copioſe inſectatus eſt neglectam a Jureconſultis ſui temporis proprietatem latini ſermonis juxta ſenſus, quos hauſit ex Andrea Alciato, cujus fuit in Jurisprudentia alumnus, cumque nuper imitatus eſt Jo. Fridericus Schoepperlinus in libro *de Romanæ linguæ cultoribus* Lipſiæ edito anno 1754.

874. Nec omittam Iacobum Acontium, philoſophum Tridentinum, ſed apoſtatam a religione catholica, qui inter alia librum vulgavit Baſileæ anno 1558. *De methodo hoc eſt de recta inveſtigandarum tradendarumque ſcientiarum ratione*, in quo ne umbram quidem inquit Tiraboſchius (9) videas barbari aliorum ſermonis in præceptis dialecticæ, quæ ibidem ſine redundantia eleganter perſequitur. Nihil dicam de ſtilo doctorum, qui noſtra ætate diſciplinas latine ex inſtituto omnium academiarum pertractant. Ipſorum enim libri typis pervulgati eas producunt ornatas ingenuarum artium multo ſplendidoque comitatu. Itaque in multis videas latinitatem longe politiorem, quam ſit in auctoribus ferreæ ætatis, nec

(1) Co. de hom. doct. pag. 10.
(2) Ti. Stor. to.6 p.2 l.3 c.2 n.2
(3) Fe. Teat. to.2 di. 5 n.49
(4) Ti. Ibid. c.5 n.41
(5) Cr. de hones. diſc. l.6 & 21
(6) Bo. Dæmonoman.
(7) Ba. Præf. ad Themis. ad li. de Anim. ad li. de Memoria. ad li. de Somno.
(8) Ca. Loc. theol. l.12 c.1
(9) Ti. Stor. to.7 p.1 l.2 c.2 n.23

Digitized by Google

nec pauci ſunt, qui argentea ſaltem digni communiter judicantur. In his ſunt libri, quos de Iuriſprudentia in Hiſpania vulgavit Ioſephus Fineſtrerius Barcinonenſis, decus Academiæ Cervarienſis, quæ in ea eſt provincia, mortuus prope ipſam Cervariam anno 1777. ætatis ſuæ nonageſimo, in quibus teſte Aimerichio (1) ejus familiariſſimo vix unum aut alterum dubiæ latinitatis verbum occurret.

875. Hujuſmodi obſervatio poterat bilem compeſcere Burmani Rectoris olim Academiæ quæ eſt Lugduni in Batavia, qui in ſua *pro Literatoribus & Grammaticis oratione*, cujus ſumma habetur in *Cenſuris librorum novorum* (2) ægre ferens profeſſores literarum humanarum ultimum locum habere in Academiis, hoc tribuit cuidam quaſi conjurationi profeſſorum Theologiæ Iuriſprudentiæ & Medicinæ, qui pro ipſorum barbarie eas parvi pendunt. Falſo enim hi accuſantur de tam præpoſtero judicio, quandoquidem videmus jam ipſos quoque ſermonis nitorem procurare amare & commendare. Quoniam autem illi in coetu Academico ornati apparent cognitione aliarum facultatum, quarum acquiſitio eſt fructus ætatis jam maturæ, ingenii acrioris, & conſtantis applicationis, ideo communi juſtoque omnium ſuffragio Literatoribus & Grammaticis præcedunt. Accedit quod ſola elegantia ſermonis, quam Academiæ unice requirunt ab iis quos ad hanc edocendam conducunt, longe abeſt a dignitate & utilitate graviorum diſciplinarum. Quare qui de his ſolide agunt licet incompta dictione jure pluris habentur quovis eximio Grammatico, aut Rhetore, ita ut nemo non approbet quod dicebat Card. Pallavicinus apud Muratorium (3), Ariſtotelem lectu dignum eſſe ante quemvis alium elegantiſſimum auctorem, etiamſi lingua Bergomatum ſcripſiſſet.

Articulus II.

Obiectio contra hanc partem ex S. Scriptura.

876. Obiicitur. Sacra Scriptura proponens veritates præ ceteris ſublimes & ſcitu maxime utiles ac neceſſarias, quibus late gentes acquieverunt, eo uſa eſt ſermone, qui abundat barbariſmis & ſoloeciſmis, cujuſmodi ſunt *memorare* pro memento, *partibor & metibor*, pro partiar & metiar, *odivi*, *odientes*, *manicabat*, *poenitemini*, *angariare*, *crapulatus a vino*, *dominatus pauperum*, *maiora horum faciet*, *non veni miniſtrari*, aliaque id genus multa. Præterea incomptus eſt, ut horridus etiam non raro ſit ſaltem prout habetur in Vulgata, qua utimur verſione: ergo ad inſinuandas & perſuadendas veritates opus non eſt

(1) Ai. Paradox. di. 1 n. 27
(2) Iugem. to. 2 pag. 299
(3) Mu. Perf. poeſi. l. 3 c. 8

eſt ſermone ad leges grammaticorum exacto, & ad illas rhetorum expolito.

877. Reſp. *nego ans*, quod cum paganis apud Clementem Alexandrinum (1), Origenem (2), Arnobium (3), & Lactantium (4) affirmarunt Claudius Salmaſius (5), & Joannes Olearius (6), quos Chriſtianus Sigismundus Georgius (7) jam confutavit. At quoniam obiectio limitatur ad Vulgatam, dico perperam barbariſmos & ſoloeciſmos ipſi attribui. Nam ut arguit Aimerich (8) poſt M. Antonium Muretum, & Iacobum Pontanum quos citat, & fortaſſe Albericum etiam Gentili, qui apud Tiraboſchium (9) ſcripſit vindicias de latinitate antiquæ bibliorum verſionis ſive Vulgatæ, hæc ad nos venit a primis Fidelibus, adeoque ab auctoribus bonorum Latinitatis ſæculorum. Quod negari non poteſt de libris Novi Teſt. quorum verſio a Tridentino concilio (10) propoſita tamquam authentica eſt quantum ad ſubſtantiam vetus illa dicta Itala, quæ ante S. Hieronymum in uſu erat in eccleſia latina; Nam idem S. Doctor ſummo Pontifici Damaſo, a quo juſſus fuerat illud græcæ veritati reſtituere, ſcribit (11) de Evangeliis, quæ tunc ex collatione cum græcis codicibus proferebat, *ne multum a lectionis latinæ conſuetudine discreparent, ita calamo temperavimus, ut his tantum, quæ ſenſum videbantur mutare correctis, reliqua manere pateremur, ut fuerunt*. Et Ioſeph M. de Turre cum aliis ait (12) *ex antiqua* pariter *editione itala ignoti interpretis* eſſe ſeptem ultima Eſther capita, Baruch, Epiſtolam Ieremiæ, Sapientiam, Eccleſiaſticum, & duos libros Machabæorum.

878. His addit Calmet Pſalterium, dicens (13) *quod in Vulgata legitur, ita ex veteri italica deſumptum eſſe: ut correctiones tamen S. Hieronymi ex græco præſeferat*. S. enim Hieronymus præter verſionem pſalmorum ex hebræo, duas alias fecit ex græca ſeptuaginta, alteram juſſu romani Pontificis Damaſi, & quidem ante illam ex Hebræo, alteram ex eadem græca verſione, inſtantibus Paula & Euſtochio, quia juxta eumdem Turrem prima *vitio ſcriptorum æmulorum fuerat depravata*. Poſtquam igitur S. Hieronymus auctor temporis, quo latina lingua adhuc erat ut ajunt viva, & cujus ipſe erat peritiſſimus, obiectos loquendi modos, aliosque hujusmodi immutatos reliquit, quis eos accuſet tamquam omnino ab hac lingua alienos?

879. Quod quædam vocabula ſolum in Vulgata reperiantur, non

 vero

(1) Cl. Exhort. ad gent. ſub finem.
(2) Or. c. Celſum.
(3) Ar. l. 1 c. gent.
(4) La. de falſa ſap. l. 3
(5) Sa. de Ling. helleniſt.
(6) Ol. de ſtilo Novi T.
(7) Geo. Hierocrit. l. 2 c. 8
(8) Ai. Parad. di. 3
(9) Ti Lett. ital. to. 7 p. 2 l. 2 c. 4 n. 22
(10) Tr. ſeſs. 4 c 2
(11) Hi. præf ad Evang.
(12) Tu. Inſtit. ad Scrip. tr. 2 q. 9 at. 4 n 10
(13) Ca. Dic. ar. Vulgata.

veto in aliis antiquis latinis non eſt ratio, qua liceat ea inter barbara reiſcere, ſicuti non reiiciuntur, quæ in uno ſolum ex veteribus latinis repeπiuntur. Quare ſapienter Maldonatus ad verbum (1) *diffamaverunt eum*, quo vulgatus Matthæi interpres reddit græcum διεφήμισαν, poſtquam advertit ſumi hic in bonam partem, quod apud Latinos ſibi non occurrit niſi in malam, ſapienter inquam ait, *fortaſſe ſi plures haberemus auctores, etiam in bonam apud aliquem legeremus*. Hæc de barbariſmis cenſura convenit hebraicis idiotiſmis, & novis prorſus vocabulis quæ Benedictus Arias Montanus mortuus Hiſpali in patria anno 1598. ætatis ſuæ 71. inſeruit in tranſlationem latinam S. Scripturae factam de verbo ad verbum ex hebræa a Sancte Pagnini Lucenſi Ord. Præd. mortuo Lugduni an. 1536. ætatis ſuæ 70., quam propterea dicitur corrupiſſe, cujusmodi ſunt dextrare & ſiniſtrare pro dextram & ſiniſtram tenere, balſamare & balſamatores aliaque, de quibus meminit Bonfrerius (2).

880. Quod præterea in Vulgata ſint quædam verbornm conſtructiones, quibus nemo alius ex latinis uſus eſt, non infert eas poſſe de ſoloeciſmo damnari. Si Terentio cum in latinum verteret Menandri comoedias, & Virgilio ac Horatio cum hic plura ſumeret ex græcis lyricis, ille ex Theocrito & Homero, licuit identidem uſurpare quasdam græcorum conſtructiones, nunquam Romæ auditas, quin de ignorantia latinitatis accuſarentur, licere etiam potuit iis qui ex hebræo & græco aut alia lingua latine circa eadem tempora reddiderunt ſacros libros, hebraicos aliquando aut græcanicos dicendi modos imitari.

881. Iniqua pariter eſt altera accuſatio de horrido Vulgatæ ſtilo. Imprimis enim Auctores ſacrorum librorum diverſi ſunt, & ſuum quisque ſtilum habet argumento etiam ſuo accomodatum hiſtorico vel morali. Interpres igitur, cujus prima laus eſt fides juxta illud Horatii (3) *Verbum verbo curabit reddere fidus interpres*, non debuit in ſua translatione rhetoricare, ſive (4) *vertere non ut interpretem ſed ut oratorem*, ut dixit Cicero de ſuis verſonibus Demoſthenis & Aeſchinis. Quare ab ipſis etiam Proteſtantibus merito vapulavit Sebaſtianus Caſtallionus Calvini olim & Theodori Bezæ familiaris, mortuus Baſileae anno 1569., cum in Delphinatu natus eſſet, qui ut ait Aimerichius (5) *illotis manibus novam verſionem ſacræ paginæ Ciceronianis elegantiis ornatam edidit, & eam his deliciis phraſium Ethnicarum corrupit*, qnam reprehenſionem poſtquam Genebrardus in Nuncupatoria editionis, quam protulit de operibus Origenis multis promovit, ſic concludit, *Tot verbis vix adhuc explico hominis vanitatem, qui Dei ſacramenta ſermone ſe poſſe complecti putavit. Elegantiam pollicetur, & tamen verba interdum uſurpat alieniſſima a Ci-*

(1) Matt. c. 9 v. 31
(2) Bo. in Pentat. præl. c. 18 ſec. 1.
(3) Ho. de Arte.
(4) Cic. de opt. orat.
(5) Ai. Parad. di. 2 n. 18

Digitized by Google

a Ciceronis puritate. Ex inferis ſuſcitat genios, & ſimilia pagana vocabula. Myſteria ex oculis ſubducit ſubmutatis verbis.

882. Deinde qui laudat tranſlationes Bibliorum factas poſt S. Hieronymum ab hæreticis noſtrorum temporum, tamquam conſtantes opportunioribus & melioris notæ vocabulis, & magis conſonas ſuis exemplaribus hebraicis Vet. & græcis Novi Teſta., jam S. Hieronymum harum linguarum peritiſſimum, & qui inter veteres ſcriptores latinos locum habet tam inſignem, ut Eraſmo viſus fuerit *cum ipſo Cicerone certare*, audent poſtponere interpretibus, quorum vel nulla eſt fama, vel ea ſolum quæ conſiſtit in infamia. Sed relictis rationibus conferamus aliquid de noſtra Vulgata cum celebri hæreticorum verſione Tigurina ſic dicta, quia Tiguri primo prodiit anno 1543. cum hoc titulo, *Biblia ſacra ex hebræis græciſque fontibus translata per theologos Tigurinos*, hoc eſt juxta Calmet (1) Leonem Iudæ, qui auctore Bonfrerio (2) ab Judæis ad Zuinglianos tranſiit, Petrum Cholinum, & Eraſmum. Itaque in Vulgata initium prophetiæ Iſaiæ ſic habet. *Audite Cæli, & auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus eſt. Filios enutrivi, & exaltavi: ipſi autem ſpreverunt me. Cognovit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe domini ſui: Iſrael autem me non cognovit, & populus meus non intellexit. Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, ſemini nequam, filiis ſceleratis!* In Tigurina autem ex interpretatione prædicti Leonis ſic legitur: *Audite cæli, auſculta tellus, quoniam Dominus loquitur, Filios educavi, & evexi: ipſi autem perfide deſciverunt a me. Agnoſcit bos Dominum ſuum, & aſinus præſepe heri ſui: at Iſrael non agnoſcit, populus meus ſeſe non intelligit. Heu gentem ſceleratam, populum iniquitate onuſtum, ſemen malitioſum, filios perditiſſimos!* Nonne quivis cordatus homo & ſincerus hac audita exclamat cum Bonfrerio (3) *quam jejuna, quam languens, quam effœta hæc præ altera obiurgatio!*

883. Adde quod S. Auguſtinus advertit (4) eſſe *quædam verba certarum linguarum, quæ in uſum alterius linguæ per interpretationem tranſire non poſſunt*. Igitur relinquenda ſunt prout habentur in auctore, quando ſinceram quis velit verſionem exhibere. S. Hieronymi etiam ſunt hæc (5) *Habet quævis lingua ſua propria quædam genera locutionum, quæ cum in alium transferuntur, videntur abſurda*: & alibi (6) *Difficile & arduum eſt ut quæ in alia lingua bene dicta ſunt eumdem decorem in translatione conſervent*. Qui vulgatam legat has animadverſiones habens præ oculis, inveniet etiam in illius libris hiſtoricis nitorem proprium hiſtoriæ, qui poſtulat expeditam rerum narrationem, quam Interpres retinuit uſus ſimplicibus verbis, quæ omnium aptiſſima cenſuit: libros

(1) Ca. Dict. art. Biblia Latina in Biblioth. ſac.
(2) Bo. in Pentat. præl. c. 18 ſec. 2
(3) Bo. in Pentat. præl. c. 10 ſe. 1.
(4) Au. de doct. chriſ. l. 2 c. 11.
(5) Hi. ep. ad Pammachi.
(6) Id. præſ. ad Euſebium.

autem alterius generis, ut Pſalmos, Cantica, Prophetas, & Apoſtolorum epiſtolas, plenos fatebitur verborum ſententiarumque luminibus, ut alios dicat Poeticos, alios Oratorios, omnes Divinos.

884. Sed audiamus quid in hac re ſentiant SS. Auguſtinus & Jo. Chryſoſtomus. Primus movens quæſtionem de Auctoribus Bibliorum, an (1) *Sapientes tantummodo an etiam eloquentes nuncupandi ſint*, reſpondet, *hæc quæſtio apud meipſum facillime ſolvitur. Nam ubi eos intelligo, non ſolum nihil ſapientius, verum etiam nihil eloquentius mihi videri poteſt.* Ratio hujus aſſertionis, quam deinde Bonfrerius (2) pariter ſtatuens pluribus declarat, eſt, quia in illorum dictione tota reperitur eloquentiæ notio, quæ univerſim conſiderata definiri poteſt, ſermo intellectum paſcens, & affectus commovens, & quæ ad ſingulas ſuas ſpecies contrahitur per proprias ſingulis differentias. Eſt enim eloquentia oratoria, poetica, hiſtorica, epiſtolaris, propria dialogo, & alia ad unumquodque ſcribendi genus definite accomodata, quæ præterea variari debet pro diverſis circumſtantiis eorum maxime ad quos dirigitur. Neque enim qui ad ſolos cives verba habeat, eloquens erit, ſi eo modo cum iis agat, ac cum ſolis ruſticis. Quod ſi pro utriſque ſcribit vel loquitur, quis non videt tunc ſolum fore eloquentem, quando ejus ſermo non præſeferat exquiſitum verborum ſententiarumque artificium, quod proptetea inſtinctu divino nuſquam habet ſacrarum literarum verſio recepta ab Eccleſia catholica.

885. Chryſoſtomus autem mentionem faciens de Lycaoniis, qui crediderunt (3) *Barnabam Jovem, Paulum vero Mercurium*, obſervat (3) ex miraculis quidem factum fuiſſe, ut Dii haberentur, at ex admirabili Pauli eloquentia, ut Mercurius crederetur. Nec ſit qui obiiciat in ſecunda ad Corinthios Paulum ipſum de ſe dicere, quod eſſet ſibi (4) *ſermo contemptibilis*, & infra quod eſſet *imperitus ſermone*. Hæc enim dicit juxta illos, qui nunquam defuerunt ſic arbitrantes ut notant Interpretes cum S. Auguſtino (5), & ſatis ipſemet Apoſtolus ſignificat, qui non dicit ego *imperitus ſermone*, ſed *etſi imperitus ſermone*.

886. Alii audiantur recentiores dignitatem ſermonis Sacræ Scripturæ extollentes. Joannes Picus mortuus Florentiæ anno 1494. ætatis ſuæ 33. tanta apud omnes doctrinæ fama, quantam alii poſt longe diuturniorem vitam ſibi vix compararunt, ad Hermolaum Barbarum ſcribebat, *Non movent, non perſuadent Sacræ literæ, ſed cogunt, agitant, vim inferunt. Legis rudia & agreſtia verba, ſed viva ſed animata flammea aculeata, ad imum ſpiritum penetrantia, hominem totum poteſtate mirabili transformantia*. Hujus patruelis Jo. Franciſcus Picus natus an. 1470. a filio fratris ſui occiſus anno 1533., ſingularis ille etiam ingenii & doctri-

(1) Au. Doct. Chriſ. l.4 c.6 n.9
(2) Bo. in Pentateu. prælo. c.10 ſec.i
(3) Act. c.14 v.11
(4) Chr. de ſacerd. l.4 ſub fin.
(5) 2. ad Cor. c.10 v.10 & c.11 v.6
(6) Au. de doct. chriſ. l.4

Digitized by Google

ctrinæ cum inſigni pietate conjunctæ, & per quam multis ſcriptis celebris ait (1) *Quis unquam philoſophus de rerum natura abſolutius Moſe tractavit? Quis ſapientius atque prudentius? Ubi exquiſitior ars rhetoricæ non fictæ non calamiſtratæ, ſed veræ, quam in prophetis, quam in Paulo apoſtolo. Legebam ſuperioribus diebus tuſculanam Ciceronis quæſtionem, ubi maximo effert præconio verba Æſchinis adverſus Demoſtenem invehentis tamquam magnam & vim & artem continerent, nec multo poſt desumſi in manus Eſaiam Hebræo populo minitantem, nulla fere ſimilitudo: adeo hic vehemens ſublimis copioſus resonum terrorem incutiens & veram artem undique spirans. Quænam ergo comparatio inter oratoria illa tela Aeschinis aut alterius oratoris a Græcia celebrati, & hæc noſtri prophetæ verba?* In Iſaia dixit etiam Maldonatus (2) *eminet ſublime quiddam ingenioſum vehemens urbanum, quod voluptate admirationeque lectorem tenent.*

887. Gaſpar Sanctius deſcriptionem exercitus quem idem propheta prædixit Deum quondam miſſurum contra populum ſuum dicit eſſe tam (3) *elegantem, ut in eo genere non meminerit ſe aliquid legiſſe ſignificantius aut illuſtrius*: Io. Baptiſta Rouſſeau, qui Gallicus Horatius appellatur, loquens de Sacris Scripturis (4) exclamat, Quæ copia imaginum quæ figurarum varietas quæ ſententiarum ſublimitas quæ rerum magnitudo cum majori ſi fas eſt dicere eloquutione conjuncta! Franciſcus Triveri (5) idem nuper perſuadet inita comparatione inter quædam Scripturæ loca & ea quæ in Homero & Virgilio magis celebrantur.

888. Trevoltiani queruntur de Anonymo (6) qui proponens ſibi hoc impii neſcio cujus argumentum, Fas eſt dubitare an quædam imagines, quas Catholici venerantur ſint ut ipſi credunt opus Angelorum, quia ſunt plane rudes: ergo fas eſt etiam dubitare an biblia ſint opus Divinum, quia frequentiſſime ſunt impolita aſpera & confragoſa, queruntur inquam quod invectus fuerit contra ſolam conſequentis falſitatem cum ſumma impietate conjunctam, dum in dubium revocat biblia eſſe Divina inſpiratione perſcripta, & omiſerit impugnationem incluſae in ipſo ſuppoſitionis de objectis bibliorum imperfectionibus, quod abunde facere potuiſſet commemorans, ut nuper facit Aimerich (7), in Geneſi haberi exempla ſtili ſublimis obſervata a pagano etiam Longino: in Prophetis, quorum dictis lucem attulit eventus, ſentiri magniloquentiam: in libris de legibus admirabilem eſſe ſermonis ſimplicitatem & claritatem, prout requiritur in iis quæ omnes intelligant: in didaſcalicis eſſe orationem, qualem præſtantiores rhetores præſcribunt mediocrem & moderatam: in hiſtoricis elucere veritatem brevitatem perſpicuitatem, præcipuas hiſtoriæ dotes magis quam in quibusvis profanis hiſtoriis. Qui anno

(1) Pi. de ſtud. philo. l. 1 c. 1
(2) Ma. in Ioan. c. 1 ſub. init.
(3) Sa. in Iſai. c. 5 com. ſub fin.
(4) Ro. Prefac. de ſcr. poeſ.
(5) Tri. La redenzione. Diſ. previa
(6) Tr. ann. 1759 ar. 34
(7) Ai. Paradox. diſs. 3 a n. 61

Digitized by Google

no 1745. Londini edidit *Chronica rerum Angliæ juxta ſtilum veterum hebræorum hiſtoricorum*, eorum ſcilicet qui in Sacra Scriptura habentur, non reprehenditur niſi de mendacibus impiiſque propoſitionibus, quarum ſpecimen videſis in Notitiis Literariis tranſalpinis (1) venerato Scripturæ ſtilo propoſitis. In omnibus demum hiſce ſanctis libris quid divinum appareſe ex teſtimonio ſapientum cujusvis temporis oſtendit Proſper ab Aquila in diſſertationibus quas præmiſit ſingulis quatuor voluminibus Dictionarii Biblici, quod Gallice anno 1756. Petrus Barral Pariſiis vulgavit, & ipſe italicum fecit & amplificavit, quin tamen Franciſco Ant. Zaccariæ ſatisfecerit (2), qui majorem in eo deſiderat cognitionem linguæ gallicæ, & opportuniorem additionum electionem.

889. Quotquot in poeſi bene exercitati legunt librum Job, in quo teſte S. Hieronymo (3) *hexametri verſus ſunt dactylo ſpondeoque currentes, & propter linguæ idioma crebro recipientes & alios pedes . . . interdum quoque rhythmus dulcis & tinnulus*, hi ſentiunt ſe rapi a pulchritudine ſuarum imaginum, ut ex his Franciſcus Vavaſſeur conflaverit Jobum, præſtantiſſimum poema latinum, & plures ipſummet ſanctum librum in Parnaſſum ſuæ regionis jam detulerint, ut Eduardus Young in Anglicum, & in Italicum Franciſcus Rezzano, & Hiacynthus Ceruti. Rezzani verſionem Annales typographici enunciant in libris anni 1758. (4) Bergomi factam, & Romæ deinde anno 1760. iteratam referunt: illam Ceruti in libris anni 1759. Romæ factam, cui præceſſit ſaltem ex parte Ioannes M. Lucchini, qui liberis verſibus italicis *Lectiones Job* Lucæ edidit anno 1731.

890. In Pſalmis pariter & Lamentationibus Ieremiæ, & in omnibus fere Bibliorum canticis ſublimem & varii generis poeſim dixit S. Hieronymus comprehendi (5) *in morem noſtri Flacci, græcique Pindari, & Alcæi, & Sapphus, ac qui legat Philonem, Joſephum, Origenem, Cæſariensem Euſebium, horum teſtimonio me verum dicere comprobabit*. Idem luculenter confirmant plures cujusvis linguæ docti, qui verſibus pſalmos vel omnes vel aliquos expoſuerunt. Horum copioſum catalogum contexuit Jo. Albertus Fabricius in ſuo *Voto Davidis* Hamburgi impreſſo anno 1729., qui in dies augetur, ut obſervatur in ſpecimine exteræ literaturæ (6), ubi ſermo eſt de auctore, qui *pſalmos poetice redditos a melioribus Gallis* Pariſiis protulit anno 1751., & nuper confirmat Xaverius Mattei, qui Neapoli tertio edidit *libros poeticos bibliorum* in italicos verſus translatos annis 1779., & 1780.

891. Poeſim etiam in ſuo genere admirabilem contineri in Proverbiis Salomonis demonſtrarunt Ioannes Mariana, qui ea in elegias latinas

(1) Not. t. 2 p. 2 ar. 41
(2) Za. Diſ. 2 v. 1 Diſto. Eccl. to. 1 §. 3
(3) Hi. præf. in Iob.
(4) Ann. Avril. pag. 254.
(5) Hi. in Iob præf.
(6) Sagg. to. 1 p. 2 ar. 18 §. 4

Digitized by Google

nas elegantiſſimas, & citatus Lucchini, qui in italicos verſus converterunt. Eamdem invenerunt in Eccleſiaſte idem Mariana, qui ipſum Latine per elegias, & Dominicus Pacchi italice per verſus liberos a rhythmo Florentiæ anno 1780. vulgatos reddiderunt, & Pacchi jam antea juxta Ephemerides Lit. Rom. (1) eodem modo verſos dederat libros Sapientiæ, & Malachiæ. Eamdem teſtantur, qui Canticum Canticorum poetice reddiderunt, ut iterum idem Mariana partim per latinas elegias, partim per odes, & Gerardus Montanus Belga per latina carmina valde celebrata, & Bonaventura Ant. Bravi per Italica, & anno 1787. Evaſius Leo Carmelita per italica pariter, Auguſtæ Taurinorum impreſſa.

892. Præterea quando Eudocia uxor Imperatoris Theodoſii junioris ingenio & doctrina ſingulari celebris, hexametris græcis incluſit octo primos S. Scripturæ libros referente Fleurio (2) qui perierunt: & quando Geneſim Hilarius Arelatenſis Epiſcopus ſæculo quinto ſcribere incoeperat heroico carmine, quod uſque ad ſeptimum caput deduxit: & noſtra ætate Ferdinandus Caldari Florentinus Venetiis anno 1747., & Stephanus Zucchini Viterbii anno 1763. poetico ſimiliter habitu eam induerunt, primus ſtrophis italicis ex octo verſibus ſibi certa lege conſonantibus, ſecundus per latinam paraphraſim hexametris comprehenſam, e quorum regione appoſiti deinde fuerunt anno 1766. italici verſus ut ajunt liberi: & quando librum Eſther italicis ſtrophis ſenariis Cajetanus de Leonardis, & Lamentationes Jeremiæ latinis verſibus Thomas Strozza, & italicis Benedictus Menzini, Antonius M. Salvini, Franciſcus Zampi ac Fabius Devoti, & Apocalypſim Flaminius Scarſelli ſub nomine Arcadicæ academiæ italicis verſibus ejus ſpeciei, quam Dantes elegit, expoſuerunt, profecto ſingulares in his ſententias, nobileſque imagines agnoverunt. Blaſius tandem Garofolus in ſuis *de Poeſi Hebræorum conſiderationibus* habuit pro egregiis exemplis poeſeos vel epicæ vel tragicæ vel lyricæ eas Bibliorum partes, quas jam olim alii affirmarunt perſcriptas hebraice fuiſſe per carmina diverſi generis. In his eſt S. Hieronymus, ex dictis paulo ante.

ARTICULUS III.

Aliæ obiectiones.

893. I. OBiicitur S. Gregorius profitetur ſe in exponendo libro Job non attendiſſe ad (3) *artem loquendi, quam magiſteria diſciplinæ exterioris inſinuant. Non metaciſmi colliſionem fugio; non barbariſmi confuſionem devito, ſitus motuſque propoſitionum caſuſque ſervare contemno, quia indignum vehementer exiſtimo, ut verba cæleſtis oraculi reſtrin-*

(1) Ef. ann. 1781 n. 42
(2) Fl. *Hiſt.* Eccl. l. 29 n. 17.
(3) Gr. epiſt. ad Leandrum in fin.

ſtringam ſub regulis Donati : ergo mens S. Gregorii eſt ſacras ſaltem diſciplinas non requirere ſtili elegantiam.

Reſpondeo conſequentiam limitandam eſſe ad neglectum elegantiæ nimia ſollicitudine conquiſitæ, & cum diſpendio ſacræ doctrinæ quam quis velit aliis inſinuare. Hoc ipſemet plane ſignificat, qui ante objecta verba dixit, *in huius operis dictis verborum folia non requiras, quia per ſacra eloquia infructuoſæ loquacitatis levitas compeſcitur, dum in templo Dei nemus plantari prohibetur, & cuncti ſcimus, quoties in foliis male laetae ſegetis culmi proficiunt, minori plenitudine ſpicarum grana turgeſcunt*. Profecto qui in praeceptis Rhetoricæ attentionem ſuam defigit, minorem habebit ad ipſam doctrinam, & tempus ac vires deficient ad majorem illius copiam colligendam, minorque proinde eſt ea, quam quis aliis communicet, qui ipſam expoſcant. Ceterum dictionem ad leges grammaticæ exactas in omnibus S. Gregorii operibus nemo eſt qui non videat, ſibique non raro occurrent, quæ antiquiores majori cum venuſtate non fuiſſent eloquuti. Abſit igitur ut quis credat Sanctum hunc Pontificem humanioribus literis & gravioribus philoſophiæ & matheſeos diſciplinis inimicum, prout viſus fuit Bruckero, qui quammaxime iniquum ſe exhibuit in ſuis contra S. Gregorium cenſuris, quæ non parum deturpant ſuam de philoſophia hiſtoriam (1) ceteroqui multis nominibus commendabilem, ut poſt Io. Hieronymum Gradenigum (2) recentius brevi & dilucide demonſtravit Tiraboſchius (3) merito reiiciens inter inſignes hujus heterodoxi hallucinationes omnia quæ contra hunc Sanctum Doctorem iterum iterumque protulit argumenta.

894. II. Obiicitur a Jo. Pico Mirandulæ Domino. Veritates, quæ in philoſophia, matheſi, jurisprudentia, aliiſque diſciplinis docentur, evadunt dubiæ ſi ornate proponantur; Poteſt enim quis jam timere, ne vis qua intellectus ſentit ſe rapi ad illarum aſſenſum, naſcatur potius ab artificioſo modo, quo exponuntur, quam a cognito ipſarum merito: ergo eæ non ſunt ornate proponendæ.

Reſp. *nego ans, & probationem*, cujus falſitatem nemo non videt, qui Dialecticam novit, quæ inſtruens mentem de modis ſciendi, longe illam removet ab omni periculo non diſtinguendi verum a falſo aut veriſimili. Ceterum cum hæc Picus dixerit in epiſtola ad Hermolaum Barbarum, illud addidit ſe hæc pro defenſione incultæ dictionis in diſciplinis tradendis ſcripſiſſe eo animo, quo Glauco apud Platonem laudavit injuſtitiam, ſcilicet ut occaſionem traderet Socrati proponendi nova contra illam argumenta.

895. III. Obiicitur. Licitum eſt vulgaribus & indoctis hominibus componentibus reſpublicas, ſtatuere ex arbitrio voces, & vocum ſigni-fica-

(1) Bu. *Hiſt.* to.3
(2) Gr. S. Greg. vindic.
(3) Ti. *Stor.* Lett. to.3 l.2

ficationes & complexiones : ergo multo magis licitum eſſe debet philoſophis conſtituere modum loquendi ſibi proprium.

Reſp. nego imprimis *ſuppoſitum antec.* quod vulgares, & indocti conſtituant linguas, quæ ſunt in uſu apud cultas gentes. Academiæ enim apud pleraſque illarum comparatæ ex ſapientioribus, & deſtinatæ ad perfectionem linguæ, aut ſententia eorum qui docti reputantur, quæ ſolet obſervari circa novos loquendi modos, palam faciunt ſuppoſiti falſitatem. Deinde hoc diſſimulato, *nego ipſum ans*, ſi contendat arbitrium vulgi extendere ad commutandas voces, & leges circa illarum uſum ſemel ſtabilitas, & receptas. Furor in hoc haberetur directe oppoſitus linguarum fini, qui ad idearum communicationem tendit non ſolum inter præſentes cum præſentibus, ſed etiam cum majoribus & nepotibus, cujus loco admiſſa hac licentia ſequitur jam horribilis confuſio, quæ commercium perturbat inter præſentes, & omnino tollit inter eos, qui ſua nobis monumenta ſcripta reliquerunt, quæ jam ad ænigmata tranſeunt ex dictis ſupra (n. 514. & 672.). Sed toto etiam antecedenti omiſſo, *diſt conſeqs.* Licitum eſt philoſophis condere modum loquendi ſibi proprium in aliquibus vocibus, quæ ſibi ſolis occurrunt, *conc. conſeqm:* in toto ſermonis contextu, qui aperte negligat receptas linguæ qua utuntur leges, & nova pro uſitatis condat ad arbitrium vocabula, *nego conſeqm*, quia philoſophi ſunt pars quædam reipublicæ, eaque numero minima: nulli autem privato, nec paucis licet introducere novas loquendi formulas aut voces pro receptis jam & uſitatis. Poteſt Imperator jus civitatis hominibus pro ſuo arbitrio tribuere, non vero vocibus, dixit jam auctore Dione (1) coram Tiberio M. Pomponius Marcellus alibi (n.702.) commemoratus, unus ex iis, quos de nocte Tiberius ſollicite convocavit ad conſulendum an inter latinas poſſet admitti dictio, quæ ipſi effugerat in cujuſdam legis promulgatione, dixit inquam contra celebrem apud Juriſperitos Atteium Capitonem, qui cenſuerat eam etſi revera nunquam uſitatam poſſe in gratiam Imperatoris donari latinitate.

896. Injuriam igitur reipublicæ faciunt philoſophi, qui ſibi jus novam quodammodo linguam condendi arrogent, & dignam proinde hac culpa pœnam ſubibunt, ſcilicet ut ſecum dumtaxat vel cum paucis ſibi ſimilibus loquantur. Contentos igitur oportet eſſe philoſophos facultate utendi particularibus quibuſdam vocibus, quæ ſunt quodammodo propriæ ipſorum artis & ſcientiæ, & plerumque uſitatæ ad compendium & perſpicuitatem eloquutionis, quam ſoli quidam immoderati & propter hoc ipſum neglecti critici legitimam negabunt eſſe, ut Carpovius (2) & Horvatus (3) obſervant poſt Quintilianum qui ait (4) *Voces ens & eſſentia cur tantopere aſpernemur non video, niſi quod iniqui judices adverſus nos ſumus, ideoque paupertate ſermonis laboramus.* Tullius ipſe jam dixerat ut

(1) Di. l.57
(2) Ca. Perſc. ling. n.123
(3) Ho. Inſt. Logi. n.45
(4) Qu. l.8 c.3

ut ſupra (n.864.) videmus *Dialecticorum verba nulla ſunt publica, ſuis utuntur, & id quidem commune omnium fere eſt artium*. Quod fuſius expoſuit & comprobavit ſub initium libri tertii *de Finibus*.

897. Addo non ſolum licitum eſſe in quavis diſciplina, adhibere voces aliquas ipſi proprias, ſed etiam neceſſarium novas aliquando excudere pro novis, quæ in illis fiant, inventis. Quibus ſemel definitis, ſi opus eſt, libere deinceps ſine ullius juſtæ reprehenſionis metu utendum, ut paſſim videmus contingere in tractatibus Geometricis, Analyticis, Phyſicis, cujusvis demum ſcientiæ & artis, quae diligenter excolatur. Quin immmo ſapientiorum irriſiones incurreret, qui Eraſmum Roterodamum, aliosque (n.620)imitaretur, qui praeteritis ſaeculis nequid non latinum dicerent, ſuamet nomina ſequuti aliquam etymologiam in alia commutarunt ſin minus latina, ſaltem graeca: & ipſa etiam Chriſtianæ Religionis Sacramenta, & ritus per formulas expreſſerunt, vel potius profanarunt, quibus Ethnici ſuperſtitioſas ſuas caerimonias ſignificabant.

ARTICULUS III.

De fugiendis a doctoribus verbis diverſarum linguarum, & figuris propriis oratorum.

898. SEcunda haec propoſitionis pars ſuadetur I. quia quae partibus conſtent inter ſe diſſonis vitioſa ſunt. Hujusmodi eſt ſermo doctrinalis permixtus verbis diverſarum linguarum: ergo vitioſus eſt. Itaque ſicuti quæ volumus grata ſenſibus accidere, componimus ex partibus, quæ modo quodam nec violento nec inſolito invicem coniungantur, ita quæ volumus grata eſſe menti auditorum, opus eſt proponantur per ſermonem uniformem. Hic mentem ad rerum conſiderationem allicit, in eaque retinet, abruptus vero aliarum linguarum verbis attentionem diſtrahit, & moleſtiam creat.

899. II. Quia ſermonem ex diverſis linguis contextum pauci profecto intelligent; cum etiam inter doctos plus nimio rari ſint Mithridates, cui ut fertur familiares erant linguæ plusquam viginti, quandoquidem ipſi ut ait Card. Pallavicinus (1) *ſuppoſita brevitate vitæ ac limitatione intellectus emunt ſcientiam rerum ſublimium per ignorantiam rerum infimarum*, cujusmodi eſt exoticarum linguarum peritia, earum ſaltem, quæ nihil conferant ad profundiorem alicujus ſcientiæ, & præſertim divinarum ſcripturarum intelligentiam. III. quia ex tanta cujusvis temporis & regionis auctorum multitudine aliqui ſolum ſcribendi rationem diverſis linguis intertextam adamarunt, ceteri autem eam vel omnino abhorruerunt, ut ſupra (n.854.) oſtendimus, vel parce admodum peregrinis vocibus tamquam ſale ſermones ſuos aſperſerunt, & quoties integros

(1) Pa. in 1. 2 di.2 q.2 ar.4

Digitized by Google

tegros contextus ex exteris linguis opportunum duxerunt afferre, eos in ſuam etiam linguam converſos exhibuerunt, numerantes contrarium uſum inter maxima ſermonis vitia, utpote illius inſtitutioni directe oppoſitum, & inter falſa judicia illud quod eruditionem definiat eſſe non ſolum cognitionem de iis quæ alii ſcripſerint, ſed de ipſa conjunctim lingua in qua ſcripſerint, ita ut ineruditus dici debeat qui alterutrum dumtaxat noverit.

900. Si hæc principia communiter recepta condemnant linguarum permixtionem in decurſu ſermonis, multo magis improbat ipſum titulum, exotica prorſus lingua propoſitum, uti fecit Franciſcus Perez, qui Florentiæ edidit anno 1781. *Tri-lichanon-goni-arith-metron*, vocabulum abſurde compoſitum ex quinque verbis græcis, quo ſignificare intendit *inſtrumentum cum triplici indice ad angulos numerandos & menſurandos*: vel titulum conſtans diverſarum linguarum vocibus, qualis apparet in libello *Triſmi tonici cum anepithymia agrypnia &c. curatio per magnetem facta*, quem profeſſor Academiæ Friburgenſis Matthæus Mederer anno 1780. protulit, & cujus ſummam referunt *Nuncii circa ſalutem humanam*, qui Florentiæ prodibant in num. 19. ejusdem anni 1780., qui ultimus etiam fuit hujusmodi nunciorum. Nonne ſatius erat in libro latine ſcripto idem omiſſis græcis vocibus per latinas ſic enunciare, *Convulſionis in maxilla cum taciturnitate, vigilia &c. curatio per magnetem facta*.

901. Qui non ſolum titulum libri italice ſcripti, ſed totam ejus texturam infecit diverſarum linguarum vocabulis fuit jam Franciſcus Columna, qui Venetiis in patria obiit anno 1527. plusquam octogenarius Ejus opus eſt referente Tiraboſchio (1) *Hypnerotomachia Poliphili*, hoc eſt pugna amoris in ſomnis amantis Poliam, quam Aldus typis ſuis ſubiecit anno 1499. fortaſſe ut multis ſatisfaceret, qui eam expetebant tamquam theſaurum omnis ſcientiæ. Sed nunc contemnitur non ſolum, quia neſcias de qua re agat, cum in hoc libro ſint fabulæ & hiſtoriæ, & quæ ad antiquitates, ad matheſim, ad architecturam pertinent, ſed præcipue quia ſcatet vocabulis græcis latinis gallis hebræis arabiis chaldaeis.

902. Tertia pars quæ reiicit hyperbolas ſymbola & figuras proprias oratorum, quorum munus eſt etiam affectus excitare, ſuadetur quia hujusmodi figuræ non conveniunt niſi animo, in quo acquiſita jam cognitio agitationem aliquam excitaverit; Sunt enim figuræ ut luculenter declarat Muratorius (2) naturalis ſermo perturbationum animi. Ubi igitur communicari aliis debet ignoti alicujus objecti cognitio figurarum uſus nunquam non erit præpoſterus. Relinquendæ hæ ſunt auditoribus, qui poſtquam objectum bene jam a ſuo Doctore perceperint, eas fortaſſe ir

(1) Ti. Stor. lett. to. 6 p. 2 l. 3 c. 3 n. 27.

(2) Mu. Perf. poeſ. l. 2 c. 14

in ſermonibus quos ſecum habeant, pro ipſius merito adhibebunt. Obſervandum præterea eſt Doctorem ſimilem eſſe hiſtorico; ſicuti enim hic veritatem facti, ita ille veritatem juris ut ita dicam proponit, & utriuſque munus eſt veritatem exponere claritate qnam poteſt maxima, ut alios ad ejus attentam contemplationem invitet, in eaque totos quodammodo defigat. Atqui huic muneri officiunt hyperbolæ ſymbola & figuræ propriæ oratoribus; Nam hæc diverſas procreant imaginationes, quæ cogitationes perturbant & debitam veritati imminuunt attentionem: quod bene norunt mali homines increduli, qui ut multos ſibi impietatis ſuæ ſocios adjungant, ſancta religionis dogmata ridiculis dicteriis apud vulgus elevant, & ſua impia ſpecioſis dictis diſſeminant. Abſint igitur in diſciplinis tradendis tropicæ loquutiones, impedimenta doctrinæ quæ ignaris communicetur, non ornamenta.

903. Confirmat argumentum S. Thomas, qui de Platone dicit (1) *habuit malum docendi modum, omnia enim figurate dicit & per symbola docet intendens aliud per verba quam ſonent ipsa verba, ſicut quod dicit animam eſſe circulum?* Confirmat & Tullius qui ait (2) *mollis ſit oratio philoſophorum & umbratilis, nec ſententiis nec verbis inſtructa popularibus, nec juncta numeris ſed ſoluta liberius; nihil iratum habens nihil invidum nihil atrox nihil mirabile nihil aſtutum*. Confirmat nuper Storchenaus qui ex iisdem rationibus concludit (3) *Sit ergo ſtilus philoſophi planus, nitidus tamen: abſtineatur a tropis & figuris ceteriſque elegantiis.*

Articulus V.

De fugiendo a doctoribus sermone vulgari.

904. Quarta propoſitionis pars, quæ poſtulat ſermonem non vulgarem in tradendis diſciplinis gravioribus, dum declaratur, ſuadetur. Itaque ſermo non vulgaris eſt ſermo non ſolum nullis erroribus inquinatus contra leges grammaticæ, nec vocabulis conſtans inuſitatis, vel in alio ſenſu uſurpatis ab illo bonorum auctorum, ſed etiam aliquo modo ornatus. Quare obſervare oportet diverſa ornamenti genera, quæ ſermo ſuſcipiat, ut ſtatuamus. quibus Doctor hujuſmodi facultatum uti debeat, & a quibus abſtinere. Unum ornamenti genus eſt periphraſis, quando ſcilicet ſtudioſe pluribus verbis dicitur, quod remoto ſtudio paucioribus dictum fuiſſet, Hoc viderint qui docent, an in quibuſdam ſaltem diſciplinæ partibus, æque gratum eſſe poſſit, ac plerumque grata eſt brevitas, quia qui ad illos audiendos occurrunt, ſunt quaſi famelici hoſpites, quibus moleſtum eſt lente dapes apponi, ut detur locus obſervandi elegantiam & varietatem apparatus, vel æſtimandi peritiam canto-

(1) S. Th. in 1. de anim. lc.8
(2) Tu. de orat. n.12
(3) St. Logic. n.83 §.5.

cantorum, & harmoniam ſonorum, qui ad completum convivii ſplendorem adhibeantur. Equidem video gratos eſſe, qui interrogati de re aliqua adhibent reſponſionem in qua nihil eſt ſupervacaneum: & rurſus ingratos qui ſecus faciunt. Atqui quotquot ſcholas adeunt, ſunt totidem interrogantes: igitur multo magis iis ſatisfaciet, qui in docendo ſtudioſe luxuriem omnem verborum vitabit.

905. Alterum ornamentum eſt metatheſis, quando ſcilicet invertitur verborum ordo, quem regulæ grammaticales expoſcerent. Hujus uſum prudentia doctoris determinabit ad eos limites, qui claritati, quæ eſt primarii ſui inſtituti, non officiat. Tertium ornamentum eſt uſus verborum nobilium, allegoriæ, & frequentis metaphoræ a rebus illuſtrioribus deſumptæ. Hoc philoſophus agens de abſtruſioribus cognitionibus reſpuet, quia periculum eſſet, ne difficiliorem redderet intelligentiam veritatis, eamque hac via non tam ornaret quam occultaret. Hac de cauſa factum credo, ut Heraclitus, Tullio (1), & Vitruvio (2) referentibus, σκοτεινός hoc eſt tenebroſus appellaretur, de quo Lucretius dixit, quod eſſet (3):

Clarus ob obſcuram linguam magis inter inanes;
Omnia enim ſtolidi magis admirantur, amantque
Inverſis quæ ſub verbis latitantia cernunt.

906. Quartum poſitum eſt in modo dicendi, qui humaniorum literarum culturam ſapiat. Hoc elucet in verborum proprietate, & apta eorum collocatione, in synonimis opportune poſitis ad ſatietatem fugiendam, in uſu figurarum, ſive ſint verborum, ſive ſententiarum, in omni demum eruditione, quæ totam doctrinae claritatem relinquens eidem claritatem quamdam ſuperaddat. Hoc enim vero ornamentum requiri a quovis doctore ſuadetur, quia ſi adſit, auditur aut legitur a multo pluribus, quam ſi deſit. Tunc enim indocti recuſabunt duplex faſtidium tolerare, alterum doctrinae per ſe non obviae, alterum aridae & incultae dictionis: Docti autem repetent illud Tullii (4), *mandare quemquam literis cogitationes ſuas, qui eas nec diſponere, nec illuſtrare poſſit, nec delectatione aliqua allicere lectorem, hominis eſt intemperanter abutentis otio & literis. Itaque ſuos libros ipſi legunt cum ſuis, nec quiſquam attingit præter eos, qui eamdem licentiam ſcribendi ſibi permitti volunt.*

907. Vitruvius, qui paſſim ab eruditis de tenui, & plebeja dictione accuſatur, confirmat hujus ornamenti neceſſitatem: & multo magis qui ſtudioſe oſtenderunt quam præclare humaniores literæ meritæ ſint de progreſſu & dignitate omnium diſciplinarum, de quo argumento extant duo ſermones in Academia Toloſana Ludorum Florallum anni 1753., de quibus

(1) Tu. de Fin. l.2 c.5 n.15
(2) Vi. l.2 c.2
(3) Lu. l.1 v. 640
(4) Tu, Tuſc. l.1 n.6

quibus mentionem faciunt Trevoltiani (1). Quid plura? Ipſam divinarum rerum tractationem ornate jubent proponi Auctores omni exceptione majores Origenes, Cyrillus Alexandrinus, Gregorius Nazianzenus, Hieronymus, Auguſtinus aliique, quorum luculenta teſtimonia abunde collegit Petavius (2). Proprietati præcipue verborum ſtudeat Doctor, quæ ſola ſecum trahit eximias ſermonis dotes, claritatem brevitatem & ſplendorem: claritatem quidem & brevitatem, quia verba propria ſunt quaſi totidem nomina appellativa, quæ ſtatim totius rei clariſſimam ideam excitant: ſplendorem autem quia unum verbum ſe ſolo ſignificans quod alterum genericum non poteſt niſi conjunctum cum aliis ipſum determinantibus, eſt quaſi nummus, qui eo nobiliorem materiam demonſtrat, quo major aſſium copia illi æquivaleat.

908. Quando quis in docendo adhibeat latinam linguam, non peccabit contra verborum proprietatem, ſi immiſceat cum verbis auctorum aurei ſæculi illa ſequioris ævi, præſertim loquens de rebus, de quibus non habentur verba propria apud primos, vel quia de iis non egerunt, vel quia non extant omnia eorum ſcripta, & ſi utatur phraſibus quae ſunt plurium verborum complexio, ignotis fortaſſe Auguſti ætate; Lingua enim Latina, ſin minus quis velit dici nunquam ex quo bene formata extitit interiiſſe, ut ſupra propugnavi, nemo tamen negat vivam fuiſſe ſub multis etiam poſt Auguſtum imperatoribus, nec tunc caruiſſe ſcriptoribus ingenio & ſtudio præclaris, qui alias excuderunt formulas, quæ ad ubertatem non corruptionem linguæ dicendæ ſunt pertinere.

909. In figuris, quæ etiam in philoſophicis ſcriptis requiruntur, non ſunt omittendæ tenues ut ita dicam, & modeſtæ metaphoræ, eæ præſertim, quas ut ait Cicero (3) *neceſſitas genuit, poſt autem delectatio celebravit*, & quæ apud politiores in uſu ſunt communi ut vix figuræ cenſeantur. Itaque malumus etiam a docentibus audire cum Plauto, *quo evadat neſcio*, quam neſcio in quem finem loquatur: aut cum Terentio, *Veritas odium parit*, quam veritas eſt cauſa odii, aut cum Tullio, *Amputata circumciſaque inanitate omni & errore*, quam abſque omni inanitate & errore. Cum ornato hoc ſermone, de quo loquimur, optime componuntur Syllogiſmi, qui quando rite ſint expoliti juxta leges Dialecticæ, ſemper delectant; Si enim placent repetitiones aliquorum verborum opportune adhibitæ in ſermone familiari, & etiam in oratorio & poetico, quia ſicuti ſenſibus, ita etiam menti grata accidit major objectorum impreſſio, quanto magis placeat neceſſe eſt ea repetitio, quæ vel novam cognitionem producit, vel eam, quæ minus clara eſt, mirifice illuſtrat, ſicuti accidit in Syllogismo. His proinde philoſophus locum dabit, ubi veritatem brevi ſuadere intendit. Cum eodem componuntur etiam quævis formulæ iterum atque iterum propoſitæ, quas uſus quidam

(1) Tre. ann. 1753 ar. 7
(2) Pe. Dogm. c. 7 a n. 5
(3) Ci. de Orat. l. 3

Digitized by Google

dam non arbitrarius, ſed optimis rationibus inductus & confirmatus ſtabilivit.

910. Hoc pacto gratum eſt audire Geometram concludentem ſuas demonſtrationes per illa verba, quod erat demonſtrandum, ſi agat de theorematis: aut quod erat inveniendum ſeu faciendum, ſi de problematis. Itidem quod Doctor confutet adverſarios ſingillatim proponens illorum rationes modo, qui efficacior & brevior eſt, per ſyllogiſmos, quibus quaſi viam aperiat per verbum *Obiicitur*, non ſolum non eſt ingratum legentibus, ſed multo magis quovis alio modo apud eos, qui ad diſcendum ea ſolum, quæ ad propoſitum pertinent, aures & oculos adhibent. Novi quidem non deeſſe, qui minus id approbant: Sed cum horum ratio ſit, quia hoc ſapit uſum Scholaſticorum, quo nomine per illos veniunt Doctores anteactæ ætatis, quorum multi barbare loquuti ſunt, non eſt ratio, quæ attendatur a ſapientioribus, qui volunt vitandam quidem majorum licentiam condendi ignotam Latinitatem, laudandam tamen imitandamque eorumdem rationem docendi per ſyllogiſticas objectiones & reſponſiones, utpote quæ rem ad vivum reſecantes efficacius etiam mentem ab errore removent, & omnium optime exequitur laudatum Horatii præceptum (1)

Quicquid præcipies, eſto brevis, ut cito dicta
Percipiant animi dociles, teneantque fideles.

Pro hac nuper contra ipſius oſores peroravit Flexier de Reval dicens (2) *uſus ſyllogiſmorum neceſſarius eſt in quavis ſcientia, maxime vero in iis quas error aggrediatur captioſis verbis habitum veritatis mentientibus*. Eamdem noſtra ætate ſequutus eſt Paras in ſuis *Elementis Metaphyſices* Gallice editis, tantoque cum plauſu acceptis, ut ſæpius jam diverſis in locis fuerint recuſa, eamdemque adhibuit Galilæus (3) ubi ſententiam aliquam ſuam, qualis ea de reflexione luminis a terra in Lunam tamquam cauſſa lucis ſubobſcuræ, quæ in toto globo lunari circa conjunctionem apparet tueri voluit ab oppugnationibus in eam editis a Fortunio Liceto.

911. Obiicitur. Quaevis veritas ad quamvis ſcientiam pertinens ipſa per ſe pulchra eſt, & non ſolum non indiget ornamentis ut mentem ad ſe alliciat, quin potius ea recuſat tamquam fucos qui ipſi officiant, aut velum quod eam occultet: ergo philoſophi loquutio opus non eſt ſit ullo modo ornata. Sunt qui dum agitur de ſacra doctrina objectionem promovent obtrudendo quaedam SS. Patrum verba, quae perperam exiſtimant ſibi ſuffragari. Hujuſmodi ſunt ilia S. Gregorii M. in epiſtola ad Leandrum praemiſſa ſuae Expoſitioni libri Job, quam ſupra (n.893.) planum feci adverſariis non ſuffragari, & haec praeterea (4) *Doctrina ſapientiæ prædicatione pulchra eſt, pura veritate conſpicua, nec aliud ſe* per

(1) Ho. de Arte.
(2) Fl. Catec. phi. l.4 c.7 ar.5 §.1
(3) Ga. Sul candore lunar.
(4) Gr. Mo. l.18. c.17

per fallaciam prætendit exterius, & aliud reſervat interius, neque in dictis ſuis pulchra videri appetit nitore ſermonis ſed integritate veritatis: quibus conſonant multae aliorum SS. Patrum & Philoſophorum ſententiae apud Petavium (1).

Reſp. diſt. ans. Atque ea dici poſſunt de veritate prout apprehenditur a mente, *conc. ans*, prout proponitur ut alii ipſam apprehendant, *nego ans & conſeqm*. Hac diſtinctione nihil aequius aut verius. Nam diverſus eſt Philoſophus cognoſcens veritatem ab illo qui eam docet. Primus jam eſt in conſpectu veritatis quam contemplatur: at ſecundus eſt quaſi pronubus qui alios ad eam adamandam invitat. Quae autem erit amotio, ſi incondita verba ſunt invitatio? Qui alios doceat ſimilis eſt inquit Card. Pallavicinus (2) ei qui offert ſitienti liquorem. Nonne dementia eſt cum poſſit exhiberi in aureo & mundo vaſe, illum offerre in ſordido & foetenti, quod ſolo viſu moveat ſtomachum? Quod ſi doctrina ſit prima ſpecie aſpera & difficilis, cujusmodi eſt quaevis ſcientia paulo abſtruſior, tanta opus eſt ſollicitudine de expolita loquutione, ut etiamſi ea appareat, non vertatur vitio, quia in philoſopho non conjungitur ſicut in oratore cum ſuſpicione fraudolentiae, ſed potius laudi, quia elegantia dicendi fidem videtur facere de excellentia doctrinae & docentis.

912. Quod pertinet ad novam S. Gregorii auctoritatem objectam; ille ibi non dicit repudiandam elegantiam in exponenda ſacra doctrina, ſed ſolum advertit ineſſe illi intrinſecam pulchritudinem, & longe proinde differre a mundi ſapientibus, *qui* ut immediate ante dixerat *cum virtute rerum careant, aliud ſe eſſe quam ſunt, verborum compoſitionibus quaſi ſuperductis coloribus mentiuntur*. Ex aliorum autem dictis, ut ex illo Manilii (3).

Ornari res ipsa negat, contenta doceri,

nihil aliud eruitur, niſi non admodum flagitandam eſſe eloquentiam ab iis qui ſeveriores diſciplinas & maxime ſacras pertractant, eamque negligendam, quae ad oblectandos potius quam juvandos auditores videtur accommodata, prout ſupra (n.803) jam diximus.

PROPOSITIO IV.

Communicatio idearum doctrinalium quatuor poſtulat regulas, quas eo ordine quo hic proponuntur opus eſt obſervare.

913. Harum regularum complexio vocari ſolet methodus docendi quam cum Caſilio definiam (4) *Eorum quæ in diſciplina traduntur apta diſpoſitio ſecundum prius & poſterius*.

Ia. Ita-

(1) Pe. Dogm. the. prol. c.7 a n.1
(2) Pa. dello Stile c.4
(3) Ma. l.3.
(4) Caſ. Introd. in logi prolu. c.5

Ia. itaque regula hæc eſt. Quivis terminus qui obſcurus vel æquivocus eſt, definiatur per terminos cognitæ ſignificationis, neque in alio ſenſu quam definito adhibeatur deinde in tota rei tractatione. Quando hæc regula non appareat in libris qui ad informandos rudium animos in aliqua diſciplina ſcripti dicuntur, jam ut inutiles ad hunc finem haberi debent. Fortaſſe qui aliunde facultatem illam norunt, invenient aliquid quod placeat. Sed mirandum non eſſet, ſi multa invenirent quæ condemnarent. Nam qui de re aliqua ſcribit negligens hujusmodi regulam ſimilis eſt viatori qui nullo facem præferente iter maxime impeditum concubia nocte aggrediatur. Multum hic laboris ſuſtinebit, parum itineris conficiet nec gravi fortaſſe & frequenti carebit vitæ periculo. Simili modo qui nominum negligit definitiones, laboris plurimum, fructus parum, & damnum forte non mediocre reportabit in falſitatibus tamquam veritatibus aſſerendis, vel in reiicienda cujuscunque rei certitudine, quemadmodum accidit ſcepticis antiquis & recentibus.

914. Ad hanc regulam pertinet, ut qua lingua quis utatur ad docendum vel voce vel ſcripto, eamdem calleat; Nam non ſolum verum eſt illud Horatii (1)

Scribendi recte, ſapere eſt principium & fons:

Sed hoc etiam, quod inverſo modo liceat ſic efferre.

Scribere recte, eſt & ſapiendi principium, & fons.

Tanti momenti eſt hæc prima regula cum hoc ſuo corollario ſive additamento ut tribus illam in anteceſſum propoſitionibus voluerim declarare. Illud hic addo quod cum veteres Chemiæ Scriptores non ſolum hanc regulam non ſervaverint, ſed prorſus contrariam ſibi ſtatuerint commutantes ipſa rerum de quibus agunt nomina vulgo cognita & uſurpata, cum aliis quæ ita diverſarum rerum ſunt propria, ut nullam cum illis analogiam habeant, ideo paſſim jam contemnuntur tamquam homines, qui (2) *ignorantiæ ſuæ velum eo more obtenderent, ſaltem alienæ lucem non afferent*, ut inquit Io. Freindius, unus ex recentioribus, quos jam multos habemus, qui inter veros hujus artis doctores jure recenſentur.

915. IIa. regula, Principia aſſumpta ad ulteriores veritates circa rem propoſitam ſtabiliendam ſint omnino extra controverſiam non quidem apud Pyrrhonicos, ſectam, ut ait Auctor artis cogitandi (3) non jam philoſophantium ſed mentientium, neque apud cavilloſos, qui honori ſibi ducunt, turpitudinem contradicendi aliquo modo veritati, de qua jam intimo ſenſu ſunt perſuaſi, ſed apud homines qui ſinceri & honeſti ſint.

IIIa. Quævis propoſitio indigens argumentis, quibus ſuadeatur, non aliter probetur, quam per præpoſitas definitiones aut principia recepta aut propoſitiones jam demonſtratas, quæ omnia ad hunc finem ſuis opus

Eee eſ

(1) Ho. de arte poe.
(2) Fr. Prælec. chym. 1
(3) Art. pag. 13

eſt deſcendant diſtincta numeris, ut citata facile poſſint inveniri. Circa objectiones, quæ in aliquibus propoſitionibus occurrant, qui has poſt ſtabilitam jam & demonſtratam propoſitionem ſubjungat, ſingulis ſtatim reſpondens, ille brevitati & claritati magis conſulit, ut notavit Caſilius (1), quam qui eas acervatim anteponat, iisdem ultimo loco reſponſurus, quemadmodum aliquando fecit Ariſtoteles (2), & cum S. Thoma multi.

916. IV. regula, ſervetur quantum fieri poteſt ordo naturalis in re tractanda explicando ſcilicet primo quicquid pertinet ad ipſius genus, deinde ad ſingulas ſub eo genere ſpecies, & adhibendo in ſingulis convenientes diviſiones aut partitiones. Ad genus revocantur cauſſæ rerum & ad ſpecies diverſi ipſarum effectus. Bene itaque Philoſophus aggrediens doctrinam de Phyſica ex. gr. cæleſti, primo ſtatuit dari mutuam inter corpora cæleſtia attractionem tamquam unam ex cauſſis viſibilis ipſorum ſyſtematis, qua deinde utitur cum ordinatim ſingulorum motus declarat. Ratio incipiendi ab univerſalioribus in docendo ſatis obvia eſt, quia ut inquit Ariſtoteles (3) vel univerſalia prius explicare, vel idem ſæpe dicere neceſſe eſt, quod ſubabſurdum & prolixum eſt. Ratio vero adhibendi convenientem diviſionem eſt, tum ut certi ſimus nihil eſſe omiſſum quod ad rem pertineat: tum ut compta quodammodo ſit & non perturbata doctrina: tum ut ea facilius in mente conſervetur. Ex quo natum eſt tritum illud verbum, is bene docet qui bene diſtinguit.

917. Hanc quartam regulam dolet Duarenus ſervatam non eſſe a celebri Triboniano (4) in *tractando cuiusque tituli* (Pandectarum & Codicis Juſtinianei) *argumento*. Quamobrem inquit *ad profeſſoris munus maxime hoc pertinere exiſtimo, ut quæ diffuſa ac diſſipata ſunt, generatim deſcribere, & tum definitionibus tum diviſionibus ex arte petitis digerere atque illuſtrare ſtudeat*. Joannes deinde Comatus Claromonte in Alvernia natus eodem defectu accuſari poſſe totum corpus Juris Civilis oſtendit in ſuo opere *Leges civiles juxta ſuum ordinem naturalem*, cujus tertium volumen juxta Ladvocatum (5) lucem vidit anno 1697, a qua ejus auctor anno antecedenti deceſſerat ætatis ſuæ uno ſupra ſeptuageſimum.

918. Diſciplina quæ omnes hujus methodi regulas exacte obſervat, eſt Geomerria, & quæ in ea fundantur, vel ejus veſtigia ſequuntur, & vulgo mathematicæ appellantur. Geometria enim res de quibus agit, & nomina quæ ad ejus tractationem frequenter occurrunt, accurate primo definit, principia deinde ſtatuit indubitata quibus innititur in ſuis demonſtrationibus, quas diligenter contexit agendo primum de lineis & angulis, tum de triangulis & quadrilateris, circulis, & polygonis, aliisque planis figuris, & tandem de ſolidis, quorum ſingula ordinatim conſiderat.

919. Ni-

(1) Ca. Intr. in Logic. c. 5
(2) Ari. 1 Phyſic.
(3) Ar. de par. animal, l. 1 c. 4
(4) Du. de docen. jur.
(5) La. Dict. ar. Domat.

Digitized by Google

919. Nihilominus multo pauciores ſunt, qui in Mathematicis florеant, quam in aliis facultatibus, tum quia illis minus Reſpublica indiget: tum quia Geometria, quæ toti Matheſi facem præfert, eſt abſtracta quædam Metaphyſica, quæ arido & exangui dicendi genere utitur quod imperitos exterret, & eos ſolum ad ſui contemplationem admittit qui cum ingenio conjungant laboris tolerantiam. Quare obſervavit Tullius in ea, etſi eſt *recondita multiplex & ſubtilis, tamen ita multi perfecti extiterunt, ut nemo fere ſtuduiſſe ei vehementius videatur, quin quod voluerit conſecutus ſit*: tum tandem quia in progreſſu ejusdem ſtudii augetur ejusdem difficultas apud illos, qui non facile recordentur de iis, quæ jam perceperunt, & debent eſſe principia, quibus alia deinceps concluduntur. Quoties quis principia propter oblivionem amplius non poſſideat, jam ceſſat evidentia in iis, quæ ulterius inferuntur, & hinc faſtidium creatur, quod multos retrahit ab illius ſtudio, etiamſi cæteroqui magno illud animo fuerint aggreſſi. Atque his Walterus a Tſchirnhauſen cenſet occluſam eſſe viam ad phyſicam diſciplinam (1) *Impoſſibile quippe*, ſic ille, *fere videtur aliquem nobis ſingularia in phyſicis absque Matheſeos cognitione exponere poſſe, quod adeo verum eſt, ut viri licet alias modeſtiſſimi, ſe vix interim a riſu temperent, ubi audiunt homines Matheſeos penitus ignaros in phyſicis philoſophari, niſi id forte in talibus fiat, quæ ipſis ut dicitur oculis patent*.

920. Ex dictis colligo minime idoneos eſſe ad methodum docendi ſervandam, qui non teneant præcipuas ſaltem partes Dialecticæ (2) *diſciplinæ diſciplinarum*, ut ait S. Auguſtinus, *quæ docet docere, & docet diſcere: ſcit ſcire, & ſola ſcientes facere non ſolum vult ſed etiam poteſt*. Idem jam olim cenſuit Cicero, cujus eſt inter multa ipſius præconia, quæ apud Nizolium (3) videri poſſunt, illud inſigne quod Servium Sulpicium Rufum omnibus ſui & anteacti temporis juriſconſultis prætulerit (4) propterea quod in eo eſſet non ſolum juris intelligentia, ſed etiam ars illud docendi poſita in Dialectica, quæ in ceteris deſiderabatur. De methodo tum docendi tum diſcendi recentiores aliqui philoſophi, ut Jo. Clericus (5), & Janus Gualbertus de Soria (6) fuſius quam oporteat, ut etiam Buffierio (7) viſum eſt, tractant, nimis multas determinantes leges quæ in ſingulis ſervari debent. Cenſuram hanc adprobabit, qui eos patienter legat, concludetque tantam regularum & legum collectionem reduci tandem ad tres illos omnis diſciplinæ non controverſos cardines, definire dividere & demonſtrare, adeoque ad regulas modo dictas (8) *In legitimis definitionibus & diviſionibus conſiſtit totum methodi artificium*, inquit

(1) Tſch. Medic. men. pa. 3 p. 277.
(2) Au. de Ordi. l. 2 n. 38
(3) Ni. Theſa. Cic. art. Dialectica,
(4) Ci. de cla. orat. n. 40.
(5) Cl. Logic. p. 3
(6) So. Ratim. phil. p. 2
(7) Bu. Eclair. ſur le traitt de ver. n. 81.
(8) Hu. Hueciana n. 12

quit Huetius, qui accuſat de defectu in his duobus non ſolum pleroſque antiquos philoſophos, præſertim Platonicos, ſed alios etiam primi nominis Doctores quos ibidem nominat. Mihi ſatis eſt meminiſſe vehementem reprehenſionem, qua Tullius urget Epicurum concludens, quod (1) *ſi definire & dividere didiciſſet, ſi loquendi vim, denique conſuetudinem verborum teneret nunquam in tantas ſalebras incidiſſet*.

PROPOSITIO II.

Surdi & muti a nativitate habent communiter ideas proprias hominis ratione præditi, & illæ cujuſvis diſciplinæ præter muſicam poſſunt ipſis communicari.

ARTICULUS I.

Surdi & muti a nativitate habent communiter ideas proprias hominis qui uſum rationis habet.

921. HÆC propoſitio eſt contra aliquos, qui his ſurdis & mutis omnem vel fere omnem rationis uſum negant. In his eſt Storchenaus, qui ait (2) *Surdi ab incunabulis, ut ſimul muti ſunt, ita uti intellectu minime poſſunt*: Et Steinmeyer dicit (3) *abſque uſu ſermonis rationis uſus vix conceditur*. Idem dicuntur affirmare Bayles & Fontenelle. Itaque contra iſtos ſic arguo. Multi ex ſurdis a nativitate in magnis urbibus plerunque occurrunt; Horum certe numerus eſt longe major, quam vulgo creditur; Romæ enim proximis annis circiter centum inventi fuerunt, cum a magiſtratu, qui illorum numerum volens cognoſcere de eo Parochos interrogavit, qui utpote ſolliciti de omnibus & ſingulis ſibi ſubjectis propter eorum in chriſtiana religione inſtructionem ſibi demandatam, hunc protulerunt. Atqui hos ſurdos videmus vitam ducere in republica ad inſtar aliorum hominum, artes etiam egregie ediſcere & exercere, optime ſibi conſulere, res domeſticas prudenter adminiſtrare, a nemine tandem eos haberi pro pueris extra uſum rationis poſitis vel pro amentibus, vel pro brutis: ergo hi ſurdi habent communiter ideas proprias hominis ratione utentis.

922. Male profecto aliqui propoſitionem nobis contrariam contendunt ſuadere per exemplum juvenis Carnutenſis, qui ex dictis alibi (4) a nativitate ſurdus recuperavit auditum anno ætatis ſuæ 23, & compos factus.

(1) Tu. de Fin. l. 2 n. 10 Oliv.
(2) St. Pſychol. n. 63 ſchol. 1
(3) St. Pſycho. ration. n. 150.
(4) De Ideis n. 526 edit. 2.

Digitized by Google

factus linguæ quam audiebat intra quatuor menſes privati ſtudii obſervationis & exercitii in pronunciatione vocum quas apprehendebat, faſſus eſt nunquam ſe in ſtatu ſurditatis habuiſſe ideas, quas nunc habebat. Vera enim hiſtoria illum non exhibet niſi expertem legitimis notionibus de rebus inſenſibilibus, Deo, Anima, & Bono ac Malo morali, non vero de aliis, quæ uſum rationis poſtulant & manifeſtant, quem ipſe idem luculenter demonſtravit, dum ſurdi & muti perſonam ſuſtinuit, donec ſibi viſus eſt de lingua patria ſatis eſſe inſtructum. In his ſurdis experientiſſimus moderator ſcholæ quæ Romæ eſt pro illis, de quo inferius dicam, profeſſus mihi eſt ideam quidem Dei in nullo inveniſſe, & ne in eo quidem, qui ad ejus Scholam miſſus fuit vir potius quam juvenis: ideam vero juſti & injuſti ſive boni & mali moralis in ipſis paſſim deprehendiſſe. Dum idea Dei his ſurdis negatur, credo equidem negari ſolum ideam, quæ propria ipſi ſit, qualis eſt idea entis ſpiritualis perfectiſſimi, non vero negari alia idea minus propria, qualis eſt de quodam hominum & cæli ac terræ domino, a quo ſit dictamen rationis, quod ipſi in ſe ſentiunt, ſive lex præcipiens bonum morale & contrarium malum vetans, quem proinde ipſi colere debeant & revereri. Actus enim religionis, quos hi ſurdi vident ab aliis exerceri, hujusmodi ideam naturaliter excitant.

923. Multo minus opportunum eſt aliud exemplum allatum a Steinmeyer(1) ex Bernardo Connor de puero decem circiter annornm, qui anno 1694. in ſylvis ad confinia Lithuaniæ & Ruſſiæ inventus fuit inter urſos, cum quibus adolevit pedibus manibusque una cum illis reptans, hirſutus, & omnis loquelæ expers, in quo nulla reperta fuerunt indicia rationis; Non enim hæc dicam defuiſſe ex defectu loquelæ, ſed ex tota ſerie vitæ inter feras tam diuturne peractæ. Ex manifeſto uſu rationis in ſurdis & mutis adultis, & ſufficienti Dei & boni ac mali moralis cognitione infertur illos capaces eſſe meriti ac demeriti, adeoque opportunum eſſe eos inſtruere de officiis, quæ erga Deum & alios exercere debent, ut ſibi vitam æternam acquirant & damnationem effugiant, & ſingulari dignos eſſe commendatione, præmioque immortali quotquot eorum inſtructionem ſuſcipiant. Quod S. Jo. Chryſoſtamus dixit (2) *omni certe pictore, omni certe ſtatuario, ceteriſque huiusmodi omnibus excellentiorem duco, qui juvenum animos fingere non ignoret*, quanto potiori jure dici poteſt de horum ſurdorum magiſtris. Quare ſi ad gloriam principum pertinet prædictas liberales artes promovere, non minus glorioſum illis erit artem fovere, quæ veros homines propter ſurditatem depreſſos infra communem aliorum conditionem ferme pares ceteris reddit, quod plane plures intellexerunt, qui ſcholas pro his ſurdis jam ſtabiliverunt, quos inferius recenſeam. Hæc dico contra illos, qui ex falſo præjudicio de negato illis uſu rationis, credunt ex hac vita decedentes cum

(1) St. Pſych. rati. n. 202. (2) Ch. hom. 60 In c. 18 Matt.

Digitized by Google

cum baptiſmo caeleſtis beatitudinis compotes omnes fore ad inſtar infantium, qui eo ſacramento ſuſcepto moriantur

ARTICULUS II.

Surdi & muti a nativitate poſſunt quamcunque ſcientiam praeter muſicam doceri.

924. HÆC propoſitio extra controverſiam poſita eſt ab alunnis ſcholarum, quæ pro his Pariſiis, Vindobonæ, Romae, Neapoli, & in inſula Melitæ noſtra hac ætate inſtitutæ ſunt. Ex his enim prodeunt de lingua ſuæ cujusque gentis, de arte ſcribendi, de myſteriis chriſtianæ religionis, & de diverſis diſciplinis ita inſtructi, ut poſſint interrogationibus apte ipſis propoſitis ſatisfacere, & ſtatim approbare veras propoſitiones, quæ circa illa, de quibus inſtructi ſunt, ipſis communicentur, ac falſas reiicere & corrigere. Sæpius ipſemet admiratus ſum mutos Romanæ ſcholæ diſcipulos appoſite ſignificare ſcripto vel geſtu & etiam voce, etſi abrupta lenta & abſona quascumque ideas de rebus etiam ſupernaturalibus, de myſteriis religionis chriſtianæ, de ſacramentis poenitentiæ, & euchariſtiæ, ad quæ proinde admiſſi fuerunt, erroresqne eorum emendare, qui ad cognoſcendam acquiſitam ab illis intelligentiam vel grammaticæ vel doctrinæ chriſtianæ conſulto errorem aliquem incluſerunt in propoſita ipſis de his rebus in ſcriptis interrogatione.

925. Quid plura? veritatem noſtræ propoſitionis in meridiana ut ita dicam luce ponunt, qui libros a ſe perſcriptos in publicam lucem emiſerunt, qui planum faciunt se penitus apprehendiſſe ſingulas orationis partes quas grammatici diſtinguunt, quæ cognitio pertinens ad quamdam metaphyſicæ ſpeciem omnino neceſſaria eſt ad opportunam eloquutionem, eosdemque demonſtrant noſſe regulas ratiocinandi, aliasque cognitiones quas requirunt argumenta de quibus ſcribunt. Ex his libris commemorabo illum qui gallice prodiit Amſtelodami anno 1779. cum hoc titulo *Obſervationes ſurdi & muti*. Anthologia Romana (1) meminit etiam de quodam Desloge, qui anno ætatis ſuæ ſeptimo ex horrendis variolis, quæ aures os & labia ita deformarunt, ut non ſolum ſurdus, ſed omnis etiam pronunciationis incapax evaſerit, qui tamen librum per typos publicavit circa quæſtionem an ſurdi & muti melius ac utilius inſtruantur per geſtus, quam per obſervationes, quas jubeantur facere circa motus oris gutturis & vultus, qui fiunt a loquentibus, Ipſum argumentum libri declarat ſe parem factum fuiſſe ad eum componendum ex cognitione linguæ acquiſita per obſervationes, quas habuit in ſtatu ſurditatis, quod ex eo etiam infertur, quod ea ætate ſurdus factus fuerit, qua communiter

(1) Ant. ann. 1780 n. 2

Digitized by Google

ter non habetur ea linguæ cognitio, quæ requiritur ad libros conficiendos qui in publicam lucem emittantur.

926. Quod verborum pronunciationem, adeoque loquelam nobis quidem auritis ſenſibilem non illis, acquirant, etſi magno cum labore & ſtudio, certo cognoſcet per experientiam, quam quisque capere jam poteſt accedens ad horum ſurdorum ſcholas, in quibus aliqui ſemper ſunt, qui modum etiam loquendi jam didicerunt. Quare facilius credet, quod Kenelmus Digbæus nobilis Anglus, & celebris maxime propter calamitates cum bonorum publicatione toleratas pro catholica religione, Londini mortuus anno 1665. ætatis ſuæ ſexageſimo (1) teſtatur fratrem Comitis Stabuli Caſtellæ, natum ſurdum didiciſſe *verba proferre perfecte, aliosque ſecum colloquentes tam perfecte intelligere, ut per integros dies in crebro hominum conſortio verſatus ne verbum quidem perire pateretur*. Verba ſunt Gaſparis Schotti (2), qui totam hanc hiſtoriam ex Digbæo deſcripſit.

927. Argumentum illuſtrabo commemorando celebres aliquos horum ſurdorum præceptores. In his primo mihi occurrit quidam S. Benedicti Monachus, cujus artem in his ſurdis edocendis admiratus eſt ejusdem amicus Franciſcus Valeſius (3) qui circa annum 1560. floruit, quoniam medicus fuit Philippi II. Hiſpaniarum regis. Alter eſt Hispanus pariter homo, qui ante annum 1655. mutum, de quo loquitur Digbæus edocuit, & librum etiam ſuo idiomate dicitur, ſi bene memini, ab Jo. Conrado Amman, ſcripſiſſe de arte qua ſurdi & muti ad loquendum deducantur. Tertius eſt Petrus a Caſtro, a quo habemus diſſertationem *de loquela mutis & ſurdis reddita* publici juris facta anno 1670. in Miſcellaneis Academiæ Curioſorum (4). Quare non eſt verum quod Anthologia Romana (5) dicit *hanc artem non eſſe noſtro ſæculo antiquiorem*.

928. Huic quidem ſæculo adnumerari primo poteſt laudatus nuper Amman, Helvetus, quoniam in hoc pleno caritatis munere ſtudioſe ſe exercuit, & diſſertationem etiam circa illud edidit anno 1700., cujus epitomam dederunt Trevoltiani ad annum 1748. ar. 8. Eſt deinde Jacobus Rodriguez Pereira Luſitanus Hebræus, qui referentibus Trevoltianis loco proxime citato, hanc artem circa annum 1748. per Galliam admirabiliter exercuit, ut propterea ab ejus Rege, prout legitur in ſpecimine exteræ literaturæ (6) annua penſione fuerit donatus, & perhonorificum teſtimonium reportaverit ab Acad. Scien. Paris., quæ de eo loquitur in ſuis monumentis ann. 1751. de ſua in hac arte peritia, ſicuti ab eadem præmium etiam obtinuit in ſolutione problematis de inveniendo modo utiliori ſupplendi actionem venti ſupra magnas naves pro tempore malaciæ, de quo ſcripſerant etiam Daniel Bernoullius, & Eulerus. Eſt etiam

(1) Dig. de Nat. corp. c.28 n.8.
(2) Sch. Steganogr. cla. 8 c.18
(3) Va. de Sac. philo. c. 3
(4) Ac. Dec.1 obſer 57.
(5) Ant. ann. 1780 n.2
(6) Sogg. to.1 p.2 ar.21 § 2 & 3.

etiam quidam Ernaud, de quo Trevoltiani ad Aprilem anni 1761. pag. 951. referunt loquacem reddidiſſe puerum a nativitate ſurdum, & in arte etiam ſcribendi peritum intra ſpatium quatuordecim menſium.

929. Tempore nobis magis proximo eſt Abbas de l'Epee, qui ſcholam pro his ſurdis Pariſiis habet celeberrimam: Et hujus alunnus Abbas Storck, qui anno 1779. parem ſcholam Vindobonæ aperuit cum pari omnium admiratione optimi exitus, ut Anthologia Romana (1) refert, poſtquam ab urbe Pariſiorum rediit, quo ad hanc artem ediſcendam juſſu Joſephi II. Imperatoris ſe contulerat, qui eam ſcholam magnifice ſtabilivit. Eſt Thomas Silveſtri Sutrinus Sacerdos, qui Romæ eamdem ſcholam tenet impenſis magnifici moecenatis Paſchalis Dipietrii in ejuſdemmet ædibus, poſtquam reducem habuit ab urbe Pariſiorum, quo ſe contulit, ut in ſchola Abbatis de l'Epee ſalutari hac diſciplina imbueretur, quam cum intra quinque menſes, quibus ibidem commoratus apud Romani Pontificis túnc legatum, nunc Cardin. Joſephum Doria frequentaſſet, perfectiſſime didicit. Atque ut homo eſt ingenio doctrina & candore plenus, nonnihil huic arti ſe addidiſſe mihi profeſſus eſt illud uſurpans, facile eſt inventis addere.

930. De ejus dexteritate in ea tractanda luculentum teſtimonium ſunt Benedictus Cozzolini Sacerdos ab utriusque Siciliæ Rege, & Salvator Sapianus pariter Sacerdos a Melitenſi Pontifice Romam miſſi, quos ipſemet vidi anno 1785., ut apud ipſum compotes fierent hujus artis, quam deinde in ſuas transferrent regiones. Et alterum quidem publici nuncii Florentini (2) referunt Neapoli ejus exercitium anno 1786. menſe Junii inchoaſſe, alterum vero Melitenſem eodem anno in patriam (3) ad eumdem finem rediiſſe, ubi ut aliunde novi beneficus hujus ſcholæ fundator eam in ſuimet ædibus vult exerceri. Alius anno 1787. Romam advenit a primo Poloniæ antiſtite miſſus Benedictinus Monachus, ut in hac ſchola hujus artis compos fiat, argumentum profecto inſigne de ejus late pervulgata fama ſupra illam, quam habent ſcholæ Vindobonenſes & Pariſienſes minus a Polonia diſtantes. Quod confirmant huujus generis infirmi, qui ex aliis Italiæ regionibus extra ditionem Pontificiam Romam miſſi fuerunt, ibique cum diſpendio familiarum ſuſtentati, ut ſub hoc præceptore remedium ſibi comparent, quo in patriam reduces poſſint in poſterum ſibi & ſuis eſſe utiles. Ex his vidi juvenem Mutinenſem, & audivi aliquos venturos Salernitanos ac Panormitanos. Recentiſſime Jo. Baptiſta Calegari medicinæ doctor Bononienſis parem ſcholam pro his ſurdis in patria aperuiſſe dicitur in iiſdem nunciis Florentinis (4), & publicis experimentis, quæ alibi (5) referunt, conſtare de ipſius exitu ibi pariter feliciſſimo.

931. Qui

(1) Ant. ann.1780 n.12 in fin.
(2) Gaz. univ. ann.1786 n.53 ar. Napoli.
(3) Gazz. an.1786 n.56
(4) Gaz. ann.1786 n.82
(5) Gaz. ann.1787 n.19

Digitized by Google

931. Qui ſolam artem conſideret, qua hoc hominum a nativitate infelix genus per communicatas ipſi diſciplinas minus ſibi & aliis quibuscum vivat, incommodum reddatur, certus jam fiet de veritate propoſitionis. Ars ſubtiliſſima eſt & poſtulat artifices ingenio non vulgari præditos, & ſingulari inſtructos patientia, quæ par ſit ad ſuſtinendum laborem improbum, quem hujusmodi ſchola requirit. De hac arte juxta Carpovium (1) ſcripſerunt Jo. Paulus Bonnetus, Helmontius, Holder. De eadem egit Joannes Wallis in anglico libro *Methodus docendi loquutionem ſurdos*, cui aliqua adduntur in periodico opere, cujus titulus *Pro & Contra*, ubi (2) de eo loquitur. Laudatus Abbas Silveſtri de ea, qua ipſe utitur diſtinctim tractavit in commentario, quem credo typis promulgabit, quo utilitatem etiam hujus ſcholæ propugnat.

932. Ne omnino de hac arte taceam, dico opus eſſe hos ſurdos inſtruere de alphabeto, quod ſit formam literarum repræſentando per opportunas manuum motiones, & inflexiones digitorum, quos proinde jure linguoſos dixit Tertullianus. Perceptam hac via ſingularum literarum formam jubentur deſignare gypſo ſupra petram nigram, qua ſolemus uti in iis deſcribendis, quæ volumus pro libito facile obliterari, ut novæ ſcriptioni ſit locus. Habito alphabeto, habentur jam ſyllabæ per opportunam electionem & conjunctionem ipſius literarum, ex quibus ſingula conſtant rerum nomina. Quare ad earum ideam uniformem in ſe excitandam inſtructi jam ſunt inſtrumento, quod voci æquivalet, ſiquidem ſicuti auriti ideas rerum acquiſiverunt per res ipſas oculis ſubjectas, quas audierunt hoc vel illo modo appellari, & quoties eamdem appellationem audiunt, toties eamdem ideam in ſe excitant, ita ſurdi eamdem rem concipiunt, quoties legunt dictiones, quarum ſignificationem jam norunt, quia applicatas obſervarunt certis rebus ante ipſorum oculos propoſitis. A rerum nominibus progrediendum eſt ad eos inſtruendos de declinationibus & conjugationibus verborum, & de ſingulis orationis partibus, pro quibus acuti præceptores ſigna quædam excogitarunt, quibus experientia teſte ſtatim obtinent, ut hi ſurdi ſingulas animo informent non ſecus ac per vocem accidit in auritis.

933. Cum vero agitur de his mutis ad verborum pronunciationem & loquelam deducendis opus eſt, ut illi diligenter obſervent motus gutturis & oris hujusque partium, quos ut ſupra jam (n.39.) advertimus, requirit ſingularum literarum pronunciatio. De his motibus propriis prolationi cujusvis literæ dicitur diſtincte loquutus Fabricius ab Aquapendente (3) celebris Anatomiæ profeſſor Patavinus, qui obiit anno 1594. ætatis ſuæ 82., cui cognomen factum a vulgari nomine urbis in dictione pontificia, quam Latini Aculam dixerunt, ubi natales habuit. De illis autem credo organorum motibus loquutus, qui intercedunt in recta pronuncia-

Fff

(1) Ca. de perf. n.14.
(2) Le pour & contre. to.2 n.18
(3) Aq. de loquut. c.12.

nunciatione verborum latinæ linguæ vel italicæ, qui iidem plerunque non ſunt ac pro verbis aliarum linguarum. Muti igitur ex nativa ſurditate, qui attente hujusmodi motus inſpiciunt in loquentibus ad eos imitandos in iisdem loci temporis & obiectorum circumſtantiis, jam incipient voces edere, quæ frequenti exercitio ſimiles erunt illis, quibus ſecum homines inter quos vivunt colloquuntur, quemadmodum inquit Carpovius (1) *legens habitu acquiſito ex ſignis literarum compoſitis, quid alter loqui voluerit, intelligit, ita perspectis variis oris motibus quid alter dicat, debet poſſe intelligi*. Quod Amira (2) ſcripſit ex literis ſyriacis ſeptem eſſe, quarum pronunciationem aliter diſci non poſſe cenſuit, quam viva voce, equidem non credam; Nam inſtrumenta eodem modo fabricata & mota eumdem effectum producunt.

934. Cognitio autem ſignificationis, quæ cuivis vocabulo propria eſt, dependet ab obſervatione adjunctorum, quæ cum illa conjungantur, quæ ſunt vel geſtus, vel ſchemata, quæ proponuntur ab inſtructoribus mutorum excogitata, & per experientiam cognita opportuna ad hanc ſignificationem. Evidens mihi videtur hos ſurdos, qui velint in arte loquendi proficere opus habere omnibus hujusmodi obſervationibus, nec ullas eſſe, quæ minus aliis neceſſariæ ſint. ut aliqui apud Anthòlogiam romanam (3) exiſtimarunt.

LAUS DEO.

(1) Car. de perf. ling. n. 24.
(2) Am. Gram. Syri. l. 2 c. 4
(3) Ant. ann. 1780. n. 2.

Digitized by Google

ADDENDA

pag. 5. *v.* 13. *n.* 9.

deſricetur. In Anthologia Romana (1) alius Romanus Aloyſius Baſconius laudatur, qui ibidem feliciter encauſticem exercet, & in Ruſſiam ad Imperatricem, & in Etruriam ad M. Ducem aliqua hujusmodi opera jam tranſmiſit, ex quibus juxta publicos nuncios Venetos (2) inſigne præmium, plauſus non obſcurum teſtimonium reportavit.

16. Novi

pag. 21. *v.* 24. *n.* 51.

pauciſſima, & plerunque ab aliis linguis accepta, ut idem (3) poſt Oihenartum (4) obſervavit.

52. Idem

pag. 22. *v.* 33. *n.* 55.

quod ſi iisdem literis cum latino velis conſlare, jam cum Laurentio Magalottio dices (5) per eas efferri ſex vel ſeptem ſupra triginta tonos diverſos, ſin autem ab eo excludas K, X, Y, jam redigitur ad literas dumtaxat viginti, cum tamen in hac hypotheſi ſalvator

pag. 55. *v.* 24. *n.* 128.

tenet. Gilbertus Genebrardus in vita Origenis præmiſſa hujus operibus ſua cura Pariſiis impreſſis anno 1574. refert ex Epiphanio, *Originem duas alias traductiones* (graecas) *inveniſſe, unam in Hiericunte, alteram in litore Actiaco in Nicopoli in doliis occultatam*, de quibus meminit etiam Ricciolius in Chronico Magno ad annum Chriſti 217. (6), & diſtinctius Montfaucon in editis a ſe Origenis Hexaplis.

Sed ad directum de punctis ſermonem revertens dico, ſupra omnes jam opiniones eam triumphare, quæ ſtatuit

pag. 55. *v.* 28. *n.* 129.

Moyſem (7), quos circa finem ſæculi Eccleſiae noni & principium decimi dicit floruiſſe, quemadmodum jam antea ſtatuit Joannes Morinus Bleſis natus anno 1591., & Pariſiis mortuus ætatis ſuæ 68., qui dicit Ben-Nephtali vixiſſe Tiberiade Paleſtinæ præſidem celebris Academiæ, quam ibi Judæi diu habuerunt. At Ladvocatus vult (8) id factum ſæculo Eccleſiæ quinto, & Ricciolius quidem (9) annum etiam determinat 476. Proſper vero ab Aquila (10) vel hunc 476. vel 478. aſſignat. Maſſorethae

Fff 2 *pag.* 59.

(1) Ant. ann. 1787 n. 4
(2) Notiz. ann. 1788 n. 46. ar. Firenze.
(3) He. Idea. to. 21 n. XIV.
(4) Oi. Notit. Vaſcon. l. 1 c. 13
(5) Ma. Lott. ſcien. 20.
(6) Ri. Chronol. to. 2.
(7) Ca. Dict. ar. Maſſora.
(8) La. Dic. ar. Aron Ben Aſer.
(9) Ri. Chron. to. 4. indi. 3. ar. Judaeorum.
(10) Aq. Diz. bibl. ar. Aleph.

Digitized by Google

pag. 59. v. 23. n. 139.

Gemara. Juxta Riccjolium (1) *prior pars Miſna a Rabbi Juda confecta anno Chr. 188., & poſterior pars Gemara a Rabbi Mayer filio Aſer abſoluta anno Chriſti* 505. His minuſculis

pag. 62. v. 7. n. 144.

Buuch. Eo nunc utuntur Turcæ & Perſæ, qui ceteroqui linguas habent ſibi proprias, & ab Arabica diverſas. Neſcio autem

pag. 65. v. 23. n. 154.

qui Florentiæ natus anno 1661. ex patricia familia, quæ jam dederat Michaelem Angelum, qui ea nequicquam repugnante evaſit primæ notæ pictor ſculptor architectus, poeta etiam & quidem ut ait Jo. Lami (2) elegantiſſimus

pag. 65. v. 24. n. 154.

1733., ætatis ſuæ 72. magno literatorum moerore maxime Antonii Franc. Gorii, qui ſe ipſius diſcipulum ſæpiſſime profitetur (3) unicum

pag. 66. v. 1. n. 155.

1734. publicavit plaudentibus unanimiter eruditis, quorum aliquos producit Jo. Lamius (4) in commentario de hoc non quidem natalibus, ſed doctrina viro præclariſſimo, quem in eadem urbe anno 1737. vehemens morbus abſtulit, cum natus eſſet Florentiæ anno 1695. Et quales.

pag. 72. v. ulti. n. 173.

Trombelli mortuus anno ætatis ſuæ 87., qui inter multa cum plauſu promulgata & diſtinctim commemorata a Garofalo de eadem cum illo Congregatione S. Salvatoris in ejus vita Bononiæ anno 1788. impreſſa, ſcripſit etiam *de ratione*

pag. 75. v. 2. n. 177.

bene de religione & omni arte ac ſcientia meritam fatentur. Sancti per ipſam abundant libri, longe ſupra malos, & pro uno ex his qui erumpat, ſtatim multi producuntur, qui eorum malitiam in propatulo ponunt. Quanti etiam eſt quod per hanc artem froenum impoſitum ſit perverſitati hæreticorum, qui opera Sanctorum Patrum paſſim audebant corrumpere, ſuosque in illa errores inſerere. Quod ſi aliquo tempore extiterunt ex his nonnulli, qui claſſicos de religione auctores etiam per typos auſi ſunt hoc modo vitiare, cujusmodi fuerunt duobus ante nos ſæculis Genevenſes, quos Gilbertus Genebrardus (5) inſectatur, brevi potuerunt de eorum nequitia convinci, & in contemtum communem deduci

Quantum autem quævis ſcientia & ars debeat typographiæ, quis non videat? Omnes

pag. 80.

(1) Ri. Chron. to. 4 indi. 3 ar. Talmud.
(2) La. Memo. Ital. to. 1 ar. Bonarrot.
(3) Go. Not. alla vita di M. A. Bonarroti.
(4) La. Memo. Ital. to. 2 ar. Lupius.
(5) Ge. Nuncup. ad opera Orig.

Digitized by Google

pag. 80. *v. ulti. n.* 191.

permittit. Noveram Michaelem Maittairem, qui ut conſtat ex ejus epiſtola, quæ extat in Bibliotheca Britannica (1) in vivis erat ſub finem anni 1740., de hac ipſa re egiſſe in *Annalibus typographicis* ab eo non ſemel latine editis, ſed hos, qui me admodum juvaſſent, videre non potui ne in publicis quidem bibliothecis, non quia iis carerent, ſed quia ipſius nomen quæſivi in earum indice, prout inveneram enunciatum ab aliis, qui illud corruperant. Ita in ipſo proemio gallici operis, quod cum eodem titulo Annales typographici prodiit Pariſiis anno 1760. pro Maittaire legitur Mettaire: Jo. vero Lamius (2) non ſemel Mattarium appellavit.

ARTICULUS

pag. 84. *v.* 20. *n.* 199.

TRevoltianos (5). Ladvocatus addit (3) has fuiſſe de epiſtolis Gaſparini Bergomatis, non tamen omnibus, ſed aliquibus, ut advertit Cardinalis Joſeph Furiettus Romæ mortuus ſub initium anni 1764., cum natus eſſet Bergomi anno 1685., in præfatione ad magnificam editionem variorum operum Gaſparini, & Bonifacii Barziziorum factam Romæ anno 1723., in qua certiores nos facit Sorbonæ typographum fuiſſe Ulricum Gering (*n.* 186.), qui ibidem eodem anno ejuſdem Gaſparini opus de Orthographia impreſſit, ac epiſtolarum quidem ex hac officina exemplum haberi Romæ in Bibliotheca Vallicellana, Ortographiæ vero in illa Sapientiæ. Hic Gaſparinus cognominatus Barzizius a loco nativitatis Barziza vico prope Bergomum obiit Mediolani anno 1431. inter eximios linguæ latinæ cultores connumeratus.

Primas Editiones Lugdunum

pag. 86. *v.* 32. *n.* 203.

ſetina. Jure admiratus eſſet hic auctor hanc editionem, ſi verum eſſet quod ſtatim addit, *norunt omnes, quod vix in regno Japponenſi ſteterint Patres Soc.* I. Sed hoc eſt falſum; Nam uno circiter ſæculo ſtetit ibi Societas J. ab anno ſcilicet 1549. quo S. Franciſcus Xaverius in Iaponia Evangelium prædicavit, uſque ad annum 1616. & ultra. Atque intra hoc tempus ſedem ibidem ſuam fixerant etiam Religioſi SS. Auguſtini, Dominici, & Franciſci, quoniam chriſtiana Religio late ibi florebat per plures provincias, ut teſtis eſt celebris legatio trium regum ex illa natio-

(1) Bi. to. 16 par. 1 ar. 7.
(2) La. Mem. ital. ar. Jo. Gaſto.
(3) La. Diz. ar. Gaſparino.

natione ad Romanum Pontificem, qua ipſum ut ſucceſſorem S. Petri in dignitate, qua J. Chriſtus ipſum conſtituit ſuum in terris vicarium, venerati ſunt anno 1585., quo Romam pervenerunt ſub Georgio XIII., qui eos die 23. Martii lacrimans præ gaudio humaniſſime & ſplendidiſſime excepit. Anno ſolum 1612. incoepit in Iaponia omnium ſaeviſſima contra chriſtianos perſequutio, de qua inter alios Nicolaus Trigaultius Duaci natus anno 1677., & apud Sinas mortuus anno 1628., ſcripſit libros quinque Monachii excuſos anno 1623., cum auctario Matthæi Raderi Tirolenſis mortui anno 1534. ætatis ſuæ 70. Ortum illa habuit ex metu, qui ut ait Ricciolius quemdam in Japonia Regem ejus temporis inceſſit (1) *a catholicis id agi ut Luſitanis & Hiſpanis aditus pateret ad Japoniam occupandam*, & imperante Xonguſama, in ea (2) *annum* 1622. *martyrio ſuo illuſtravit inter multos P. Petrus de Sugniga Ord. Auguſtiniani, P. Ludovicus Flores Dominicanus*, P. *Petrus de Avila Franciſcanus*, & PP. *Carolus Spinula*, & *Sebaſtianus Quimura S. I. flammis addicti Nangasachi*

pag. 86. v. ultim. n. 203.

introduxit.

Qnando Europæ partes ſeptemtrionales hanc artem receperint, alii viderint. In Orientalibus elapſo jam ſæculo decimo ſeptimo typi Syriaci erant in coenobio Canubim appellato ad radices Montis Libani, ſede Patriarchæ Maronitarum, donec dirutum non fuit, ut teſtantur libri ſacri ibidem impreſſi, quorum unum præ manibus ſe habuiſſe mihi pius & doctus Maronita non ſemel confirmavit. At in civitatibus, quibus Turcæ dominantur fruſtra hæc ars requiritur ante vertens ſæculum; etenim juxta Jo. Lamium circa tempora Clementis XII., qui anno 1730. Romanus Pontifex renunciatus fuit, primi typi & quidem arabici viſi fuerunt Conſtantinopoli in variis libris turcica lingua excuſis, qui plerunque agunt de hiſtoria regnorum Aſiæ, & quorum hic Pontifex (3) *ingentem vim magno pretio comparatam ex illa urbe Romam transvehendam curavit, iisque bibliothecam ſuam auxit*. Circa idem tempus, ſed ut arbitror, poſtquam apparuerunt typi Coſtantinopolitani extitit apud Monachos Baſilianos oppidi Soair in Antilibano qui typos pariter arabicos ſatis concinnos affabre confecit, quibus excuſi fuerunt plures aſcetici libri, ut S. Franciſci Saleſii, Joannis Nieremberg, Ludovici a Ponte, aliique, quos prae manibus habent earum regionum catholici.

pag. 91. v. 9. n. 214.

virgulæ. Puncta quidem aut virgulæ aliquando neceſſaria ſunt ad tollendam ambiguitatem. Fac enim tibi roganti per literas amicum, ut te doceat de Caii moribus, ille reſpondeat omiſſis interpunctis: Mihi & ami-

(1) Ric. Chroni. magn. 1614.
(2) Id. Ghron. to.3 par.3 catal.1 & to.2. Chronic. magn. ad an. 1622.
(3) La. Mem. Ital. to.1 ar. Clemens,

Digitized by Google

amicis tuis carus nunquam repertus eſt in popinis aſſidue ſtudiis operam dedit nullis ſe ganeonibus applicat plurimis eſt carus inimicis tuis odioſus bonis placere ſtudet malis nunquam a puero bene audiit &c., jam neſcias bonus ne an malus Cajus repræſentetur. Si punctum aut virgula ſit poſt nunquam, aſſidue, nullis, plurimis, tuis, bonis, malis, jam malus dicitur, & rurſus bonus ſi ſit ante.

215.

pag. 93. v. 7. n. 220.

220. In his fuit Benedictus Averanus literarum græcarum peritiſſimus, ut teſtantur ejus diſſertationes in Anthologiam, Thucydidem, & Euripidem, qui Florentiæ natus Piſis obiit humaniorum literarum profeſſor Kalen. anni 1707. ætatis 73., (1) *cujus ſententiam & exemplum* inquit Jo. Lamius, *alii eruditi recentiores lubenter amplexi ſunt*. Et Romanæ

pag. 97. v. 33. n. 331.

cura, & impenſa aureorum ut ait Ricciolius (2) 400000. emendatae.

pag. 108. v. 12. n. 257.

planetas. Idem ſuas circa illum obſervationes impigre proſequebatur anno 1787. Nam publici nuncii Veneti (3) referunt ipſum monuiſſe circa idus Januarias poſſe conſpici quatuor ante mediam noctem horis, quoniam per Novembrem una ante hoc tempus hora apparebat

258. Inſignem

pag. 108. v. 35. n. 259.

Buffonius quem octogenarium cum publici nuncii Veneti pro Aprili anni 1788. (4) dixerint morti proximum inter aſperrimos calculi cruciatus, ipſum deinde ejusdem menſis die 15 (5) extinctum referunt. Hujus de hac

pag. 112. v. 24. n. 268.

indicantur, quia ut jure Cl. Clemens Biagi putat, eo conſcripta tempore, quo (6) *formulas quæ evaſerant ſolemnes, ſatis erat indicare per primas literas, ut quiſque casdem poſſet facillime percipere*, quin tamen poſthac vetitum quodammodo fuerit eas ſine ſiglis proponere. Itaque Senatus

pag. 114. v. ulti. n. 273.

agentes.

Sermonem de ſiglis profanis concludam mentionem faciens de opinione, quæ Aeram, vocabulum, quod a latinis ſequioris ævi uſurpatum plerique jam uſurpant ad ſignificandum certum quoddam numerandi annos principium, vult natum a ſiglis A. ER. A. hoc eſt Annus Erat Auguſti, contra alios qui aeram dictam credunt ab aere ſeu cenſu ſolvendo vi edicti Auguſti ab omnibus Romano imperio ſubiectis.

pag. 117.

(1) La. Mem. Ital. to. 1 ar. Averanius.
(2) Ri. Chron. to. 4 indi. 3
(3) Noti. anno 1788 n. 3.
(4) Notiz. n. 31.
(5) Ibid. n. 36 or. Milano.
(6) Bi. Monum. 5 in fine.

Digitized by Google

pag. 116. *v.* 16. *n.* 276.

tranſigendos. Pauci qui inter catholicos reſtant huic cultui contrarii, non ſolum minus ſe verſatos oſtendunt in psychologia, ſed etiam in doctrina Patrum, ut S. Auguſtini, qui dixit (1) *ſaluberrimam regulam retinendam eſſe, ut quæ non ſunt contra fidem, neque contra bonos mores, & habent aliquid ad exhortationem vitæ melioris, ubicunque inſtitui videmus, vel inſtituta cognoſcimus, non ſolum non improbemus, ſed etiam laudando & imitando ſectemur.*

275. Sigla.

pag. 117. *v.* 23. *n.* 279.

ſuperpoſitam, quæ figura vulgo Monogramma Chriſti appellatur, eaque uſi ſunt alii deinde Imperatores praeter Julianum Apoſtatam, qui Jovis ſimulacrum medium inter illa Martis & Mercurii Cruci & Monogrammati ſubſtituit ex teſtimonio Nazianzeni & Sozomeni apud Riccioſium (2). Idem deinde ſanctum monogramma paſſim veteres

pag. 118. *v.* 32. *n.* 281.

liberto. Ricciolius autem Julio Caeſari tribuit, & de ea inquit (3) *Baptiſta Leo Florentinus ſcripſit volumen integrum.* Quemcunque ex his placeat

pag. 120. *v.* 24. *n.* 285.

dicimus. Fleurius ad annum Chriſti 616. loquens (4) de exilio dato Epiſcopo Londinenſi Mellito ab ethnicis filiis defuncti Regis Subareth chriſtiani, quia noluit ipſis conferre Sacramentum Euchariſtiæ, ut noverant dari fidelibus, & datum ipſorum patri, concludit ſervatam ibi non fuiſſe diſciplinam arcani, & *en* inquit *triſtis effectus hujus neglectus.* At mihi quidem videtur concludi potius oppoſitum. Etenim ſi noſſent, quid ſub panis conſecrati ſpeciebus venerarentur Chriſtiani, non feciſſent hujusmodi petitionem. Notariorum

pag. 122. *v.* 25. *n.* 290.

dimoveret. Qui quaerat quisnam & quando obeliſcos erexerit, doctus Anglus Pearce reſpondet apud Bibliothecam Britannicam (5) primum obeliſcum ſtetiſſe in Aegypto duobus circiter ſaeculis a diſceſſu Iſraelitarum opera Regis Memphres, qui juxta Ricciolium (6) regnum iniit anno ante Chriſtum 1656.

291. Permulta

pag. 123. *v.* 1. *n.* 291.

voluptatis. Quibus rationibus id contendat, equidem ignoro, ſed quod illi faveat referam, veterem ſcilicet caelaturam in rubro jaspide amoris ſupra currum tractum a duobus papilionibus, quam apud ſe habebat Ant.

Frbnc.

(1) Au. Epiſ. 55. l. 2 ad inquiſit. Januar. n. 34.

(2) Ri. Chronol. to. 2 ad ann. Chri. 362.

(3) Ri. Chron. to. 4 ind. 3 ar. inventores.

(4) Fl. Hiſt. l. 37 n. 17

(5) Bi. to. 1 par. 2 ar. 3 ſub fin.

(6) Ri. Chron. to 3 par 2 catal. 2

Digitized by Google

Franc. Gorius, & delineatam exhibuit in Vita Mich. Ang. Bonarrotæ ſua cura iterum impreſſa. Nihil autem de hoc volatili dicit.

pag. 135. *v.* 22. *n.* 321.

faciendum, quia aliis omiſſis ita inquiunt ſub Auguſto efferebatur, cum Aeguptus bis legatur in baſi obeliſci ante portam Flaminiam erecti, quæ ejus tempore inſculpta fuit. At alii habentes præ oculis illud Ciceronis, non amplius Purrum cum Ennio, ſed (1) *Pyrrhum aurium cauſſa dicimus*, credunt minus probatum jam tunc fuiſſe, qui Aeguptum inſcripſit

Per datam factæ objectioni ſolutionem confutantur

pag. 145 *v.* 13 *n.* 345.

diſſertatione 19. Illi. eſt contra Middletonum qui pariter apud Bibliothecam Britannicam (2) repetit diverſitatem linguarum a cauſſis naturalibus, quem ibidem ſub finem citati articuli confutavit Pearce, bene obſervans cauſſas naturales non effecturas vocabula omnino diverſa pro iiſdem rebus communis uſus apud omnes homines, ex quibus aliqua in medium producit.

346. Itaque

pag. 165. *v.* 54. *n.* 395.

dicitur, & Gothum ſe declaravit Svecus Andreas Celſius nobilis mathematicus, quando in Italia, ubi fuit circa annum 1733. paulo ante quam in Laponiam cum Academicis Pariſienſibus pro menſura unius gradus ſe conferret, diligenter inquiſivit (3) *res Gothorum gentis ſuæ ut putant*, quemadmodum Io. Lamius id referens loquitur. Hiſtoria

pag. 167. *v.* 12. *n.* 398.

Vallanceio, qui plura anglice ſcripſit, & in his *Vindicias hiſtoriæ antiquæ circa Hiberniam*, de quibus loquuntur Ephemerides Lit. Rom. (4). Quam multi

pag. 183. *v.* 35. *n.* 432.

dicitur inter *millia ferme voluminum ſeptingenta*, quæ juxta Polydorum Virgilium apud Maittairem (5) erant in bibliotheca Alexandrina, quæ lacrimabili incendio periit in bello Alexandrino, quod Ptolemæus Auletis filius contra C. Iulium Caeſarem infeliciter geſſit anno juxta Ricciolium (6) ante Chriſtum 47. Noſtra

pag. 194. *v.* 21. *n.* 466.

Aimerich latiniſſimus ſcriptor, Gerundæ natus anno 1715., & notus ex

pag. 194 *v.* 23. *n.* 456.

(5), quin immo ex multis, in quibus teſte Michaele Garçia (7) *omnia pluris ſunt, quam ipſa latinitas*, diſtinctius

(1) Cic. de Orat.
(2) Bi. to 1 par. 2 ar. 3 pag. 339
(3) La. Memor Ital. to. 1 pag. 376.
(4) Ef. ann. 1788. n. 15. & 16.
(5) Ma. Ann. typog. pag. 2 edit. 1719
(6) Ri. Chron. magnum.
(7) Ga. de Vita Serrani pag. 16.

Digitized by Google

pag. 211. *v.* 14. *n.* 165.

1704., eaque habentur etiam in illa anni 1753., quam multis acceſſionibus locupletatam protulit Petrus Guarientus præfectus celebri pinacothecæ Auguſti III. Poloniæ Regis & Saxoniæ Electoris. De Orlando autem videſis

pag. 222. *v.* 30. *n.* 158.

utebatur, & juxta dictionarium Stortii de Auctoribus eccleſiaſticis vulgata ab eodem Fresne, quod affirmavit etiam Ladvocatus (1): ab aliis tamen, & ab ipſomet Ladvocato alibi (2) vulgata dicitur a Claudio Menardo Pariſiis

pag. 254. *v.* 8. *n.* 592.

qui juxta eosdem Theologos obiit anno 1054., juxta vero Ricciolium (3) *vixit usque ad annum* 1066.. Monachus

pag. 265. *v.* 8. *n.* 620.

Sabellicus primus eſt, qui hiſtoriam Reip. Venetæ latine cum aliqua elegantia deſcripſit. Venit ille in lucem circa annum 1436. in Vico Varronis, contermino Sabinis, qui etiam Sabelli appellantur. Atque hinc recuſato patris cognomine Cocii, & nomine Ioannis tamquam non latinis, illa M. Ant. Sabellici ſibi impoſuit, ut olim alii eruditi fecerunt, ſic Riccius Florentinus Crinitum ſe dixit, & Victorius Roſſi Romanus Nicium Erythraeum, quos imitatus eſt noſtra ætate Joannes Bianchi Ariminì natus anno 1693., & de hiſtoria naturali optime meritus, qui ſe in iis quæ edidit, Janum Plancum appellavit, (4) *ut linguæ latinæ genio ſe accomodaret, & ab aliorum turba, qui hoc nomine donantur, diſtingueretur*, inquit auctor de ipſius vita apud Jo. Lamium.

Triſtanus

pag. 265. *v.* 15. *n.* 620.

meriti. Domitius Calderini, cujus nomen in Dionyſium commutatum fuit in Dictionario Ladvocati, natus Torrii oppido ditionis Veronenſis, & Romæ peſte ſublatus anno 1478. ætatis ſuæ 32. juxta Tiraboſchium (5), appellatus ab Jovio in ejus elogio literarii ſplendoris aſſertor. Bernardus

pag. 265. *v.* 38. *n.* 621.

ornamenta, eaque nuper ſummis laudibus extulit Serranus, quibus equidem non invideo: ſed hoc unum animadverto ex iis, quæ hic jam dixi & mox dicam falſum manifeſte eſſe, quod ait (6) *fuiſſe linguæ latinæ pomoeria Perotti tempore ſatis anguſta* & ejus (7) *diligentia renovatam*, quem proinde (8) *Romanæ linguæ renovatorem* appellat. Anno 1404.

pag.

(1) La. Diz. ar. Fresne.
(2) Id. ibid. ar. Menard.
(3) Ri. Chronol. to. 4 iadi. 3.
(4) La. Memor. Ital. ar. Blancus.
(5) Ti. Stor. to. 6 p. a.
(6) Ser. Epiſt. pag. 172.
(7) Ibid. pag 175.
(8) Ibid. pag. 178.

Digitized by Google

pag.266. v.32. n.623.

Mantuanum, ſic dictum a patria, omiſſo ejus cognomine Spagnoli, huc adduceret

pag.271. v.13. n.634.

commendatos: Mentionem etiam faciam de Carolo Alphonſo du Freſnoy Pariſienſi mortuo anno 1665. ætatis ſuæ 54., qui latinum poema *de arte graphica*, hoc eſt perfectæ picturæ in lucem emiſit magno exceptum plauſu, ut auctoribus Ladvocato, Lacombe, & Orlando in ſuis dictionariis fuerit gallice, italice, & anglice redditum.

635. Sæculum

pag.272. v.7. n.636.

reliquit. Ferrii laudes complexus fuit ipſius amicus Thomas Serranus (n.457.) duobus ante ipſum annis Bononiæ defunctus in dato ad ipſum hendecaſyllabo, cujus primi verſus ſunt

Linguæ delicium, ac lepos latinæ
Diſertiſſime Ferri, & eruditæ
Suadae ocellule, corculum Minervæ,

reliquos videſis in poſthumo opere ipſius carminum, Fulginiae impreſſo anno 1788., cura Michaelis Garciae, qui commentarium de ejusdem vita addidit, ex quo novimus illum nobili loco natum anno 1715. Caſtalliae oppido Regni Valentini, Soc. J. nomen dediſſe anno 1730. Placuit de hoc meminiſſe, ut aliquem ſaltem, nominarem ex non Italis, qui linguae latinae ſcientiſſimos ſe noſtra ætate demonſtrarunt

637. Tertius

pag.273. v.27. n.639.

neque Franciſco Robortellio Utinenſi mortuo anno 1567. ætatis ſuæ 51., qui in nuncupatione ſui commentarii ſuper poeticam Ariſtotelis ait, *ante hunc* (magnificum Laurentium de Medicis poſt annos hujus vitæ 44. ad aliam evocatum anno 1492.) *in Italia literas græcas vix unus aut alter norat*; neque iis

pag.282. v.23. n.659.

oſtendunt, ejusque poſthuma carmina, de quibus merito magna cum laude loquuntur Ephemerides Lit. Rom. (1), cecinit

pag.283. v.32. n.659.

Vandaliciæ, ducentis annis ante incendium Troiæ ædificato juxta Ricciolium (2), quod Plinius eodem auctore (3) Veneriam

pag. 284. v. 27. n. 662.

Alboinos acciti a Narſete Eunucho, ut aliqui volunt apud Ricciolium (4), aliis contradicentibus apud Ladvocatum (5) Italiam

(1) Ef. ann. 1788. n. 13.
(2) Ri Chron. to 4 indi. 3 ar. Nebriſsa
(3) Ri. Geogr. l. x1.
(4) Ri. Chron. to 2 & to 4 indi. 3 ar. Longob. rd
(5) La. Diz. ar. Narſete.

pag. 288. *v.* 24. *n.* 671.

ſacrariis promulgari jam coepit hoc anno 1788. latinus tractatus Cancellerii (n.652.), quem Tiraboſchius in fine tomi 7. hiſtoriæ de Itala literatura prænunciavit futurum plenum doctrina & eruditione , quam ipſi laudem aſſerunt tum Diarium ordinarium Romanum (1) , tum Romanæ Ephemerides literariæ , quæ de quatuor , quibus conſtat , tomis aggreſſæ ſunt (2) quamdam quaſi ſummam exhibere . Iuvat

pag. 295. *v.* 32. *n.* 687.

Antonelli . Ioannes Lami cum dixit Card. Querinum (3) *Petri Ambaraci Maronitæ opera uſum* fuiſſe pro Syriacis S. Ephrem , nomen Benedicti , quod in editione habetur , in Ambaracum commutavit , ſicut fecit deinde Angelus M. Bandini in præfatione ad catalogum codicum graecorum Bibliothecæ Laurentianæ , credentes latino Benedictus reſpondere in lingua Maronitarum ſcilicet Arabica Ambarac : Sed profeſſor hujus linguæ & ipſe Maronita mihi dixit illi reſpondere non Ambarac , ſed Mobarac , atque hoc eſſe nomen familiae hujus doctiſſimi interpretis ſibi probe cognitæ , utpote pervetuſtae , & Epiſcopis aliisque literatis clariſſimae.

688. Optimum

pag. 298. *v.* 1. *n.* 691.

dialecticos . In his fuit auctore Ant. Franc. Gorio (4) Michael Angelus Bonarrota junior, ſenioris celeberrimi pronepos mortuus anno 1646. ætatis ſuæ 78. , de quo memini , quia haec Academia illum inter auctores ſuæ linguæ connumeravit in iteratis gloſſarii editionibus . Hoc autem aliæ

pag. 298. *v.* 17. *n.* 692.

1738. , uno ſcilicet anno poſt obitum Jo. Gaſtonis ultimi M. Ducis Etruriæ ex Medicea familia , ejusdem munificentiſſimi fautoris , duobus vero ante illum Benedicti Breſciani eruditiſſimi ſenis , qui ejusdem Principis praeceptor fuit , & referente Jo. Lamio

pag. 299. *v.* 35. *n.* 694.

ibidem teſte Jo. Lamio (5) obiit anno 1693. Splendorem autem acquiſivit, quaado poſt inſtitutoris obitum eodem Lamio referente (6) patronum acquiſivit ipſum M. Ducem Coſmam III. qui eam in publicum tranſtulit gymnaſium : Et multo magis quando defuncto jam Coſma Violantes a Bavaria ejus nurus eam apud ſe (7) *anno 1726 in regiis ædibus convocare inſtituit* , *varioſque ibidem conventus celebravit* hæc Princeps literatorum amantiſſima , quos moerore complevit , quando naturæ conceſſit anno 1731. ætatis ſuæ 58.

695.

pag.

(1) Dia. ann. 1788 n. 1388.
(2) Ef. ann. 1788 n. 19 24 25.
(3) *La.* Memor. Ital. to. 1 ar. Clemens XII.
(4) Go. Note alla vita del Bonarroti. pag. 93.
(5) La. Mem. Ital. to. 2 art. Fagioli.
(6) *La.* Ibid. to 1 ar. Coſmas. pag. 172.
(7) *La.* ibid. ar. Violantes.

pag. 301. *v.* 20. *n.* 698.

inſcripſit. De hoc aliiſque multis hujus præclariſſimi auctoris operibus videſis Ant. Franciſcum Vezzoſi (1)

699.

pag. 302. *v.* 19. *n.* 702.

Unus ex his fuit celebris Hieronymus Gigli Senis natus, & Romae mortuus ann. 1721. ætatis ſuæ 61. qui non ſolum ſcriptorum Senenſium plures voces tamquam optimæ notae volebat in linguam italicam recipi, ſed contra Academicos hujus linguæ, qui vel aliter cenſebant, vel id nondum fecerant, inurbana dicteria congeſſit, aliaque inſeruit contra debitam ſuo Principi reverentiam in Lexico dictionum, quæ in S. Catharinæ Senenſis operibus occurrunt, quod juxta Io. Lamium (2) *Romæ anno* 1717 *typis vulgare aggreſſus fuit*, quin potuerit perficere appoſito a Romanis cenſoribus impedimento. Qua de cauſſa Academici quidem a ſuo coetu, cui adſcriptus erat, illum expulerunt, Princeps vero exilio multavit. Ex his pariter fuit Monteriſus

pag. 307. *v.* 16. *n.* 711.

gymnaſium, in quo Plato philoſophiam docere inſtituit anno ante Chriſtum juxta Ricciolium (3) quadringenteſimo poſt mortem Socratis præceptoris ſui, ſicut

pag. 315. *v. ult. n.* 732.

videſis

Antiquos Sinarum annales nemo jam eſt qui contemnat, poſtquam noverit magni fieri a tota Sinenſium literatorum natione, & ab acutis & doctis Europaeis, qui cum illic diu fuerint Evangelii prædicandi gratia, poſt diligens illorum examen profeſſi ſunt omnia in illis paucis exceptis inveniri vel vera vel veriſimilia, eorumque ſtilum praeſeferre candorem, qui ad illum accedit, quem admiramur in ſacris literis, cum quibus etſi non conſentiunt in chronologia, qualis habetur in vulgata earum editione, ab illa tamen ſeptuaginta non abhorrent, ut Ricciolius (4) animadvertit. Præterea tale determinant tempus circa motus planetarum, eorum conjunctionem, eclipſes, aliaque ad aſtronomiam longe ante Chriſtum pertinentia, quale ſubductis rationibus invenitur revera fuiſſe, & per numismata antiquiſſima confirmantur plura, quæ enunciant, & imperatores proximos Fouhio, hoc eſt Noe repræſentant inſigniter longaevos, ſicuti in Geneſi c. 11. dicuntur fuiſſe homines per octingentos poſt diluvium annos, & reliquis deinceps eam vitæ longitudinem concedunt, quæ jam communis eſt apud homines

In doctis Europaeis, qui hos annales excuſſerunt aliis omiſſis, de quibus meminit citato loco Ricciolius, dignus eſt qui commemoretur Ni-colau

(1) Ve. de Scrit. Teatini ar. Bluteau
(2) La. Mem Ital. to. 1 ar. Lilius & ar. Gaburrius.
(3) Ri. Chron. to. 4 indi. 3
(4) Ri. Chron. to. 1 l. 5 c. 1.

Digitized by Google

co'aus Trigaultius ſupra (1) laudatus, quoniam de ejus circa illos ſtudio certiores nos facit Bibliotheca Scriptorum S. I. Ad omnium jam manus illi venerunt, poſtquam eorum interpretationem ex Sinico exemplari ſuſcepit & perfecit Ioſeph Moyriac de Mayllac Soc. I., communiter dictus Mailla, gente Gallus, qui poſt emenſos apud Sinas annos quinque ſupra quadraginta, referente Herva (2) obiit 28. Iunii anni 1748. Cum ejus interpretatio, quæ in Collegio Lugdunenſi S. I. ſervabantur manuſcripta, tradita fuerit anno 1775. Abbati Groſſier, ille eam publici juris fecit, & brevi italice reddita typis Senenſibus prodiit, de qua loquuntur Ephemerides Liter. Romanæ in numero 28. anni 1777.

Qui de his annalibus meminerunt, antequam in linguas Europaeas translatos legere potuiſſent, habendos eſſe pro fabuloſis paſſim ſanciverunt, atque inter alias rationes illam urgebant de hiſtoria, quæ nos docet Imperatorem, qui ducentis circiter annis ante Chriſtum Sinas contra Tartaros muniv , erecto intra quinquennium ut ait Ricciolius (3) muro, juxta Verbieſtum, qui illum teſte Herva (4) percurrit, longo leucas quingentas, & alto pedes circiter vigintiquinque, & plusquam duodecim alicubi lato, juſſiſſe comburi libros omnes præter illos, qui agerent de medicina, de agricultura, & de ſua familia, quæ quatuor jam numerabat ejusdem imperii dominos, nequis poſſet adminiſtrationem ſuam conferre cum illa, quam alii ex aliis familiis ante ſe tenuerunt, tantoque furore peractam fuiſſe hanc librorum cladem, ut occiſi fuerint plusquam quadringenti ex literatis, qui eam vituperabant & condemnabant de inſania & de barbarie. At diluitur hæc objectio ex eadem hiſtoria, a qua diſcimus poſt annos ſexaginta ab hoc incendio per contrariam aliorum imperatorum legem ſtudioſe curatum fuiſſe ut hi annales, qui hiſtoriam imperii continent in communem notitiam iterum devenirent, idque impetratum fuiſſe ſuadent Mailla, & ex illo Hervas. Fourmontus jam olim in volumine 13. Academiæ Inſcriptionum referentibus etiam Trevoltianis (5) & Notitiis Tranſalpinis italice Romæ editis (6) elevaverat rationem contra antiquitatem horum annalium deſumptam ab illorum incendio, nolens credi omnium extirpationem ex ampliſſimo Sinarum imperio

pag. 363. v. 27. n. 833.

adhaeret. Porro Alcoranus arabice, latine codex legalis, eſt nomen factum jam proprium codici legis Mahumetanæ, qui ipſi Mahumeto tribuitur, quoniam collectus fuit ab ejus ſucceſſore ex ſchedulis apud ipſum repertis, non jam ab eo, qui illiteratus erat (n. 413.) exaratis, ſed ut ait Kircherus (7) *a Selam Judæo & Sergio Monacho Apoſtata, & in quatuor*

(1) n 203 in addend.
(2) He. Idea. to.16 c. 4 pag.94.
(3) Ri.Chron. to.1 l.5 c.1.
(4) He. Idea. to.16 c. 4 pag.107.
(5) Tr. ann.1755. ar.59.
(6) No. to.1 p. 1 ar.30.
(7) Ki. Oed. ægyp. cla.5

Digitized by Google

tuor libros; quorum ſinguli in capitula ſeu ſuratas, quæ in univerſum ſunt 211. diviſus, quem Turcæ ſummo honore tamquam a Gabriele Archangelo Mahumeto traditum venerantur. Ejus dogmata conflata ſunt partim ex Epicureis, ut doctrina de futura hominis beatitudine ſita in hortorum amoenitate, menſarum lautitia, & venereis voluptatibus, quando tamen credant quæ in Alcorano dicuntur, jejunent certo anni tempore, corporis diverſas partes abluant ritu quodam præſcripto, & attributorum Dei quædam nomina aliquando recitent: partim ex Judæis, ut polygamia, libellus repudii, interdictio carnis ſuillæ, circumciſio, & frequentes lavationes: partim ex Rechabitis (1), vel Nazaraeis (2), ut abſtinentia a vino: partim ex Chriſtianis hæreticis, ut Verbum Divinum non eſſe æterno Patri conſubſtantialem, quod eſt Arianum, Chriſtum eſſe purum hominem, quod eſt Neſtorianum, nec paſſum ipſum revera fuiſſe nec mortuum, quod eſt Cerdonianum: partim a Catholicis, ut Chriſtum fuiſſe inſignem prophetam, & in Cælum aſcendiſſe: partim a deliramentis ipſi Mahumeto propriis, ut de Dæmonibus, qui clam caelum ingrediebantur ad detegenda arcana Dei, donec creata fuit ſtella lucidiſſima, quæ illos detexit, & accenſis titionibus fugavit. Alia Alcorani abſurda retulit Georgius Sale in prolegomenis ad ipſius ex arabica lingua in anglicam translationem Londini impreſſam anno 1734., quorum aliqua legi etiam poſſunt in Bibliotheca Britannica, ubi (3) de hoc Sales opere loquitur. Haec de utilitate

(1) Jerem. c.35.
(2) Iudic. c. 13 v.7.
(3) Bi. to.5 pa.1 ar.6.

FINIS.

INDEX RERUM

NUMERI INDICANT PARAGRAPHOS

A

A Cur prima litera in alphabetis 42.
Abelis liber apocryphus 104.
Aben - Ezra 407.
Abrahami libri apocryphi 108. quænam ejus lingua 76.
Academia Apathiſtarum pro literis amoenis 694.
Academia Florentina pro literis humanioribus 994.
Academia Græcorum quid eſſet 711.
Academiæ linguarum laudabiles, ne illæ corrumpantur ab arbitrio multitudinis 700. a viciſſitudinibus temporis 701., a novatoribus cerebroſis 702., ab inconſideratis 705., ab ignorantibus 706., & ut augeantur 707., commercium reddant expeditum 709, & ad earum ſtudium exteros alliciant 710. illæ admittunt nova vocabula 296.
Academia linguæ Gallicæ 695., ejus dictionarium quater editum 695.
—— Hiſpanæ 697. 720.
—— Italæ 691., hujus dictionarium quater editum 692., ejusdem editio Neapolitana 692., ejusdem extinctio 694.
—— Luſitanæ 698.
—— Svecicæ 699
Accentus graeci ubi ſunt opportuni 220., & ubi importuni 219.
Accentus latini & itali 221.
Accentus variat ſignificationem ejusdem vocis 57. 368. 370. 371.
Accolti Benedictus 621 ſcripſit de Bello Chriſtianorum 846.
Acontius Jacobus ſcriptor elegans 874.
Adamo lingua infuſa fuit 326. determinavit ſignificationem aliquorum verborum 333, an libros ſcripſerit 100.
Adder Georgius 144., 411.
Aegyptii tres characteres habuerunt 112., & ſcripturam alphabeticam ſimul cum hieroglyphica 112
Aequivoca 319.
Aeſopi ſigla 271.
Affinitas linguarum unde arguatur 41.
Africæ populi maxima ex parte inculti 437.
Agius de Soldanis de lingua Melitenſi 48., de lingua punica 560 567.
Aimerichus Matthæus 456., 588., 832., 877.
Aimonii duo ſenior & junior 593.
Alani ex Lithuania 634.
Albornotius Aegidius Cardinalis 197.

Alcia.

Alciatus Andreas barbari ſermonis latini oſor 873.
Alcoranus arabice ſcriptus eſt 413. 833.
Alcuinus familiaris Caroli M. 584.
Alcyonius Petrus 625., 854. ſacra profanis verbis expreſſit, Totilam dicit Gothicæ linguæ promotorem 671.
Aldrete de lingua hiſpana 481.
Alexander III. Papa doctiſſimus 600
Alexander VII. penſionem dedit Kirchero 503.
Alexandrina bibliotheca incenſa 432.
Algarotti elogium 806.
Algebrae notae 252.
Alpha & Omega in monumentis 280.
Alphabeti italici literæ viginti, ſunt quantum ad poteſtatem quatuor ſupra triginta 794.
Alma Redemptoris auctor 592.
Almeloveen de medicina 178.
Alvari Emanuelis grammatica 95. de interpunctione 213.
Amadei B. revelationes 100.
Amadis fabula 485.
Amadutius de lingua etruſca 535.
Amaſæus Romulus 636.
America auſtralis accepit incolas ab Europa auſtrali, & borealis ex Aſia orientali & occidentali 441. cur multæ in utraque linguæ 446. & quæ in ipſis primigeniæ 438.
Americani inventi ſunt ſine arte ſcribendi 102., 106., eorum arithmetica 225.
Amira Georgius 123., 411., 754.
Amoris etymologia 43.
Analoga verba 319.
Anaſtaſius bibliothecarius 580., 640.
Anchietæ Ioſephi Grammatica braſilica 439.
Andres Ioannes 164.
Angelus Politianus 618.
Angli linguæ italæ amantes 79.
Anglici libri de lingua anglica 715.
Annalesl typographici 715.
Anſelmus S. Cantuarienſis 595., Lucenſis 590.
Antinorius Ioannes architectus celebris 290.
Antonelli Nicolaus de S. Iacobi libris benemeritus 685.
Antonianus Sylvius poeta extemporalis 632.
Antonii S. Patavini conciones 606.
Antonini Annibalis Dictionarium 659., 693., 695., 703., 798., 803.
Aquapendente Fabricius 933.
Aquilanius Scipio de placitis philoſophorum 711.
Arabes olim literis uſi ſunt pro numeris 246. eorum interpunctio 214., 218.
Arabici numeri ante ſæculum duodecimum ignoti ipſis Arabiis 236 non veniunt a graecis 234., ſed ab Indis 231., noti in Hiſpania ſæculo duodecimo 232., & ab Italo Bonaccio ante promulgatas tabulas Alphonſinas 232., non tamen ante ſaeculum duodecimum 233.
Araucanum bellum 553
Arcani diſciplina 285.
Arco de Nicolaus 629.
Arco Jo. Bapt. de Pelaſgis 547.
Ardeae picturae 458.
Arias Montanus 879.
Ariſtoteles in graeco elegans 869., qui loca quaedam in eo ſuppleverint 869.

Digitized by Google

Arithmetica eſt apud omnes gentes 222. per nodos apud Americanos 102. ejus notæ uſitatæ a mathematicis 252.
Aromatari Joſeph de grammaticis italis 460.
Ars docendi ſurdos habet multos auctores 932.
Arteaga Stephanus de theatro ſcripſit 62., & de lingua itala 794., 802., & contra academias linguarum 690., 718.
Artificium linguarum in quo conſiſtat 375.
Arvales fratres 672.
Aſſemani Simonius & Evodius 145.
Aſſuerus forte idem ac Cambyſes Cyri filius 430.
Aſtronomorum ſigna 253. 254.
Atlantida inſula quæ fuit 442.
Atramentum pro ſcriptione 167., diverſi coloris 169., & aptum ad typos 179., & ſympaticum 211.
Atto Vercellenſis 586.
Antonius Nicolaus ſcripſit bibliothecam hiſpanam 780.
Augurellus Aurelius poeta bonus 623.
Aurea & lutea ætas non pertinent ad vim verborum 661.
Aurum album aliter chryſargus 259.
Aurum potabile 178
Azevedo (de Emanuel) 63., 285., 480., 827., 828.
Azzo Juriſconſultus 598.

B

B Albi Jo. Lexicon 181.
Balterus Antonius 784.
Barbara ſcripta non leguntur 896., ea non facienda 868.
Barbari ſignificatio 523.
Barbarus Hermolaus ſtili barbari oſor 872.
Bardettus Stanislaus de primis Italis 531., 543., de lingua græca 453.
Bargaeus Petrus Angelius 629.
Bathelemeius de lingua Palmyrena 549.
Bartoli Daniel il torto 705., orthographia 216. 221.
Baruffaldus Hieronymus 197.
Baſinius poeta elegans 623. 649.
Basnages Jacobi de Labaro ſententia 280.
Bayles ſcepticiſmum promovet 867
Be molle tonus muſicus 77.
Becherus de lingua univerſali 504.
Bella punica 674.
Bella ſacra pro Jeruſalem recuperanda 642.
Bembus profanis verbis uſus in ſacris 657.
Benettis de Jeremia picturis bibliothecæ Vaticanæ præfuit 104.
Bergantini Jo. Anton. 693.
Bergomi laus 605.
Bernardinus S. nominis Ieſu inventor 277., ejus conciones 619.
Bernardus S. qua lingua ſcripſerit 596., 597.
Beroaldus Philippus 194.
Bertola de Georgiis laudat linguam germanicam 840.
Bertoni grammatica Aimara 443.
Bertrand Elias 662.
Beſchius de lingua Tamulica ſive Coromandeli 423.
Bianchini e Cong. Oratorii 145.
Bianconus Io. Bapt. auctor Ephemeridum Roman. 477. primos dicit Phoenicios characteres 132., 143.,

Digitized by Google

143., negat duos fuiſſe characteres apud Hebræos 136.
Bielfeldus de lingua germanica 394., 519.
Biglia Andreas 622.
Biſſo Io. ſcripſit de poeſi 28.
Blondus Flavius 622.
Bluteau Raphael de lingua luſitana 698.
Boccaccius Jo. 615., 686., linguam græcam promovit 644.
Bochartus a græca latinam deducit 456., & quidem a dialecto aeolica 374.
Bonarota Philippus 154., de primis Italis 546.
Bonfini Antonius 620.
Bono (de Michael) de lingua ſicula 668.
Bononienſis ſchola 591., 598. typographia 194.
Borgia Stephanus 586.
Borſa Matthæus 690.
Bottari Joannes 489.
Bouhours Dominicus gallicæ linguæ laudator 819.
Bourdelotii cenſura de lingua Itala 801.
Bracciolini Poggius 621., invenit latinos auctores 653.
Brandolini Antonius 608.
Brandolini Aurelius 621., 631.
Breſciani Benedictus 692.
Breviarium promulgatum a S. Pio V. 689.
Brucherus male accuſat S. Gregorium M. 893.
Brunetti Latini theſaurus 198.
Bruni Leonardus de lingua latina 459., 477., ejus hiſtoriæ 622.
Bruno S. Charthuſianorum fundator 592.
Bruſcioni Hiacynthus 436.
Bruta cur non loquantur 33.
Buffon 259., ejus liber Epochæ naturæ 442.
Bulletus Dictionarii celtici auctor 396.
Buonmattei grammatica itala 460.
Burgondius jureconſultus 598.
Burmanus grammaticos nimis extollit 875.
Burriel Antonius græcas radices in lingua hiſpana invenit 667. laudat linguam arabicam 832.
Burriel M. Andreas 174.
Buxtorfii pater & filius 125.

C

CAdmus quas literas invenit 107., 146.
Caelatorum ſigla 265.
Caeleſtia nunc non poſſumus intelligere 851.
Caeſares de lingua latina ſcriptores 462.
Cajetanus de Stephaniſcis 613.
Calami ad ſcribendum apti 160.
Calchi Triſtanus 620.
Calcographia nata XIV. ſæculo 363.
Californienſes oriundi a Tartaris 442.
Calmet dicit Job loquutum eſſe de miraculis Ægypti 115., negat duos fuiſſe characteres apud Hebraeos 136., chaldæos eſſe dicit characteres hebraicos 134.
Caloris notio 866.
Camoens Ludovicus poeta 829.
Cancellerius Franciſcus de T. Livio 652., de Sacrariis 672.
Capece Scipio poeta bonus 628.
Caraccioli Triſtanus 620.

Carli Rinaldus de America ſcripſit 442.
Carmen fratrum arvalium 672.
Carmen ſaliare 673.
Carolus M. in Italia literatos invenit 575.
Carolus V. Mexico potitur 4., num plures linguas noverit 498.
Carſciunicus character eſt Syriacus adhibitus in verbis arabicis 145.
Carvajal Ioſeph 174. auctor Academiæ Matritenſis artium 6.
Caſſirius Michael 144., auctor bibliothecæ arabico-hiſpanæ 832.
Caſtiglionius Balthaſſar poeta inſignis 628.
Caſtallionus Sebaſtianus 881.
Cavalca Dominicus 642.
Cavilloſi ſunt aliquo modo mendaces 915.
Celtæ ſedem in Gallia habuerunt 306., & aliis regionibus 401.
Cervantes Michael ſcripſit fabulam celebrem Don Chiſciotte 485.
Ceruti Hyacinthus 789.
Ceſarotti Melchior de lingua Itala 486.
Ciacconius de columna roſtrata 514.
Ciarlatani etymologia 472.
Cicadæ cantus 20.
Ciceronis libri de Conſolatione & de Gloria 625., 626.
Cicognini Andreas auctor cantiuncularum in theatro 795.
Cid Arabas vicit 491.
Ciferà vel Cifra 204.
Chalcographia conjuncta typographiæ 190.
Chaldaei num antiquiores Hebraeis 773.
Characteres primi qui ſint incertum 132. Majores & minores ſunt utiles 140., minores non ſunt antiqui 138., illorum numerus per arbitrium eſt determinatus 55., aliqui ſunt valoris jam ignoti 176 ſacri & profani apud Judæos 135. Arabici recentiores 144., Carſciunici 665., 145.
Charlevoix Petrus 678.
Charpentier vult inſcriptiones fieri ſolum latine 818.
Charta linea 162., quando inventa in Hiſpania 164., quando in Italia 165., charta ex goſſipio, ex plantis, ex ſericis 163.
Chordae accidentales ſunt toni muſici
Chordae naturales ſeu toni muſici 59.
Chiſciotte fabula celebris 485.
Chryſargus novum metallum eſt 259.
Chriſtiani S.Ioannis quæ gens ſit 131.
Chriſtus qua lingua uſus in terris 765.
Chymicorum notæ 255., 261. veterum lingua obſcuriſſima 856., propterea contemnuntur 914.
Claudius.Epiſcopus Taurinenſis 683
Clavigeri Franc. Xaverii mors 444 ejus hiſtoria Mexici 4. impugnatio cujusdam Paw 841.
Clericus Joa. auctores linguarum dicit homines 371. male explicat confuſionem linguarum 342.
Climata non ſunt cauſſa diverſarum linguarum 340., 345., ſed in eas influunt 500.
Cnapius Gregorius de lingua latina 457.
Codicis etymologia 158.
Cognitiones diſtinctæ deſunt ſi deſint vocabula 90., 91.

Colla.

Digitized by Google

Collado Didacus auctor grammaticæ Iaponicæ 376., 426.
Coloccius Angelus 630.
Coltellini Auguſtinus 692.
Coluccius Salutatus 614.
Columna roſtrata poſita Duillio 514.
Combinationum numerus pro datis elementis quomodo inveniatur 762.
Comeſtor male tribuit confuſionem linguæ tempori poſt mortem Noe 341.
Comiers Claudius 205.
Commercio variantur linguae 680.
Condamine 222.
Condillacus fontem idearum videt in vocabulis 90.
Confuſio linguæ non eſt accipienda metaphorice 342., fuit a Deo 346., in poenam culpæ alicujus 347., & fuit oblivio primæ linguæ & novarum infuſio 371., & accidit vivo Noe 341.
Conſervator eſt titulus plurium voluminum 93.
Conſonantes palatinæ labiales dentales linguales gutturales naſales 39., ſemivocales & mutæ 40. paucæ indigent lingua 45. quæ ſint facillimæ pronunciationis 42 earum ſonus 356.
Conſonantiæ quid ſint 78., quot ſint 80., earum numerus 76., earum notitia non requiritur ad compoſitionem muſicæ 81.
Conſtantinopolis capta a Turcis 639.
Copia linguæ non debet eſſe nimia 808., in quo ea conſiſtit 809.
Coptica verſio S. Scripturæ 432.
Cor Ieſu adorabile 276.
Cor quare ſymbolum amoris 276.
Cornelius Celſus elegantiſſimus 870
Corno (del) Antonius 186.
Corſinius Eduardus 264.
Cortes Ferdinandus 4
Corteſius Paulus ſcriptor elegans 871., ſacra interdum profane expreſſit 657.
Corticelli triginta quatuor ponit elementa pronunciationis italae 55.
Covarruvias Sebaſtianus 69.
Crophius Philippus de Gymnaſiis ſcripſit 717.
Crucis S. titulus extat Romæ 155.
Crux ſignum denarii antiquum 226.
Cryptographia 204
Cuſtodes in typis quid ſint 186.
Cuba inſula mutavit linguam 662.
Cuficus character eſt vetus arabicus 143., non eſt inventus a Salomone 144.
Culpa quæ meruit confuſionem linguæ 347.
Curialia verba 525.
Curtis Rogerius de America ſcripſit 442.

D

DAcia habet veſtigia linguæ latinæ 664.
Daemonis ſignificatio 522.
Dalambertus oſor latinæ linguæ 639., quas imperfectiones dicit eſſe in lingua itala 795.
Dantes Alighieri 615., 684., non prætulit italæ linguæ gallicam 814., dixit linguas eſſe in hominum arbitrio 311.
Decor puellarum quando typis impreſſus 193.
Definitiones nominum neceſſariæ ſunt 861., 864., 866., 913.
Democriti error 17.

Dem-

Digitized by Google

Dempſterus Thomas 534.
Denina de Carolo M. 574.
Deſportes Philippns 797
Deus auctor primæ linguæ 326. & aliarum apud Babel 351., ejus nomen in multis linguis tetragrammaton 750., non in omnibus 751., in hebraico myſteria nulla ſunt 753.
Dialectica neceſſaria ad omnem ſcientiam 920., in ejus præceptis aliqui ſunt nimii 920.
Dictionarium biblicum a Barralo ſcriptum, & ab Aquila verſum & auctum 888.
Dictionarium linguarum augeri ſolet ,707.
Didymus Taurinenſis de lingua Coptica 433.
Dies illa a quo compoſita 791.
Dieſis tonus muſicus 77.
Digbæus ſurdum a nativitate loqui audivit 926.
Diluvii notitia inventa in Mexicanis 3.
Diodatus Dominicus Chriſti nativam linguam dicit fuiſſe græcam 770.
Dionyſius Rex Luſitaniæ 495.
Diſciplina arcani 285.
Dodartus tibias per aerem receptum ſonare dixit 88.
Doloris notio 866.
Domnizo auctor vitæ Comitiſſæ Mathildis 602.
Doni Franciſcus 8ᵕ9.
Dorimini Antonius 861.
Douchet Orthographia 218.
Duarenus jus docendum eleganter voluit 873.
Dungalus Anglus 582.
Duretus Claudius de linguis ſcripſit 153.

E

E Aperta & clauſa 38.
Eccleſia Catholica non poteſt errare 688., ea non admittit variationem in linguis 687.
Elegia italica ad inſtar latinorum 787.
Eli eſt verbum hebraicum 767
Eloquentiæ notio & ſpecies 884.
Encauſtice pictura 8., 11
Enoch junioris liber 114.
Enoch ſenioris libri apocryphi 108.
Enos an libros ſcripſerit 105.
Epicurus de obſcuritate accuſatur 905.
Ercilla Alphonſus poeta nobilis 553.
Esdras auctor characteris hebraici 134.
Eſtrangelo vocantur characteres antiqui ſyriaci 47., hujus nominis etymologia 145.
Etruria ſuperior media & inferior 544.
Etruſcæ inſcriptiones 175.
Etruſci an ſint Pelasgi 546. eorum libri augurales 532.
Etymologiæ difficiles 721. 729. ſæpe ſunt commentitiæ 759
Evangelia græce ſcripta fuerunt præter illud Matthaei 761.
Eugubinæ tabulæ 533.
Eximenus laudat italam linguam 784., & cantabram 405., ejus opus de Muſica 65., ejus opinio de lingua homini naturali 300., & de Academiis linguarum 690.
Experiens Callimachus 621.

Fac-

F

FAccius Bartholomæus 621.
Faernus Gabriel 629.
Facciolati Orthographia 693.
Falca de linguis 448.
Faria Emmanuel 483., 518., 698.
Farneſius Henricus de hieroglyphicis 291., & de interpretatione 721.
Faſcitellus Honoratus 629.
Fauſtus Io. typographus primus 183.
Feijoo Benedictus 204., 776, laudat linguam gallicam 816., cur ſcripſit hiſpanice 718.
Fenelon Franciſcus 485.
Feneſtella Lucius 621.
Ferdinandus S. rex Hiſpaniæ 493.
Ferdinandus VI. Rex Hiſpaniæ 174. 832.
Ferrari Antonius 620.
Ferrari Octavianus 485.
Ferri Hieronymus 628., 635., 636.
Figueroa Franciſcus poeta 784.
Figurae verborum ſpeciem ſoloeciſmi habentes 508.
Figurae oratorum non conveniunt in docendo 902.
Filius hominis non ſignificat impium 728.
Fineſchi Vincentius 196.
Fineſtrerius Ioſeph elegans ſcriptor 874.
Finettius de lingua hebraica 833., de affinitate plurium linguarum cum illa 408., de lingua arabica 409., de punicis Plauti verſibus 562., 566., de characteribus minuſculis linguæ syriacæ 139. de opinione Maſclephii 123., 124. de lingua Palmyrena 549., contra Fourmontium 125.
Fiocchi Dominicus 621.
Firenzuola Triſſino reſtitit 38.
Flaminius M. Antonius 629. 838.
Floncel amantiſſimus linguæ italæ 798.
Florentia amans græcæ linguæ 644.
Fontaninus Iuſtus 490., 608.
Fontaine (des) ſcripſit cenſuras librorum 415., 596.
Fontenelles linguam latinam vix fuiſſe dicit in Gallia XI. ſæculo 593.
Forcellinus 646.
FouhiusSinarum imperator an idem ſit ac Noe 732.
Fourmont de punctis vocalibus 125. de grammatica Sinenſi 415.
Fournerius Petrus 181.
Fracaſtorius Hieronym 629. 871.
Frain de Tremblay ſigla nollet 269. v. Tremblaius.
Franciſcus Galliæ rex amans ſtudiorum 624., & linguarum orientalium 203.
Franciſci S. Aſſiſiatis conciones 606.
Franciſcus Sales S. de mendacio 515.
Franciſcus Xaverius S. de Iaponia 428.
Freron cur inviſus Voltairio 710.
Freſne du Carolus 518.
Fridericus II. Imperator 684.
Froelich de Siglis numorum 267.
Fulberti opera 593.
Furetierius 696.

G

GAbrini Thomæ ſiglorum interpretatio 272.

Galataeus, hoc eſt Antonius Ferrari 620.
Galeottus a Bononia 489
Galfridus Vineſauf 610.
Galilæus uſus eſt ſyllogismis 910.
Galli cur poetas alterius linguæ proſaice interpretantur 823., eorum idiotismi apud quosdam italos 706., eorum verſus minus grati quam latini & itali 821., 822. 823.
Garoſalus Blaſius laudat linguam hebraicam 834.
Gaſparinus Barzizius 617.
Gener Jo. Baptiſta 588.
Geneſius Alcyonii inimicus 625.
Geometræ cur pauci 919. eorum methodus egregia eſt 918.
Gherardus Landriani invenit auctores latinos 653.
Giambullarius de lingua itala 471.
Gilius Phil. Salvator ſcripſit de Americanis 43., de eorum arithmetica 222., 224., de nominibus numerorum ibi auditis 90., & de linguis eorum qui ſunt circa Orinocum 440.
Ginnanius antiquiores juſto vult numeros arabicos 234.
Giorgi Auguſt. Antonius 146. 549.
Giovenazius de Tito Livio benemeritus 651.
Giraudeau reiicit Hebræorum puncta vocalia 121., ejus de græca litera H ſententia 148., 278.
Gloria laus & honor eſt carmen Theodulphi 576.
Gloriæ notio 865.
Glottis præcipuum vocis organum 34.
Gollingius negat haberi ideas diſtinctas de iis pro quibus deſint vocabula 91.
Gori Ant. Franciſcus 530., 541., ejus alphabetum etruſcum 540.
Goropius 742., linguam belgicam dicit fuiſſe linguam Adami 742. 394.
Gothi unde ſint 395., quando in Italiam venerint 662., non fuerunt crudeles 573., eorum characteres 156.
Gouiet Petrus ſcripſit Bibliothecam gallicam 780.
Gradenicus Io. Hieronymus 582., 643.
Grammatica italica portus regalis 859.
Grammatici antiqui latini 462.
Grammatici linguæ italæ 460.
Granatenſes laminæ 176.
Gratianus auctor Decreti 602.
Græci cur non habuerint pro ſua lingua academiam 712., cur apud Romanos fuerint linguæ latinæ magiſtri 467., eorum vocabula ſunt in omnibus diſciplinis 649., 650., eorum characteres nati poſt phoenicios 107., a Coptis numeros acceperunt 247.
Grecenſes Theologi de ſcriptoribus eccleſiaſt. 588., 589.
Gregorius M. Sanctus male accuſatur de ſtilo barbaro 893. 912.
Gregorius V. doctiſſimus 587.
Groſshead Robertus 611.
Guarinus Veronenſis 639., invenit Catullum 653., in Græciam ivit 644.
Guidus Aretinus de cantu benemeritus 60., eſt ſcriptor elegans 589.
Guttemberg fecit typos mobiles ligneos 182.

Han

H

HAn aſpirationis nota apud græcos 270.
Hadrianus Cardinalis ex Cornueto 636.
Halde Sinarum deſcriptio 419
Han Ulricus typographus elegans 187.
Haſta centumviralis 28.
Harduini opinio de lingua J. Chriſti & Apoſtolorum 765.
Harmoniæ in linguis fontes 836.
Hartleyus Moyſem auctorem ſcriptionis facit 109., 110., de lingua univerſali agit 502.
Heberi familia an linguam amiſerit apud Babel 727.
Hebræi num ſint progenies Chaldaeorum 772., cur dicti hebraei 725., 764., in Aegypto conſervarunt ſuam linguam quia uniti 739., ejusdem obliti in Babylonia, quia diviſi 676., eorum notæ numericæ 226., quæ ipſis vetitæ imagines 26., habent nomina propria ſignificativa 760.
Heel Maximilianus 391.
Heineken de chalcographia 190.
Hermannus Contractus 592.
Hermogenes ſignificationem verborum ab arbitrio repetit 312.
Hertſchel detexit novum planetam 257.
Herrera Franciſcus Poeta 784
Hervas ſcripſit de linguis 3., cur illarum catalogum dederit 388., & Lexicon polyglotton 318., affinitatem quarumdam linguarum cum hebraica demonſtravit 408., a Cantabra latinam deducit 455. Arithmeticam nationum expoſuit 226., credit Noe Sinenſium progenitorem 731., 732., orationem dominicam dedit in linguis trecentis 353.
Hiberni ſunt ex Phoenicia 399. 403.
Hickeſius Georgius de linguis antiquis 153.
Hieroglyphica 109, 280., quid ſint 112., ab omnibus gentibus uſitata 295., quædam Chriſtiana 292., aliquorum explicatio 291., qui de ipſis ſcripſerint 292
Hillerus Henricus 205. 207.
Hincmarus Epiſcopus 582.
Hiſpani cur dicti Iberi 429.
Hiſpani nummi ignoti 551.
Hiſtoriæ dotes 888.
Hoddius Humphredius 639.
Homerus per italos verſus redditus 789., ſyriace redditus 119.
Homines augent linguas 360.
Honeſtis (de) familia pervetuſta 589.
Honoris notio 865.
Horatius novas voces pro novis rebus vult 658.
Huetius de Carteſio 178., de notis arabicis 234., de ſtudiis Italiæ 599.
Humbertus Card. de Azymo 592.
Hutcheſon confuſionem religionis dicit ſignificari per confuſionem linguarum 343.

I

JAmaica mutavit linguam 66.
Januae hiſtoria 625.
Japones ſunt bonæ indolis 156. veniunt a Tartaris 426., characteres Sinenſes intelligunt 427.

Idea Dei an ſit in ſurdis a nativitate 922.
Ideae noſtræ cur conjungantur cum earum vocibus 92., illarum conſociatio eſt etiam in brutis 23.
Ienſon Nicolaus typographus 187., 193.
Ieſus nomen per ſigla 275.
Ihrem Ioannes de linguis 453
Imaginum SS. inimici 640.
Increduli cur ſtilo figurato utantur 902, abutuntur verbis 857
Indi ſunt numeri dicti arabici 236.
Inſcriptiones hiſpanæ incognitæ 551.
Inſignia Academiarum 296.
Inſignia familiarum ſæculo undecimo nata 266.
Inſulæ fortunatæ 550.
Interiectiones ſunt ſigna naturalia 502.
Interpretum de S. Scriptura notæ 262.
Interpunctionis initium 213.
Ioannes a Capiſtrano S. propagator imaginum nominis Ieſu 277.
Ioannes XVII. Papa ex Rapagnano 586.
Iob fuit ante Moyſem 115. ſcripſit syriace 116.
Ionas Epiſc. Aurelianenſis 582.
Iſaiæ ſtilus admirabilis 886., 887.
Islandi cogniti primum IV. poſt Chriſtum ſaeculo 393.
Itali ex Graeciane an ex Phoenicia ſint 544., multi de hac re quæſierunt 548., literatos italos Carolus M. in Galliam duxit 576. 577., multi ex illis græcæ & aliarum linguarum periti 640. 778.
Iuris generica definitio 861., illa juris naturalis juxta Ulpianum, & juxta Theologos 862., illa juris gentium 863.
Juſtinianus Auguſtinus 203.
Iuſtinianus Bernardus ab Academia Pariſienſi honoratus 576.
Iuſtinſanus Petrus 193.

K

Kalmar Georgius de lingua univerſali 506.
Kimchius verba hebraica negat habere ſignificationem arbitrariam 312.
Kircher 205., ejus Steganographia 211., hieroglyphica illuſtravit 294., Adamum dixit excudiſſe nomina animalium 335., refert rudera turris Babel 350., primos characteres vult fuiſſe hebræos 134., in hebræis agnovit characteres ſacros & profanos 135., digito ſcriptum Tecel dixit 161., linguam latinam credidit primigeniam 447., ejus opinio de lingua univerſali 503.

L

Labarum Conſtantini 279.
Labium synonimum loquelæ 87.
Laboureurius poeſim gallicam præfert latinæ 819.
Lactantius dictus Cicero chriſtianus 870.
Ladvocatus & ejus dictionarium 117 196., 269., 291.
Laire Franc. Xaverius 180. ejus explicatio de ſiglis quibusdam typographicis 265.
Lambertus Petrus 124.
Lamech vixit cum Adamo 105.
Lami Ioannes 692. 697.

Digitized by Google

Lancellottus Claudius grammaticæ Portus regulis auctor 859.
Landini Franciſcus 614.
Landriani Gherardus invenit aliquos latinos auctores 653.
Lanfrancus Pontifex Cantuarienſis 594.
Lanzius linguam veterum Latinorum reducit ad veterem etruſcam 450., & carmen Fratrum Arvalium explicavit 672.
Latinus Brunetti gallice ſcripſit theſaurum 517.
Latina opera deperdita 652.
Laudis notio 865.
Laudis Pompejæ hiſtoria 605.
Leges Xvirum 674.
Legiones romanae quot militibus conſtarent 383.
Leo X. Papa 624.
Leo Marſicanus 505., 601.
Leonardus Aretinus 622., Italos græcam aliquando ignoraſſe dixit 639.
Leonicenus Nicolaus ſcriptor elegans 871.
Leonicenus Omnibonus 185.
Leucæ ſignificatio 521.
Lexicon primum latinum 590.
Libertas Divina 774.
Lingua Ægyptiaca antiquior græca 146. eadém eſt a Coptica 48., & erat etiam aerae vulgaris V. ſæculo 770.
—— Æthiopica extat in aliquibus Scripturæ libris 556., duplex eſt literaria & vulgaris 414.
—— Aimara 443., habet grammaticam a Bertono 443.
—— Algonkina 445.
—— Anglica eſt a Teutonica 394. non tribuit conſtanter eumdem ſonum eisdem literis 142. non habet academiam 714
—— Arabica non eſt primigenia 412. plures ipſius literæ habent nomen hebræum 144., eſt literaria, & eſt vulgaris 413., 414. eſt ex linguis doctis 412., carſciunica dicitur ſcripta literis syriacis 145., abundat synonimis 808., ejus copia 833., nunc eſt minus ampla, quam olim 781, ejus laudes 831. 833
—— Araucana ex iecta 552.
—— Armena primigenia 422., in liturgia ſuperſtes 555.
—— Belgica 394., unde habet verba aliqua perſica 679.
—— Boema eſt mixtum quoddam polonicæ & germanicæ 668.
—— Bononienſis 700.
—— Cantabrica eſt primigenia 742., differt a Celtica 405., caret gutturalibus 49., & litera F 51., olim fuit lingua Hiſpaniæ 481., ibi alicubi viget adhuc 404., & etiam in quadam Galliæ regione 680., Larramendius de ea ſcripſit 404., 720., ejus laudes 405., 406., 840.
—— Celtica eſt primigenia 396.. Leibnitius de ea ſcripſit 401., & Pezron 396., ejus dictionarium habemus a Bulleto 396., ubi nunc ea remanet 397.
—— Chaldaica duplex 410. in Liturgia ſuperſtes eſt
—— Chilena eſt extincta 552.
—— Cochima 376., 415.
—— Cochinchina dialectus eſt Sinenſis 419.
—— Congenſis 436.
—— Coptica 430., eadem eſt cum Ægyptiaca 48., 146., de ea Kircher & Tukius ſcripſerunt 431.

431., abundant exteris vocibus 676., erat vulgaris etiam ſæculo Chriſti V. 770., & nunc remanet in Liturgia 555., 666.
—— Cora 445.
—— Dinica abundat verbis latinis 394.
—— Ephrataea 682.
—— Erſa 398., quæ eſt partim phoenicia, partim celtica 402.
—— Etruſca vetus eſt extincta 552 qui de illa ſcripſerint 539., 540. caret quibusdam literis 50., 536.
—— Fulia 437.
—— Gala 435.
—— Galaaditica 682.
—— Galilæa 682.
—— Gallica eſt a Latina 480., non viget in tota omnino Gallia 680. ejus uſus in ſcriptis 490. ejus laudes 813., 814., cur habeat syntaxim naturalem 820.
—— Georgiana forte eſt Cantabra 429., alia eſt vulgaris, alia literaria 424., ejus dictionarium per Irbachium 429.
—— Germanica 499, 519. nunc alia eſt ac olim 394., ejus laudes 840.
—— Goana 423.
—— Græca literaria dicta eſt Hellinica 451., non eſt primigenia 449., Bardettus eam repetit a Scythica 453., in quibus conveniat cum Coptica 447., a Coptica habet characteres 146., hi aucti a Cadmo & Palamede, & fortaſſe a Simonide 146., 147 ejusdem dialecti 682., eſt difficilis 451., eſt harmonica 500. aliæ ejus laudes 835., exculta eſt ab Italis 640., ea Chriſtus non eſt uſus 770.
—— Græca vulgaris dicta eſt Romaica 453.
—— Guaicura 445.
—— Guarana 439., ejus laudes 843., ejus lexicon 439.
—— Hebræa biblica 407., num fuerit lingua Adami 331., 740. multi linguam Adami fuiſſe affirmant & multi negant 724., 729. 733. 748., non eſt naturalis homini 299., non eſt vetus Ægyptia 737., non eſt Syriaca 743. 744., appellata etiam eſt syriaca 409., ſub Salomone ditiſſima 775., in ſuo alphabeto non habet vocales 46., ejusdem quædam regulæ 408., ejusdem radices ſunt paucæ 757., ejus verba breviſſima non probant ipſius perfectionem 756., 762, nec includunt in ſuis literis myſteria 753, qui ſibi viſi ſunt eam videre in omnibus linguis 758. Mazzocchius hanc dicit eſſe in Etruſca deperdita 372., ejus laudes 834., an ea uſus ſit Chriſtus 768.
—— Hebræa rabbinica 407.
—— Hellinica eſt græca literaria 451., 713.
—— Hiberna 398., celticane an phoenicia ſit 402., eſt dialectus phoeniciæ 564., non eſt dialectus celticæ nec cantabræ 405., 406.
—— Hiſpana a Latina eſt 480., latinae imitatrix eſt 827., unde habeat voces peregrinas 678., & arabicas ac gothicas 480. ejus uſus quando incoeperit in ſcriptis 492., ea tollitur a Sardinia 670. ejusdem laudes 824.

Hunga-

—— Hungarica lingua tollitur paulatim 670. eſt a Scythica 391.
—— Hurona 445., de ea ſcripſit Rasles 445.
—— Jalofa 427.
—— Japonenſis, & ejus grammatica 376., 426.
—— Jeroſolymitana 682.
—— Illyrica 389.
—— Inca eadem cum Peruana 52
—— Indica 423.
—— Islandica eſt Teutonica 393. unde habeat græca verba 679.
—— Italica non fuit ſimul cum latina 476., 477., eſt a latina 471. dicta olim fuit Sicula 684. unde habeat voces græcas 677., a Gothis accepit expreſſionem paſſivi per verbum ſum 476., ejus uſus in ſcriptis incoepit ſæculo XII. 486., qui noluerint eam adhiberi a doctis 496. pura fuit ſæculo XIV. 683. ejus vindiciæ 804., non poteſt accuſari de paucitate verborum 808., reſpuit latinam ſyntaxim 859., 510., admittit aliquas trajectiones verborum, & muſicæ eſt aptiſſima 794., ejus dialecti 782., cur quæ pura eſt intelligant, qui pura non utuntur 709 qui de ea ſcripſerint 460., 716. ejusdem laudes 500., 793.
—— Iucatana eſt eadem cum lingua Maya 442.
—— Laponica eadem eſt cum Hungara 391.
—— Latina non eſt primigenia 454., Kircher dixit primigeniam 447., Pruſchius a germanica eam deducit 456. a græcis habet literas 149., ejus variæ ætates 450. 572., unde habet voces peregrinas 677. nunquam fuit lingua plebis 459., qualis ſub Duillio, Plauto, & Terentio 701., viva jam non eſt 570. ſed ne extincta quidem 572., cur non extincta 849., nunquam extinguetur 646., dici poteſt lingua univerſalis 507. ejus phraſes quædam tranſierunt ad italicam 474., idiotiſmi quidam vulgi 466., an ea uſus ſit Chriſtus 765., ſæculo X. erat pars ſacræ cæremoniæ 583., ejus inimici 647., ejus laudes 500., 838., 839.
—— Luſitana eſt a Latina 482., non eſt ab hiſpana 484., ſermo quidam Luſitanus ſimul & latinus 483., ejus uſus in ſcriptis quando incoeperit 495., ejus laudes 828.
—— Malabarica & ejus grammatica 423.
—— Malaya non habet vocales in alphabeto 48., parum mutata eſt 679., ejus laudes 420.
—— Manchaea 424.
—— Mandinga 435.
—— Maya 444., dicitur etiam Iucatana 442.
—— Mediolanenſis 675.
—— Melitenſis exponitur ab Agio de Soldanis 48., & aliis 563.
—— Mexicana habet grammaticam a Carochio 444. ejus laudes 841.
—— Mizteca 444.
—— Mongola 425.
—— Moxa habet grammaticam a Marbano 443.
—— Muisca extincta 552.
—— Neapolitana 675.
—— Oſca extincta 512., 529., caret

Digitized by Google

caret literis D, Q, & G, 50.
—— Orentota 435.
—— Otomita 444.
—— Palmyrena extincta 549.
—— Pericua lingua Californiæ extincta 445. , 552.
—— Perſica vetus & nova 550.
—— Peruana quæ dicitur etiam Inca, Kichua & Quicua 52., 443.
—— Phoenicia affinis hebraicae 726.
—— Polonica paulatim perit in Polonia Auſtriaca 670.
—— Punica eſt dialectus phoeniciæ 546., 558., non arabicæ 559., nunc eſt in Melita 557., 559., qui de ea ſcripſerint 558. 560., 567., credita eſt vetus hebraica, ejus characteres 569.
—— Quitena vel Kitena 440.
—— Romaica eſt Græca vulgaris 453., 713.
—— Samaritana 554.
—— Scythica in ruſticis remanet 390.
—— Shillitica eſt dialectus phoeniciæ 402.
—— Siamenſis 419.
—— Sinica an ſit lingua Adami 730., eſt late extenſa 419., parum mutata eſt 679., eſt miſerabilis 415., non habet alphabetum 46., 415., habet characteres quaſi innumeros 417., & plures accentus 416., caret literis B, D, R 52., ejus radices & proprietates 415. Fourmontius & alii de ea ſcripſerunt 415., 418., 419.
—— Svecica eſt a Theutonica 392.
—— Syriaca an ſit lingua Adami 727., 764., differt ab hebraica 744., ejus vocales 119., 123 viva adhuc apud quosdam montanos 555., periit per Arabes 665 ea uſus eſt Chriſtus 766., viguit etiam IV. Chriſti ſæculo 771., eſt etiam apud Malabarios 687. qui de ea ſcripſerint 411., hebraica & aliis etiam nominibus appellatur 409.
—— Tamulica ſive Coromandelica habet grammaticam a Beſchio 423.
—— Teutonica eſt lingua primigenia 392.
—— Tibetana 425
—— Tunquinenſis accentus 416., ejus dictionarium 370.
—— Tupica 439.
—— Turcica 425.
—— Umbrica recentior 538.
Lingua eſt organum præcipuum loquutionis 88., & ſumitur pro ipſa loquutione 45., ea recіſa qui loquantur 45.
Lingua Adami an exiſtat incertum 723., data ipſi a Deo 223.
Lingua homini nulla eſt naturalis 298.
Linguæ fabrica eſt opus ſupra captum hominis 305., 306.
Linguæ diverſitas eſt ſolutio unionis hominum 349.
Lingua nulla alteri præferri poteſt 776.
Linguæ perfectio quæ requirat 846. 848.
Lingua ante diluvium una, ſed dialecti multæ 337., 339., 340.
Linguam unam fore apud beatos dicunt aliqui 338.
Lingua viva quid ſit 570., ea novas voces admittit 708.

Lingua

Lingua univerſalis non datur 502.
Linguæ analogæ 94.
Linguæ etiam barbarorum ſunt artificioſæ 352., 353.
Linguæ primigeniæ 385. earum attributa 377., 387., quot ſint neſcimus 378., falſo dicitur definitum a Concilio Nicaeno 382.
Linguæ transpoſitivæ 95.
Linguæ quæ ex alphabeto latino naſci poſſunt 58.
Linguarum dialecti unde naſcantur 681.
—— diverſitas in eodem ſermone non adhibenda 898., 901.
—— procreatio qualis foret per hominem 93., 94.
—— reſonantia varia 498.
—— ſcientia data Apoſtolis 851.
Literæ quibus aliquæ linguæ carent 49., 50., 51., 375.
Literæ quædam ſimiles numeris arabicis quid ſignificent 235.
Literæ ſumptæ pro numeris 239.
Literarum numerus idem non eſt in omnibus linguis 47., 48. cur hoc 53.
Literaturæ gallicæ hiſtoria 490.
Livii Titi quædam pars nuper reperta 652.
Lobeira auctor fabulæ de Amadis 485.
Logomachiæ tractatus 866.
Longobardi ex Pannonia venerunt 662., & Italiam occuparunt 639.
Longobardicæ leges 579.
Longobardici characteres non ſunt gothici 152.
Loquelæ dignitas 31., 86., non eſt homini naturalis 301., tertio ab ortu anno incipit 18., per ſola labia 44.
Lucretius nolit unam fuiſſe olim linguam 337.
Ludovici IX. S. vita 518.
Lullius Jo. Bapt. inſignis muſicus 68.
Lupus Antonius 138, ſcripſit de S. Severa 466., titulum crucis exhibuit 155.

M

Mabillonius de libris S. Bernardi 597.
Machabei unde dicti 274.
Macpherſon Jacobus 398., 406.
Macpherſon Joannes 398.
Maffeius Scipio linguæ italæ laudator 786., hanc vult coævam latinæ 663., agit de inſcriptione Peruſina 538., de arte critica lapidaria 517., ejusdem elogium 807.
Magalotti elogium 806.
Magiſtri humaniorum literarum optimo jure ſunt poſt illos philoſophiæ 875.
Magri Dominicus 875.
Mahumetani religionis chriſtianæ non inimici 492., arabam linguam diſcunt propter Alcoranum 413.
Maimonides 407.
Maittaire 193., 198., 203.
Malaterra Goffredus hiſtoricus 590.
Maleſpini Ricordanus 488.
Malherbe Franciſcus 695., 822.
Mamma nomen matris eſt in multis linguis 822.
Mane Tecel Phares cur non intellectum a Chaldæis 746.
Manfredus filius Friderici II. 684.
Mantuanus Io. Baptiſta 625.

Manu-

Digitized by Google

Manutius Aldus de interpunctione 213.
Manutius Paulus & Aldus 627., Pauli cum Lambino controverſia 704.
Marchand Prosper 200., ejus hiſtoria de typographia 191.
Marchellus Joannes 658., 811.
Marcus S. forte auctor Copticae verſionis Bibliorum 432.
Mariana Ioan. in Mercurio triſmegiſto agnovit Moyſem 118., & hunc dicit inventorem characterum 116.
Maro Andreas poeta extemporalis 631.
Marquer chymicus de Atramento 167.
Martini Io. Baptiſta de Muſica 66.
Maſclephius reiicit puncta vocalia hebraica 120.
Maſdeu Io. Franciſcus 553., 827., 829.
Maſſorethæ qui ſint 129.
Mathematici cur pauci 919.
Mathildis Comitiſſæ vita 602.
Matthæus S. ſyriace ſcripſit evangelium 769.
Matris nomen in multis linguis ſimile 359.
Maupertuiſius de origine linguæ 297
Mauri ſæculo Chriſti IX. invadunt Hiſpaniam 607.
Maurini auctores de hiſtoria gallicæ literaturæ 490.
Mazzolari Joſeph 638.
Mediolani hiſtoria 605.
Meermannus de typographia 184., 185.
Menagius 709., 798.
Mendacium cur malum 85.
Menſurarum notæ 263., earum nomina idem ubique non ſignificant 521.
Mercurius Triſmegiſtus an ſit Moyſes 117.
Merula Georgius 621., invenit latinos aliquos auctores 653.
Metallorum ſigna 255.
Methodus docendi 913.
Michaelii liber de vocalibus 119.
Milius Joſeph 634.
Mimi 13.
Miracula ſunt ſigna 21.
Miſſale promulgatum a S. Pio V. 689.
Mithridates gnarus plurium linguarum 899.
Moncriſius nullos in linguis vivis admittit ſoloeciſmos 702.
Monetæ eadem nomina non idem ſignificant in diverſis locis 520.
Monogramma Chriſti 279.
Montezuma rex Mexici 4.
Montfaucon palaeographia 213., 219., 517., 537.
Monumenta antiqua quæ ſequenda ſint in orthographia 724.
Morcellus de numeris 234., de ſiglis 267., de vocabulis eccleſiaſticis 656., de Scipionum ſepulcro 514.
Morinus Brixianus 124.
Morinus Joannes 132., 129., 554.
Morinus Stephanus 121.
Mortis ſigna 22.
Moyſes auctor non fuit artis ſcribendi 109., 116., 124., ægyptiam & hebræam linguam ſcivit 738.
Mundus Deum demonſtrat 20.
Munſterus Sebaſtianus 124.
Muratorius laudat linguam Italam 802. ſed nolit aureum dici ſæculum Dantis & Bocaccii 683., atque hos accuſat de ſoloeciſmis

Digitized by Google

mis 509., ejus liber de Paraguaria 439.
Muretus 627., 628.
Muſica Etruſcorum veterum 70., Græcorum, & Hebræorum 70., 71., ejus compoſitio non dependet a notitia conſonantiarum 65. ejus vis in affectibus concitandis 67.
Myſterium SS. Trinitatis 345.

N

NAma Sebeſio incerta ſignificatio 512.
Naturale habet plures ſenſus 322., ut non eſſe arbitrarium homini 300.
Nebriſſenſis Antonius 659., ejus grammatica hiſpana 674., viginti ſex pronunciationes hiſpanas ponit 55.
Negri Julius 779.
Nicænum concilium non definivit numerum linguarum 382.
Nicolaus Io. de ſiglis 267.
Nicolaus I. Papa doctus 580.
Nierembergius Jo. Euſebius Moyſem dicit ſcribendi artem inveniſſe 109., 111.
Nodi erant in America ſigna numerorum 225.
Noe creditus primus Sinarum imperator 730., ejus libri apocryphi 108.
Nogarola de Italis graece doctis 641.
Nominis definitio 96., maſculinum & femininum 319., illud cujusque organi loquutionis habet aliquam literam, quæ eo indiget 41. nova pro novis rebus unde trahantur 364., 368.
Norchiati Ioannes 809. 864.
Notarii qui ſcribebant per notas 281., 283., forte & qui canerent 76.
Notæ compendiariæ a quo inventæ 282., qui de illis ſcripſerint 287. quæ apud veteres 288., quæ apud aliquos S. Scripturæ interpretes 262.
Notæ muſicæ 72. harum epocha 76
Novitas verborum pro novis rebus laudanda 660., & neceſſaria 897., non ſtabilitur ab indoctis 895.
Numæ leges 673.
Numeri arabici 231., copti 245.; 247. 252., græci 249., hebraei 243., hiſpani ignoti 551., itali 245., romani 239., 241.
Numeri ſunt apud omnes gentes 222., expreſſi per literas 239., per nodos 225.
Numerorum figuræ natæ a punctis 238., & a lineis 239.
Numerorum progreſſio denaria & vicenaria 227., 228., quinaria omnium antiquiſſima 229., denaria forte ante diluvium 230.

O

OApertum & clauſum 38.
Obeliſci ſacri Diis 290.
Oculi loquaces 16.
Ode Saphica italica 887.
Odo Epiſcopus Cameracenſis 595.
Onkelos auctor paraphraſis chaldaicæ 332.
Onomatopeia 321.
Organa loquelæ eorumque nomina 40., 41., 55., 86., 87.
Oricellarius Bernardus 620.
Orlandi Lexicon pictorum 265.

Ornatus ſermo qui conveniat docentibus 904., 905., 914.
Orthographiæ variationes 513., 516., num ab antiquis monumentis corrigenda 704.
Os pro mente 32.
Oſorius Hieronymus 626.

P

Pagellus creditus Tibullo par 623.
Pagninus Sanctes 879.
Paitonus 193.
Palaeographia græca 517., gallica & hiſpana 317. 173.
Pallavicinus Sfortia de ſtilo 868., de laudibus exaggeratis 515., de rhythmis in tragoedia 795., quæ laudat in lingua itala 800., hanc nolit adhiberi cum syntaxi latina 510., 860., nolit ſacra profanis verbis efferri 656.
Panormita Antonius ex gente Beccadelli 621.
Pantomimi 13.
Papa non poteſt errare in decretis circa fidem & mores 688.
Papia primus lexici latini auctor 590.
Papilio cujus rei ſit symbolum 291.
Papyrus adhibita ad ſcribendum 159.
Paracelſus vivere annos Mathuſalem ſe poſſe credidit 856.
Parthenius Bernardinus 636.
Parthenius Joſeph 637.
Paſſeri Jo. Baptiſta 530., 535.
Paſſionaeus Benedictus 636.
Patavinitas T. Livii 710., quid ſit 858.
Pater noſter in trecentis linguis 353
Patres SS. non corruperunt linguam latinam 651.
Patris nomen ſimile in multis linguis 359.
Paulianus 88.
Paulus Apoſtolus eloquentiſſimus 885.
Paw perquiſitiones Philoſophicae 841.
Palasgia & Arcadia fortaſſe idem ſunt 149.
Pelletier dictionarium linguæ Britanniæ minoris 406.
Pentagrammata pro muſica poſt Guidum inventa 73., eorum inciſiones quid ſignificent 75.
Peregrinitas vocum vitanda 706.
Perfetti Bernardinus poeta extemporalis 631.
Pergamena quando adhibita ad ſcriptionem 160.
Perilhe hiſtoria de Chirurgia 178.
Perizonius negat confuſionem linguæ fuiſſe in poenam 347.
Perottus Nicolaus 621.
Perpinianus Jo. Petrus 627.
Perrault Carolus novos ſcriptores præfert antiquis 819.
Petrarcha Franciſcus 616., 685., de amanuenſibus queritur 177., invenit aliquos auctores latinos 653.
Petrus Comeſtor forte Sanminiatenſis 603.
Petrus de Abano 642.
Petrus Damianus S. 589., 591.
Petrus Diaconus ſæculi IV. & alius ſæculi XII. 601.
Petrus Lombardus 603.
Pezron de lingua celtica 396.
Phaleg quot annos vixit 378., hujus nominis etymologia 341.
Phaleucii italici ad inſtar latinorum 788.

Philaſtrii opinio de confuſione linguæ 338.
Philoſophi græci eleganter loquuti ſunt 869., & veteres etiam latini 870.
Photii ſchiſma 640.
Pictores celebres 7., eorum ſigla 265.
Pictura prima inter artes liberales 6
Picturæ ſunt ſigna naturalia 3., belgicæ minus nigreſcunt 11.
Picus Joannes admiratur eloquentiam in auctoribus Bibliorum 886., cur ſtili negligentiam defendit 894.
Picus Jo. Franciſcus 886.
Pillius Iuriſconſultus 598.
Piſcis cur dictus J. Chriſtus & chriſtiani 278.
Piſtorienſium pronunciatio ſuaviſſima 56.
Planeta octavus nuper detectus 257
Planetæ non influunt in metalla 255 eorum ſigna 253.
Platina del Pinto quodnam metallum ſit 259.
Plato negavit ſignificationem verborum eſſe ab arbitrio 311.
Plauti ætas 568., ejus verſus punici 561., 562.
Plinius de picturis Ardeæ 458.
Poccianti Michael 779.
Poeſis itala imitatrix latinæ 787., cur dicatur nata in Sicilia 487.
Poggius de lingua latina 459. contrarius figuræ nominis Jeſu 277.
Polyglottae primum ſpecimen 203.
Pompeius Hieronymus 789.
Pomponius Laetus 457., 622., typographiam ponit ante tempus 180.
Ponderum nomina eadem non ſignificant idem ubique 520., eorum notæ 263.
Pontanus Iovianus 623.
Pontifices Romani docti ſæculo XII. 600.
Portus regalis grammatica edita a Du Cloſſio 703.
Pretegiani male creditus Abyſſiniæ Rex 556.
Primatus dignitatis nulli linguæ tribui poteſt 776.
Primicerii etymologia 158.
Pronunciatio linguæ antiquæ remanet in nova 403., 536. ejus elementa plura ſunt literis alphabeti 56.
Protoſpata Lucas hiſtoricus 590.
Pruſchius a germanica latinam deducit 456.
Pſalmus 50. muſicis notis expreſſus celeberrimis 69.
Pſalterium ex Hebræo latinum factum a S. Hieronymo 878.
Ptolomæus Cardin. 96., 325.
Ptolomæus Claudius poeſim italicam ad inſtar latinæ promovet 787.
Pulſationes arteriæ ſunt ſigna 21.
Puncta vocalia hebrææ linguæ 129.
Pyrrhonici ſunt mendaces 915
Pythagoras obſervator conſonantiarum 66., 83.

Q

QUerinus Angelus Card. vitam Pauli II. ſcripſit 192., de S. Ephrem libris benemeritus 687.
Quernus Camillus poeta extemporalis 632.
Quintilianus Deum auctorem linguæ videtur agnoviſſe 330. ejus in ſtilo hiſpanitas 710.

R

RAbanus Epiſcopus Moguntinus 583.
Rabbi Carolus de lingua italica 96. 473.
Rabbini verba hebraica naturam rerum dicunt exhibere 314.
Radices linguarum hebrææ græcæ & ſinenſis 367.
Rainaldus Franciſcus non eſt auctor obſervationum in linguam italam 216., 510.
Rapinus Renatus 614.
Raterius Veronenſis 586.
Ravago Franciſcus 832
Ravennæ ſchola juris 591.
Regnierus Franciſcus 789.
Remigius Antiſiodorenſis 582
Requenus reſtitutor artis pingendi encauſtice 9.
Reyta Antonius cifra uſus 209.
Rhythmi in poeſi italica 789., a quo inventi 790., eorum dictionaria 792.
Ricci Abbas interpres poetarum 628.
Riſus apparet poſt dies 40. a nativitate 18.
Rivalta Iordanus 608.
Roberti Franciſcus 196.
Roberti Jo. Bapt. elogium 806.
Robertus Guiſcardus Siciliae rex 590.
Roccha Angelus 353., deſcripſit bibliothecam Vaticanam 153.
Rogacci Benedictus 216., 221., 528.
Rogatis (de) Franciſcus 798.
Romani latinam linguam cogebant ediſcere gentes victas 669.
Romanzo unde dicatur 485.
Ronconi Ignatius 521.
Roſcius inſignis comoedus 15.
Roſſi (de) Bernardus 213., de lingua Chriſti 771.
Rouſſeau Io. Bapt. Horatius Gallicus 887.
Rouſſeaus Io. Iacobus Gallis negavit muſicam 66., notas muſicas voluit in numeros mutare 75., male typographiam vituperat 177.
Rozier Abbas 250.
Runicæ literæ ſunt gothicæ primitivæ 150.
Rutenæ literæ ſunt a Copticis 146.

S

SAbaei qui ſint 131.
Sabellicus M. Ant. 620.
Sæculum X. poſt Chriſtum fuit horridum 585., 587.
Salve Regina a quo ſit 592.
Salii Martis ſacerdotes 673.
Salinas hiſpanus muſicus inſignis 68.
Salluſtius verbis antiquatis utitur 853.
Salomon Iarchi 407.
Salomon Rex non eſt auctor characteris cufici 144.
Salvatoris notio 654.
Salvinius Antonius 528., 683., 692., 707., 847.
Salvinius Salvinus 691.
Samaritani ſunt gens Chaldæa 554
Sanazzarius 629.
Santander Emanuel 188.
Saraceni ſunt Arabes qui multas regiones occupant 144., Orientis imperium vexant, Sardiniam & Siciliam invadunt 668.
Sarbievius Matthias 638.

Savo-

Digitized by Google

Savonarolæ conciones notis exceptæ 284.
Saxius Joſeph 194., 202., 203.
Saxo grammaticus 610.
Scaliger Caeſar & Joſephus 628.
Scipionum ſepulcrum 514.
Scheffer Petrus typorum inventor 182.
Scholæ linguæ latinæ erant Romæ ipſo ſæculo aureo 465.
Schola pro ſurdis eſt antiquior noſtro ſæculo 927.
Schottus Gaſpar 58., 204., 205., 417.
Scotia cur ſic dicta 401.
Scriptionis definitio 97., ejus laudes 97., 98., 102., an ab Adamo ſit 99., 103., an poſt diluvium 106., 295., ſit ſupra diverſas materias 158., non eſt neceſſaria ad uſum rationis 101., neque ad numerationem 102., a dextra ad ſiniſtram apud multas gentes 154., 157. verticalis apud Sinenſes & alias gentes 157., a ſiniſtra ad dextram 155.
Scripturæ ſacræ verſiones græcæ & in aliis linguis 127., vulgata non eſt barbara 877., ejus libri ſunt eloquentes 884. 888., ejus prima impreſſio 184., ejus dictionarium per Proſperum ab Aquila 888., ejus libri poetice redditi 889.
Scytala Laconica 210.
Scythæ fuerunt in multis Europæ locis 401.
Seneca præ græca inopem dixit latinam 838.
Septuaginta interpretes S. Scripturæ 127.
Sermo non vulgaris qui ſit 904.
Sercanus Thomas 457., 659.
Seth libri apocryphi 104.
Settimello (a) Henricus 486.
Shakeſpear tragicus Anglus 714.
Shuckfordius 713., Sinicam linguam vult fuiſſe linguam Adami 730., & homines auctores linguarum 345., & artem ſcribendi fuiſſe ante diluvium 105. & primos characteres fuiſſe Aſſyrios 133., de literis etiam græcis ſcripſit 146.
Siciliae hiſtoria 605., ejus linguam infecerunt multae nationes 668.
Sigla non ſunt neceſſaria in inſcriptionibus 269., nova non ſunt ponenda 270. hæc obnoxia ſunt multis interpretationibus 270.
Sigla cælatorum 265. hebraica 818 profana 264., ſacra 274.
Signatura typographorum quid ſit 186.
Signi naturalis notio 2., occaſionalis 19., ex conſuetudine 25.
Sigonius Carolus 626.
Silveſter II. Papa doctiſſimus 587.
Simonius Richardus homines facit auctores linguarum 371., ejus hiſtoria 325.
Sinenſium doctrina 417., ingenium 417., charta 163. ſcriptura quae fortaſſe eſt illa Noe 415.
Slop de Cadenberg ſcripſit de novo planeta 258.
Sol non penetrat terram ultra pedes decem 255.
Soloecismus quidam in lingua itala 705.
Soncini non fuerunt primi typi hebraici 202.
Sonus ad ſonum eſt ut magnitudo ad magnitudinem 82.
Sonus gravis & acutus 79. objectivus & formalis 78.

Spero.

Speron ius Speronus 779.
Spinello (de) Matthæus 488.
Spiritus lenis habet figuram virgulæ & aſper literæ C 217.
Stabat mater cujus ſit 6co.
Steganographia 204.
Stephanus Henricus 797.
Strabus Fuldenſis auctor gloſſæ in Scripturam 583.
Stratagemma innoxium 25.
Struvius de criteriis manuſcriptorum 173.
Sublaci prima typographia italica 192.
Svecia habuit græcæ linguæ peritos 645.
Surdi a nativitate 29. cur ſint muti 304., habent uſum rationis 923., & ideas proprias hominis 921., deficiunt a multis cognitionibus 91., ſcholæ pro illis erectæ 924., eorum magiſtri celebres 927., 930., docti inter illos 925.
Syllabæ aptiores ad ſignificationem aliquarum rerum 358.
Syllogiſmi in docendo laudabiles 909., 910.
Synonima rerum ſenſibilium cur multa apud barbaros 366., naſcuntur ex uſu 315.
Syntaxis cur naturalis in lingua gallica 820., varia eſt in linguis 376.

T

Tabulæ Alphonſinæ 231.
Targum eſt interpretatio chaldaica S. Scripturæ 410.
Taſſus Torquatus linguæ Luſitanæ peritus 829. verſus eſt in linguam Neapolitanam 675.
Telemachus Feneloni 485.
Teniæ in pileo militum 27.
Terreros 174., laudat linguam Arabicam 831.
Thalmud codex Iudæorum Miſna & Gemara conſtans 139.
Thomaſſinus Ludovicus 193., linguam hebraicam invenit in omnibus linguis 372.
Thuſcanica lingua, eſt Itala pura 782.
Tigurina S. Scripturæ verſio 882.
Titulus crucis J. C. 785., 845.
Tituli librorum abſurdi 900.
Torquemada Thomas 49., 104.
Toſtatus tribuit Adamo inventionem nominum 334., & negat confuſionem linguæ fuiſſe in poenam 347.
Traductiones poetarum græcorum Latinorumque in verſus italos 789.
Tranſubſtantiatio nomen aptum contra Lutheri & Calvini hæreſes 362.
Trebonianus accuſatur de negligentia in rerum diſpoſitione 917.
Tremblaius (Frain de) 709., inimicus poeſeos 820.
Trevoltianum dictionarium 864.
Triſſinus alphabetum italum voluit augere 38, ſcripſit de lingua itala
Trithemius Joan. 204.
Triveri Franciſcus admiratur eloquentiam Scripturæ S. 887.
Trombellus de Criterio manuſcriptorum 173
Trovazzis (de) Deodatus linguæ italæ laudator 784.
Troubadours ſunt poetæ Galli 490.
Tſchirnhauſen laudatur 58.

Digitized by Google

Turre Ioannes de atramento agit 167.
Turre Ioſeph 125.
Turris a terra uſque ad Caelum eſt ſtulta cogitatio 348.
Turſellinus Horatius 627.
Typi primi græci 201., hebraici 202., arabici, & chaldæi 203. eorum ſpecies 189.
Typographi elegantes 188.
Typographia quando in Italia 192 quando Venetiis Veronæ Mediolani Trebiæ Fulginii 195, Neapoli Florentiæ Bononiæ 196, Mantuæ, Montis Vici, Collis, Aesii, Brixiæ 197., Tarviſii 198.
Typographia extra Italiam quando Pariſiis, Lugduni, Valentiæ, Lipſiæ 199. in Japonia, in Manilla, in America 203.
Typographiæ ornamenta per chalchographiam 190.
Typographiæ laus 177. notio 179. epocha 180.

V

V Cur facta ſignum quinarii 240.
Valachiæ etymologia 604.
Valchius Io. Erneſtus 620.
Valchius Io. Georgius 582. 588.
Valla Laurentius de elegantia 871.
Vallanceius de lingua Hiberna 398.
Valle (Petrus de) deſcripſit rudera turris Babel 350.
Valliere (de la) familia extincta 184.
Vanier Jacobus 635.
Variationes in verborum compoſitione 512.
VavaſſorFranciſcus carminibus expreſſit librum Iob 889.
Ubaldini carmina itala 487.
Velum fuit olim ſignum rei ſub dominio Principis 27.
Veni S. Spiritus auctor 592. 600.
Verba adhibenda in recepta ſignificatione 855., abſtinendum ab antiquatis 853., ab obſoletis 526., a peregrinis 854.
Verba eadem non habent eamdem ſignificationem in omnibus linguis 316.
Verba hebraica non ingerunt ideam naturæ rerum 314.
Verba omnium linguarum ſignificationem habent ex arbitrio 312.
Verba privata ſunt quæ vulgus non intelligit 852.
Verbi definitio 96.
Vergerius Petrus Paulus 582., 622.
Vernazza Ioſeph 200.
Verneius Aloyſius 213.
Verſus gallici homotoni magis & minus 822., maſculini & femini 821.
Verſus itali pro theatro non admittunt rhythmos 795.
Vexilla ſunt ſigna 26.
Ugolettus Taddæus invenit aliquos latinos 653.
Vicentinus Ioannes 607.
Victor II. Papa 592.
Vida Hieronymus poeta nobilis 630.
Vila Antonius de laudibus linguæ græcæ 837., nollet quemquam ſcribere lingua propria 816
Villani Ioannes 686.
Villianus Honufrius 157. de lingua Sinica 418.

Vitra-

Digitized by Google

Vitraria ars 178.
Vitruvius negat linguam infusam primis hominibus 323. accuſatur de plebeia eloquutione 906.
Ulfilas Gothorum Epiſcopus Arianus 150.
Univerſale morale & logicum 735
Univoca verba 319.
Vocabula promovent cognitiones 90., eorum genera octo 95., nova pro novis rebus unde trahantur 362., turpia nunc quæ olim non erant 524.
Vocales ſunt mater lectionis 119., earum ſonus 355., earum pronunciatio 37., hæc brutis non conceſſa 38.
Vocis humanæ organa 34., toni diverſi ſunt indices diverſæ indolis 64.
Vox quid ſit 20., 34., an ſit corpus 36., ſignificativa 84., primæ & ſecundæ intentionis quid ſit 89.
Uranus dictus eſt octavus Planeta 257.
Vulgata S. Scriptura eſt ejus antiqua verſio 655., non eſt barbara 877., 879., nec ſtilo horrida 882.
Vulgus cur intelligat linguas purgatas 468., non attenditur in loquendi modis approbandis 895.
Vultus index animi 16.

W

WAchterus de characteribus 142., de numeris arabicis 237.
Wachtonus 6.
Walteri Ludolphi Lexicon diplomaticum 172.
Waltonus Brianus 554.
Weidlerus de numeris arabicis 233
Wiefaudius 459.
Wilkius Ioan. de lingua univerſali 505.
Wolfii Chriſtiani Arithmetica 208

X & Y

X quomodo facta ſignum denarii 240.
Xylographia 180.
Ypſilon quomodo pronuncietur 321

Z

ZAccaria Ant. Franciſcus de Siglis 267., de lapidaria 161.
Zanchi Baſilius præceptor Io. Petri Maffei 630.
Zanetti Iacobus 542.
Zanolinus Profeſſor linguarum Orientalium 264., 411.
Zeno Apoſtolus 629., 776.
Zenobia regina Palmyræ 549.
Zenobius a Strada 614.
Zodiaci ſigna 253.

Digitized by Google

ALIA ADDENDA

pag. 17. *v.* 10. *n.* 39.

gutture . Litera S tot ceteroquin linguis communis , ſibilus proprie eſt , qui molles & delicatas aures offendit . Quare cum aliqui ex græcis eam minus amarent , Pindarus odam ſine illa compoſuit , quæ propterea aſigmos dicitur , & latini melioris ævi dixerunt lares & arae , cum ipſorum majores laſes dicerent & aſae

40. Bene

pag. 25. *v.* 27. *n.* 62.

De auctore novæ notæ ſex jam dictis adjectæ controvertitur . La Combe dicit fuiſſe quemdam Le Maire , eamque *Si* appellaſſe . Fauſtinus . Arevalus unus ex Hiſpanis in Italiam ejectis , in docta & erudita *Hymnodia Hiſpana* , quam Romæ protulit anno 1786. dicit Erycum Puteanum eam excogitaſſe (1) , nomenque *Bi* impoſuiſſe ex *Labii reatum* ejusdem ſtrophæ . Stephanus Arteaga Matritenſis ejusdem cum Arevalo conditionis in italico opere *De Viciſſitudinibus theatri italici* cujus primum volumen edidit Bononiæ ann.1683. , & iterum cum aliis duobus , ſed auctum & quaſi recuſum Venetiis anno 1785. , de quo Ephemerides Lit. Rom. (2) fuſe loquuntur , ſeptimæ notæ auctorem facit (3) Petrum de Uregna Monachum Ciſtercienſem , quem dicit fuiſſe in Italia circa annum 1520. , librum de Muſica ſcripſiſſe , ejusque epitomam in lingua hiſpana fuiſſe Romæ impreſſam anno 1669. Sed hæc minus conſiderate dicta ab eo eſſe contendit citato loco Arevalus . In cymbalorum

pag. 28. *v.* 2. *n.* 66.

1757. , & ex ipſa conſideratione noſtræ naturæ , quæ juxta S. Chryſoſtomum (4) *certe usque adeo delectatur canticis & carminibus , & tantam cum iis habet neceſſitudinem & convenientiam , ut vel infantes ab ubere pendentes , ſi fleunt & affliguntur , carminibus ſopiantur* . J. J. Rouſſeau naturam ab humana diverſam viſus eſt Gallis tribuiſſe , dum muſicam vocalem apud illos negavit eſſe in opuſculo

pag. 56. *v.* 21. *n.* 131.

appellantur . Georgius Sale in prolegomenis ad anglicam translationem Alcorani dicit juxta Bibliothecam Britannicam (5) Prideauxium de illis diſtinctim agere (6) eosque eſſe ex ſecta , quam Mahumetus ſub certo tributo ipſi impoſito voluit tolerari , Finettius , qui de iisdem

pag. 76. *v.* 35. *n.* 181.

metallicos . Per hujusmodi ligneas tabualas potuerunt eſſe editæ *Commemorationes ex Breviario Ord. SS. Trinitatis an.* 1432. *impreſſo pro SS. Joan-*

(1) Ar. Hym. n.190.
(2) Ef. ann.1787. n.15. 17. 18.
(3) Ar. Rivol. c.4. pag.162. edi.2.
(4) Ch. in Pſal.41.
(5) Bi. to.13. p.2. ar 5.
(6) Pro. Hiſt. du V. & N. T. pa.1.

Digitized by Google

ne, *& Felice*, *Romae ex typ. R. C. A.* 1649. quin neceſſe ſit cum aliis concludere mendum haberi in anno 1432. S. enim Felix obiit anno 1212. & S. Joannes anno proximo 1213. regnante Innocentio III., a quo fortaſſe Sanctorum catalogo fuerunt adſcripti

Metallici typi

pag. 92. *v*. 37. *n*.219.

Montfaucon, inducti fortaſſe ab iis, qui rectam verborum expreſſionem quæ apud doctos remanſerat, voluerunt abolere, & corruptam jam olim ab ignaris communem reddere cui ſe aliquando accomodarunt Tertullianus, qui ſæculo Chriſti tertio corripuit ſecundam syllabam in idola, & Prudentius ſæculo quarto in matheſi & phreneſi, & Auſonius ſæculo quinto in trigono. Horum exempla proſtant in Proſodia reformata Ricciolii. II. quia

pag. 182. *v*. 4. *n*. 430.

Aſſuerum Calmet vero ex alibi (1) dictis, Darium filium Hyſtaspis, qui octo poſt Cambyſem annis ſolium aſcendit vult fuiſſe Aſſuerum. Proceſſu autem

pag. 188. *v*. 19. *n*.442.

quam non eſſe (2) *creatam ſimul & enarratam* a Platone, ſicuti nuper dixit Arevalus, ſed revera extitiſſe, ſicuti Bayllius

pag. 208. *v*. *ulti*. *n*. 487.

addixerunt, & quidem ſibi invicem conſonantibus per ultimas in ſingulis literas, ſive ut jam dicitur rhythmicis. Atque hinc factum eſt ut in Sicilia tempore hujus Imperatoris hoc eſt ſæculo Chriſti duodecimo Itala poeſis dicatur nata. *Renatam* dicit Petrarcha (3) qui tenet *rhythmicum carmen apud græcorum*, *ac Latinorum vetuſtiſſimos celebratum*, *& Romanos vulgares eo tantum uti ſolitos*. Ex his autem italis carminibus mihi nota non ſunt niſi quæ Ubaldinus.

pag. 225. *v*.1. *n*.521.

parvum. Remondinus monuit de his leucis ſe loqui in Dictionario geographico, quod italice protulit anno 1778., qua ratione itali numerum leucarum, quem in eo legant, ter ſumendo ſtatim cognoſcunt quot e ſuis milliariis reſpondent. Leuca Hiſpana eſt.

pag.252. *v*.16. *n*.589.

bibliothecis. Chriſtianus Lupus apud Arevalum (4) credidit ipſum editum, deceptus a libro, qui Micrologi titulum habet, & extat etiam in Bibliotheca Patrum, de quo laudati Grecenſes ad annum 1077. loquuntur. Sed hic agit de eccleſiaſticis obſervationibus, & juxta ipſos ignotus eſt ejus auctor, juxta vero Ricciolium (5) Joannes fuit ejus nomen, & Micrologus quoddam quaſi cognomen.

Idem

(1) De mirac. n.439. edi.3.
(2) Ar. Hymnod. n.25.
(3) Pe. Præf ad epiſt.
(4) Ar. Hym. n.190. in fin.
(5) Ri. Chron. to.4. indic.2.

Digitized by Google

Idem

pag.252. v.21. n.589.

eleganti. In horum Pariſienſi editione anni 1663. habentur ſub ejus nomine *Conſtitutiones Portuenſes*. Sed Critici apud Grecenſes ad annum 1110. probant eas pertinere ad unum ex poſteris hujus familiæ Petrum Honeſtum Abbatem S.Mariæ de Portu prope Ravennam. Petrus enim Damianus obiit.

pag.254. v.11. n.592.

tribui carmen *Alma Redemptoris mater*, antiphonam dictum in Breviariis, quod hexametris conſtat, quorum quintus claudicat propter jambum in ſecundo pede pro spondaeo: Et præterea *Salve Regina*, ac præclariſſimam ſequentiam *Veni Sancte Spiritus*. Sed *Salve Regina* quidem ſunt apud Novaem (1) qui ab aliis volunt compoſitam, de quibus diſtinctius meminit Arevalus (2). *Veni* autem

pag.267. v.ult. n.625.

fuerit. Quod Geneſius cognomento Sepulveda typis Bononienſibus ediderit libellum contra Alcyonium, cujus ipſe omnia exemplaria coemit, narrant etiam Hieronymus Nigri, & Chriſtophorus Longolius in ſuis epiſtolis apud Arevalum (3) ſed titulus libri erat juxta Longolium *Errata Petri Alcyonii in interpretatione Ariſtotelis a Jo. Geneſio Sepulveda Cordubenſi collecta*

626. Eadem

pag.296. v.ult. n.689.

præſumant. Quoniam autem difficile eſt, ut jam obſervarunt Card. Baronius, & Bellarminus apud Benedictum XIV. (4) *in correctione ſecundarum lectionum, in quibus Sanctorum hiſtoriæ referuntur, omnia ad hiſtoriæ veritatem revocare*, & omnia minus recte poſita animadvertere & corrigere, ideo alii deinde ſummi Pontifices Clemens VIII., & Urbanus VIII. ad ulteriorem emendationem incubuerunt, & poſt operam in ea navatam a piis doctis & eruditis, in quibus fuerunt juxta Arevalum (5) ſub Clemente Card. Robertus Bellarminus, & Silvius Antonianus, & ſub Urbano alii de quibus meminit Meratius, novas editiones hujusmodi librorum novis Bullis propoſuerunt. Atque in Dioeceſibus, in quibus hæ receptæ jam fuerunt, Epiſcopos debere ipſis obſequi docuit etiam Vanespenius (6): In iis autem in quibus hæ recipi non ſolent, Epiſcopi ſi quid cenſeant immutandum *Sedem conſulant Apoſtolicam*, inquit citato loco Benedictus XIV. *cum in nonnulla breviaria ab ipſis edita errores aliquando irrepſerint ſanæ doctrinæ adverſantes*.

L ll 2 *pag.342*

(1) No. de Pontef. ar. Gregorio IX., e ar. Innoc III.
(2) Ar. *Hymn* n. 192.
(3) Ar. *Hymn*. Appen.2. n.16.
(4) Be. de Beat. l.4. p. 2. c.13. n.6, & 7.
(5) Ar. *Hymn*. n.156., & 586.
(6) Va. In eccl. p. 1. ti. 16. c.9. & ti.22. c.7.

Digitized by Google

pag.342. v.33. n.790.

ſono, Salomon Van Tol (1) reſpondet naturam ipſam hujuſmodi carmina inſinuare iis, qui poeſi ſe dedunt maxime in linguis, quæ minus ſollicitæ ſunt de quantitate longa vel brevi ſyllabarum, per quam extat aliud carminum genus, quale Latinorum, quod in metro ut ajunt conſiſtit. Quamobrem rhythmicam poeſim dicit reperiri non ſolum apud Europæos, ſed Aſiaticos etiam & Africanos. Iſaacus Voſſius (2) idem credidit, qui ceteris nationibus ab aliis nominatis addidit Americanas. Sed id de omnibus nequit affirmari. Gilius enim teſtatur (3) ſe rhythmos non repeiſſe in verſibus uſitatis a nationibus Americæ meridionalis, apud quas diu vixit, etſi ipſarum lingua aptiſſima ad illos eſſet, ut ipſemet expertus fuit, qui aliquot ex his carminibus compoſuit, & cum apud illas recitaret, vidit quidem in iiſdem audiendis delectari, ſed nunquam audivit qui diceret ſibi jam olim hoc genus carminum notum

Huic primæ ſententiæ conſonat aliquo modo Petrarcha, qui ex dictis (n.487.) cenſuit vetuſtiſſimos græcorum atque latinorum iis uſos fuiſſe, & deinceps vulgus quod has linguas minus ſinceras loquebatur. Conſonant & illi, qui dicunt plauſum, quo carmina in vulgi lingua propter fortuitos ipſorum rhythmos excipiebantur, illorum uſum ſtabilem reddidiſſe, certiſque regulis direxiſſe pro diverſis carminum generibus. Cum lego Ciceronem meminiſſe de rhythmicis, mihi venit in mentem de carminibus ſimiliter deſinentibus etiam loquutum: nec ab hac cogitatione dimoveor ab iis, qui dicunt cum Forcellinio (4) & Arevalo (5) neminem ex Latinis, aut Græcis antiquis vocabulum rhythmus in prædicto ſenſu accepiſſe; Nam quod pertinet ad Latinos, habeo Ciceronem qui ait (6) *Quicquid ſub aurium menſuram aliquam cadit, græce rhythmos dicitur*, quæ definitio complectitur etiam verſus ſimiliter deſinentes. Inter definitiones Græcorum, quas ipſe Arevalus citato loco commemorat eſt illa Didymi, rhythmus eſt *certa cujuſdam vocis figura*, & illa Leophanti, rhythmus eſt *temporum compoſitio per proportionem & commenſum inter ſe ſpectatorum*, quæ pariter rhythmum in ſenſu nunc uſitato includunt. Non reperiri inter latinos græcoſque, qui dixerint rhythmum eſſe terminationem carminum per eaſdem literas, non eſt mirum, quia hoc carminum genus erat proprium vulgi, nec uſitatum a doctis, qui ſecundum proſodiam verſus pangebant.

Videamus jam quid alii in hac re ſentiant. Fouchetus quaeſtioni propoſitæ reſpondet Italos a Gallis guſtum rhythmicorum deſumpſiſſe: at gratis

pag.343. v.12. n.791.

Cardinalibus. At Marcellus Cavalieri (7) uni tribuit Fregepanio, cui nomen

(1) Van. de Cantu poeſeos. c. 3.
(2) Vo. de Poem. cantu.
(3) Gi. Stor. Americ. to. 2. l.4. c 18.
(4) Fo, Dict. Facciol. ver. Leoni.
(5) Ar. *Hymnodia* n.214.
(6) Cic. Orat.
(7) Ca. Stat. ſac. tit. 2. n.192.

Digitized by Google

nomen Urſini erat (1). *Atque hæc eſt communior ſententia*, inquit Arevalus, apud quem alii usque ad ſeptem, quibus ea tributa fuit invenientur. Eadem de cauſſa non acquieſcam illis, qui obſervant.

pag.343. v.29. n.792.

ſunt, *quibus* (2) *ego minime aſſentior*, inquit Arevalus, & quidem jure, nam antequam Arabes Europam invaſiſſent in ea audiebantur ſequentiæ ſeu Proſæ, quas aliqui hymnos rhythmicos appellant. Alii tandem a Cantabra lingua repetent, quæ (n.404.) primigenia communiter creditur, & adhuc viva eſt, quoniam teſte Arevalo (3) Cantabrorum carmina nunc ſunt rhythmica, ſed ipſe Arevalus parum fidit huic argumento, propterea quod caremus antiquis documentis, quæ certos nos reddunt contabram hujus temporis eamdem eſſe cum antiqua, & hodiernam in hac lingua poeſim fuiſſe jam tunc uſitatam.

793. Sed

pag.391. v.24. n.893.

argumenta.

Inſtant. Poſtquam prodiit juſſu Urbani VIII. nova Breviarii Romani correctio, auditi ſunt, qui dicerent, *Acceſſit Latinitas, receſſit Pietas*. At hi habiti etiam ſtatim fuerunt tamquam præpoſteri judicii homines. Quis enim rectæ mentis cenſeat ad decorem divinorum officiorum pertinere barbariem, & apertum neglectum eorum, quæ ad literas ſpectant humaniores. Qui in his hoſpites non erant offendentes barbariſmos, & alterius generis errata in iis, quæ in Dei laudem legerent vel canerent, non ad pietatem, ſed alii ad riſum, alii ad indignationem ſentiebant ſe excitari. Iidem de inſcitia etiam condemnantur, qui ignoraverint veteres hymnos, quos præcipue Urbanus emendatos voluit, non fuiſſe ab auctoribus, quibus tribuuntur, eo modo, quo ad nos pervenerunt, ſcriptos. Correctores enim Romani apud Arevalum (4) qui copioſe hos impugnavit, teſtantur diverſas eorum lectiones ſe offendiſſe in codicibus Bibliothecæ Vaticanæ, & *plurimas in pluribus hymnis voces, quæ pro antiquis habentur, auctorum eſſe recentiorum*. Horum dicterium opprimitur a laudibus, quas expreſſe contulerunt non ſolum Epiſcopi, qui aliud in ſuis Dioeceſibus Breviarium non admittunt, quam romanum, ſed illi etiam qui cum ex antiqua conſuetudine libertatem condendi ſibi propria breviaria tueantur in eorumdem pariter emendationem ad exemplum Romanorum Pontificum incubuerunt, ut laudatus Arevalus citato loco docebit

pag.416. v.7. n. 276.

ſectemur. Atque ad hujusmodi in hac re laudem & imitationem quisque impellitur, qui noverit Patres apud Lambertinum (5) frequenter indicare potiſſimam cauſſam, propter quam Eccleſia feſtivitates Domini inſtituit, eſſe ut memoriam renovet celebriorum beneficiorum, quæ ſibi Deus contulit

275. Sigla

(1) Ar. *Hymn.* n 183.
(2) Ar. Hymn. ad diem 25. Julii.
(3) Ar. *Hymn.* n.242.
(4) Ar. *Hymn.* a n.162.
(5) La. de Beat. l.4. pa.2. l.31. n.4.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google